


TRIGA OPUSCULORUM CRITICORUM RARIORUM,

IN QUIBUS

Multa veterum Auctorum loca explicantur, illustrantur, & emendantur.

Accesserunt

Locorum citatorum adnotationes, Notae, atque Indices Necessarii.





TRAJECTI ad RHENUM,

Apud MATTHAEUM VISCH, G. T. A PADDENBURG, ET ABR. A PADDENBURG, Bibliopolas.

M D C C L V.

L. S.

*n iterum, Benivole Lector, tria Opuscula Critica, quae post* CONTARENI *&* MARTINI VARIAS LECTIONES *tuos in usus recudenda curarunt Bibliopolae nostri Trajectenses.*

Primum inter ea locum occupant PETRI AVELLANI, Valesii Icti, Loci aliquot bonorum auctorum restituti: *qui primum prodierant A.* 1541. *in* 8°. *De illo Auctore, quippe mihi ignoto, quod moneam, nihil habeo. Doctorum aliquot de eo testimonia sistit Cl. Otto* in Praef. ad Tom. 1. Thesauri sui Juris. pag. 44. *Cel. Burmannus* ad Sueton. in August. Cap. 45. magnificum potius, quam felicem conjectorem ipsum vocat. *Quod Viri Doctiss. effatum sicuti prorsus negari nequit, ita fatendum tamen, esse in illo opusculo internitentes hic illic gemmas, quae Avellanum istum, non in ea literarum luce, qua quidem hodie fruimur, viventem, minime indoctum ostendunt; ejusque operam illis, qui hoc studiorum genere delectantur, commendant.*

Sequitur JOANNIS MARII MATII, Brixiani, Annotationum in varios Auctores Latinos & Graecos liber. *Prodiit ille olim Ticini A.* 1575. *in* 8°., *& liber erat rarissimus, licet haud pauca bonae frugis complexus. Eum autem excipiunt ejusdem scriptoris* Opinionum Libri Tres; *quorum tamen in titulo* MATTIUM *se vocare ipsi placuit: item,* Defensio secundae suae Adnotationis contra eorum opinionem, qui ex aliquot locis Quinctiliani contendunt, Rhetorica ad Herennium ab Cornificio esse certo agnoscenda auctore: *tum* Carmina nonnulla, & Libellus de Orthographia: *quae quidem omnia simul prodierant Alexandriae Statiellae ex Officina*

Herculis Quinctiani. A. 1598. *in* 4to. *Auctorem eorum, vulgari Dialecto* MAZZIO *dictum, patria Brixianum, primum Professorem Eloquentiae egisse Alexandriae Statiellorum; deinde vero eodem munere functum Mediolani in Collegio Simonis, & in summa egestate mortuum fuisse Alexandriae A.* 1600, *annos natum LXVIII. praeter illa etiam, quae hic habentur*, Additiones ad Calepini Dictionarium, & Nizolii Thesaurum Ciceronianum *scripsisse: intelligitur ex* Girolamo Ghilini in Teatro d'huomini Letterati. *Venet.* 1647. *in* 4to. *juncta* Francisci Cicercii Epistolâ, *Mattii Opinionibus inserta, pag.* 379. *hujus editionis.*

Nunc in recusis hisce Opusculis quid praestitum sit, breviter indicandum restat. Auctorum Orthographia plerumque servata, etsi nonnunquam erronea. Loca veterum scriptorum, quos adducebant, indicatis capitibus vel paginis librorum, accuratius fuere designata. Hic illic adscripta una alterave nota, quae ad Auctores hosce intelligendos, aliquando etiam corrigendos, necessaria videbatur; licet nunquam eorum reprehendendorum occasio captata fuerit. Notulae interim illae, quas Carminibus Mattii adjunctas videbis, priori editioni debentur. Adjecti tandem duo Indices, Auctorum unus, alter rerum. Hisce tu, L. B. fruere, & vale.

PE-

PETRI AVELLANI,

Valesii, JCti,

ALIQUOT LOCI

BONORUM AUTHORUM RESTITUTI,

Vel aliter quam vulgo fere intelligantur,

EXPLICATI.

REVERENDISS. P.

D. PHILIPPO A CAMERA,

Cardinali Boloniensi,

PETRUS AVELLANUS, *Valesius*, S.



Uum tu me antea sæpe dignatus sis literis tuis, amplissime Cardinalis, existimaui meas quoque literas, & eas οὐκ ἀδώρους, *vicissim tibi reddi opportere. Mitto enim cum literis opusculum, paucorum illud quidem versuum, sed in quo summam ingenii & industriæ nostræ vim tanquam in speculo facile poteris perspicere. Et est profecto admodum iniqui rerum æstimatoris earum precium magnitudine metiri non artificio potius architecti. Quantam alioqui laudem tulit, qui totam Homeri* Iliada *nuce conclusit? quantam qui quadrigam muscæ alis obtectam repræsentavit? Quæ non eo dicuntur quod præclarum quiddam me hic expressisse confidam, sed ut intelligas, quicquid mihi ingenii erat huc omnino fuisse collatum. Solet sibi quisque peculiarem aliquem authorem deligere, quem vel obeliscis confodiat; vel asteriscis illustret, vel in quem varias passim annotationes inspergat. Ego vero per omne genus authorum circumvolitando hinc & illinc decerpsi, quæ instituto nostro visa sunt accommoda: scilicet imitatus apes, quæ diversos flores delibant, ut alveis suis, quantum possunt, serviant. Institutum autem nostrum est hujusmodi, ut qui dederim operam multorum locorum apud bonos authores ruinam instaurare, compluresque sententias aliter explicare, quam vulgo fere intelligantur. Parum certe gratus futurus est, quisquis lectis nostris lucubrationibus non agnoverit ingentes tenebras beneficio nostro depulsas esse, ut id interim mihi meo quodam iure arro-*

gem, quod doctorum plerique certatim tribuunt. Ac te istud malo legendo cognoscere, quam ambitiose prædicando immodice a me efferri. Et ingentes tenebras beneficio nostro ab authoribus depulsas dico, non ex mea, sed aliquot doctorum hominum sententia, quibus quum magnopere nostra hæc placerent, arbitratus sum tibi doctissimo non ingratum fore eundem conatum. Sed ut hac parte sim inferior, jucundissimus & acceptissimus non poterit non esse hicce labor, quem in gratiam nepotis tui ANT. A CAMERA *Episcopi Belisensis designati, jamdiu insumpsi. Eum siquidem charissimum habes, non quod solum propinquus sit, verum etiam quod quam de se in studiis expectationem concitarat, eam non sustineat modo, sed longe quoque superet. Sic enim tibi visum est, ut juvenis optimæ spei cum splendore generis egregiam quandam literarum cognitionem conjungeret. Ita me Deus amet, nihil prætermitto in illo instituendo, quod officii mei esse videatur: cui rei argumento esse queat, qualecunque istud est, quod sub tuo nomine in vulgus editur, illius causa elaboratum. Merces laboris nostri illa erit præstantissima, si te chorago has satis digne partes agam.*

Non utar pluribus, ne te Summi Pontificis & Christianissimi Regis negotia tractantem pergam odiosius interpellare. Recte nimirum in te quadrat illud Flacci ad Julium:

In commoda publica peccem,
Si longo sermone morer tua tempora Juli.

Vale unicum ornamentum urbis Romanæ. Pictavii, Die Thomæ Sacro. 1540.

BAR-

BARTHOLOMÆI LUXII TASTÆI,

Burdigalenſis,

A D

PETRUM AVELLANUM,

Valeſium, JCtum,

Carmen hortatorium, ad hujus Libri editionem.

Quid cohibes lucis cupidum Avellane libellum:
Cælaſque ingenii pignora docta tui?
Pignora quæ niveus doctorum calculus ornat:
In lucemque dari publica vota petunt.
Quis genitor natis coeli ſpirabile lumen
Invideat? cujus tam fera corda rigent?
Hinc hinc conſpicuum poterit tibi ſurgere nomen:
Poſteritas quod amet, famaque laudet anus.
Nam veterum ſi quis veneratur ſcripta virorum,
Sedulus ille tui præco laboris erit.
Plurima, quæ cæcis latitabant merſa tenebris,
Accipiunt lucem, pumice terſa tuo.
Plurima, quæ mendis fœde violata jacebant,
Vindice te, priſco clara nitore micant.
At multis ſterili captatur fama labore:
Dum properat nugas edere quiſque ſuas:
Carmina permulti vix dum bene nata propinant,
Sic, ut ſint numeris plurima trunca ſuis.
Hinc fit, ut infelix vulgo ſit fabula vates:
Dum caput ex ima tollere certat humo.
Sed tuus ingenuas quando labor adjuvat arteis,
Laudibus hunc ultro publica fama feret.
Ede igitur lucis cupidum Avellane libellum:
Nec coela ingenii pignora docta tui.

JO. GOSSETIUS, JCtus,

AD

PETRUM AVELLANUM,

Valesium.

Tinxisti prima vix dum lanugine malas,
Et juvenilis adhuc spirat in ore rubor,
Attamen obliquo figentes lumine terram
Exuperas rerum cognitione senes.
Exeris in lumen cæcis prius abdita claustris,
Et luci reddis quæ latuere diu.
Qui tibi præripiat palmam nec vivere credo,
Nec posthac unquam forte futurus erit:
Sive libet fido claroque interprete fungi,
Seu medicam luxis vis adhibere manum.
Ergo stemmatibes titulisque VALESIA regum
Clara, tuo vivet nomine clara magis.

AD LECTOREM.

Ὅϛις ὁρᾷς τὴν μοῦ νῦν, ὦ ξένε φίλτατε, βίβλον,
Φείδεο, μὴ δ' αὐτὴν τὺ ψέγε φαῦλος ἐών.

INDEX CAPITUM.

RESTITUTI
ALIQUOT LOCI
BONORUM AUTHORUM,

Vel aliter, quam vulgo fere intelligantur, explicati:

PER

PETRUM AVELLANUM,

Valesium, *JCtum.*

CAPUT I.

Locus nunquam antea intellectus, libro IX. Familiarium Epist. *Ciceronis* Ep. 2.

Cicero in Epiſtola quadam ad Varronem [*lib.* 9. *ep.* 2. *ad fam.*] *Te vero* (inquit) *nolo*, *niſi ipſe rumor jam raucus erit factus*, *ad Bajas venire. Erit enim nobis honeſtius etiam quum hinc diſceſſerimus*, *videri veniſſe in illa loca ploratum potius quam natatum.* Hunc locum nulli adhuc Interpretes, quod ſciam, videntur aſſequuti. Imperitiſſime enim ad famam referunt, quæ de rumore rauco hic à Cicerone dicuntur. Nos igitur primi omnium, quid velit Ci-

cero, aperiamus. Is *rumorem*, fluvium Tyberim intelligit, & *raucum rumorem* fluvium tempestuosum appellat. Sententia esto. Nisi fluvius sit concitatior ac tempestuosior, nolim te ad Bajas venire: ne quis suspicetur natandi nos potius causa & voluptatis, quam plorandi illuc venisse. Nempe si fluvius, quo irrigantur Bajæ, exundantior factus fuerit, jam in eam suspicionem non veniemus. Ad probandum hunc intellectum duo nobis sunt evincenda. Prius, *Rumorem* Tyberim nuncupari. Alterum *raucum* idem nonnunquam significare quod tempestuosum. Virgilius, Rumorem Tyberim dixit *Aenëidos lib.* VIII. [*verſ.* 90.]

Ergo iter inceptum celerant Rumore secundo.

Rumore (inquit Servius) *pro Rumone posuit. Nam ut supra diximus, Tyberis Rumon est dictus: unde & ficus Ruminalis, ad quam ejecti sunt Remus & Romulus: quæ fuit, ubi nunc est lupercal in circo. Hac enim labebatur Tyberis antequam Neptuno factis sacrificiis averteretur. Ergo si fuerit* Rumone secundo, *favente fluvio intelligimus.* Idem Servius *eodem lib.* [*vſ.* 63.] tradit Tyberim *Rumonem* vocitatum, quod ripas ruminet & exedat, juxta illud Virgilianum.

Stringentem ripas, & pinguia culta secantem.

Raucum vero fluvium tempestuosum appellari posse, ostendimus ex Horatii *lib.* II. *Carminum*, [*Od.* 14. *vſ.* 13.] qui raucum Hadriam posuit pro tempestuoso & sonoro, interprete Acrone.

Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriæ,
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Virgilius. [*Aeneid.* V. *vſ.* 866.]

Tum rauca assidue longe sale saxa ruebant.

Adjutat sententiam nostram quod est apud Ciceronem

nem *pro Coelio.* [*cap.* 15.] *Accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajis acta convivia, comeſſationes, cantus, ſymphonias, navigia jactant.* Et ibidem. *Habes hortos ad Tyberim ac diligenter eo loco præparaſti, quo omnis juventus natandi cauſa venit.* Si quis tamen præfractius nobiſcum agat, en ultro arena cedimus, ſi docuerit ex ullis authoribus *raucum rumorem* pro fama depereunte atque evaneſcente vel ſemel fuiſſe uſurpatum. Nec enim facile patiemur nobis palmam extorqueri, propterea quod quidam [Doletus] *in Commentariis ſuis linguæ latinæ* iſtam loquendi formulam in eum ſenſum obſervavit, nullo alio loco præter hunc citato.

CAPUT II.

Locus Ciceronis explicatus lib. v. Famil. epiſt. 12. *de Hectore Næviano*, & lib. xv. ep. 6.

Meminit Cicero *libro* v. *Epiſt. Famil.* [*Epiſt.* 12.] & *lib.* xv. [*Epiſt.* 6.] *Hectoris* cujusdam *Næviani*, qui ſe a laudato demum viro optabat commendari. At de eo interpretes obmuteſcunt. Sciendum igitur ſcriptam fuiſſe fabulam a Nævio, quæ inſcribebatur HECTOR PROFICISCENS, unde locus ille Ciceronis depromptus fuit. Eo titulo ſcriptam fuiſſe a Nævio fabulam probo ex Priſciani *lib.* VIII. [*pag.* 801. *Ed. Putſchii.*] *Nævius* (inquit) *in Hectore proficiſcente. Tunc ipſos adoriant.* Adverte tamen illum Priſciani locum in omnibus exemplaribus vitiatum circumferri. Sic enim legitur: *Nævius in* III. *Hectore proficiſcente. Tunc ipſos adoriant.* Vides quid porrexerit errori anſam. Nam facile potuit particula, *in*, geminari tranſireque ſupraſcriptis tribus apicibus in notam numeri ternarii. Ita cer-

certe, ut retuli, legitur in codice manu ſcripto, quem Rupellæ reperi in vetuſta Ptochotrophii bibliotheca(*a*), quum me illuc ad docendum aliquando Stephanus Noëllus vir in omnibus artibus apprime detritus pellexiſſet.

CAPUT III.

Emendatus locus apud Suetonium Tranquillum in Auguſto cap. 45.

Miror poſt tot lucubrationes doctiſſimorum hominum in Suetonium, locum unum depravatiſſimum relictum fuiſſe. Sic etenim apud illum legitur, in Auguſto. [*cap.* 45.] *Nam hiſtrionum licentiam adeo compeſcuit, ut Stephanionem togatarium, quum in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe compererat, per trina theatra virgis cæſum relegaverit.* Dicant mihi illius authoris caſtigatores, Beroaldus, Egnatius, & Eraſmus quid ſententiæ elici poſſit ex præcedentibus verbis. Ego profecto famæ meæ periculo admoneo non *miniſtraſſe*, ſed *monſtraſſe*, legi debere. Illamque veriſſimam eſſe lectionem ſatis arguunt ſequentia. *Et Pyladem* (inquit) *urbe atque Italia ſubmoverit, quod ſpectatorem a quo exibilabatur, demonſtraſſet digito conſpicuumque feciſſet.* Hic locus præterea indicat lapſum Fauſti Victoris, qui exiſtimavit ſuppoſititium

(*a*) Priſcianus G. J. Voſſii MStus quoque habebat. *Nævius in Hectore proficiſcente: Tunc ipſos adoriant.* Voſſius tamen legere malebat. *Nævius in Hectore: Proficiſcentes tum ipſos adoriant.* Vid. ejus notas ad P. *Scriverii Collectanea Veterum Tragicorum pag.* 75. ſic fabulæ Nævianæ nomen HECTOR fuiſſet, non HECTOR PROFICISCENS. Sed vix eſt, quod in hiſce veteris ævi reliquiis tuto decernas.

tium esse apud Acronem Horatii interpretem, Augusti tempore fuisse latam legem, qua scenici a maledictis deterrerentur.

Ut enim lex comœdiæ Archææ multis ante Augustum seculis lata fuerit, fuit illa tamen renovata & confirmata, ut pleræque aliæ, tempore Augusti. Ergo Acro non commeruerat repræhensionem, si quis hunc Suetonii locum excusserit. Et forte illuc respexit Horatius, quum ad Augustum scriberet. [*Epist. lib.* 2. *ep.* 1. *vs.* 152.]

—— —— Quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi, vertere modum formidine fustis
Ad benedicendum delectandumque redacti.

CAPUT IV.

Explicatus locus Tertulliani, de lautitia Ruffi in mensis.

Interrogatus sum aliquando, quos Ruffos notasset Tertullianus [*de Pallio cap.* 5.] his verbis: *Taceo Nerones, & Apicios, & Ruffos, impuritatem Scauri, & aleam Curii, & vinolentiam Antonii.* Sic respondi: Ruffus Prætorius ciconiarum pullos in mensas primus vocavit, qui quum in Prætura ideo repulsam tulisset sequentibus σκάζουσι lacessitus fuit (*a*).

Ciconiarum Ruffus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis,

Suf-

(*a*) Hi scazontes leguntur apud veterem Scholiastem ad *Horat. Serm. Lib.* 2. *Satyr.* 2. *vs.* 50. Observandum autem, *Salmasium* etiam in notis ad *Tertulliani Pallium* p. 461. Sempronium Rufum, Virum Prætorium, hic intelligere, quem ab interpretibus ante se non repertum gloriatur.

Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus ultus est mortem.

Clarum igitur est, quid sibi voluerit Tertullianus, qui post Apicium egregium cupediarum artificem, *Ruffum* nominarit. Sed quid causæ est, cur Ruffus in illis σκάζουσι dicatur *elegantior duobus Plancis?* Plocius Plancus rhombum & ciconiam primus mensis consecravit, quo facto Populum Romanum vehementer abs se alienavit. Elegantior igitur & delicatior fuit Ruffus Planco, qui ciconiis non contentus earum pullos ascivit in convivia.

CAPUT V.

Multos errare in illa loquendi formula: Propius nihil factum est.

Qui sic exponunt hoc genus loquendi, *Propius nihil factum est*, id est, *parum abfuit quin fieret*, penitus errant. Cicero ad Quintum fratrem: [*lib.* 1. *epist.* 2. *in fin.*] *Propius nihil factum est, quam ut ille occideretur.* Idem *pro Cluentio:* [*cap.* 21.] *Sic nunc propius nihil factum est.* Idem *in Verrin.* [*accus.*5. *cap.*36.] *Nec quicquam propius est factum, quam ut illud Uticense exemplum de Hadriano transferretur Syracusas.* in quibus locis, *propius* pro *citius* accipi debet, authore Servio in illum versum Virgilii. [*Aenëid.* 8. *vs.* 78.]

Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.

Repræhendendus ergo est interpres ille doctissimus Epistolarum Guilielmi Budæi. Sic enim scripsit Budæus: *Adeo nihil propius factum est his alteris tuis literis, quam ut librum meum de Asse exoscularer. Propius factum* (inquit interpres) id est, *paulum abfuit, quin exoscularer:* παρ' οὐδὲν ἦλθον τὴν βίβλον τὴν ἐμὴν καταφιλεῖν. Sed errat, quia in illo loco Budæi, *propius* pro *citius* & potest & debet accipi.

CAPUT. VI.

Locus restitutus apud Gellium, capite ultimo libri IX.

Usque adeo aliquod semper consequimur laboris nostri præmium. Quis liber frequentius Gellio teritur manibus omnium? En tibi tamen locus apud illum corruptissimus, a nobis primum animadversus, *capite ultimo libri* IX.

Authoris verba sunt hujusmodi: *Vir fortis præmio quod optaverit donetur. Qui fortiter fecerat petiit alterius uxorem in matrimonium, & accepit. Is deinde cujus ea uxor fuerat fortiter fecit: repetit eandem, contradicitur. Eleganter (inquit Plinius) & probabiliter ex parte posterioris viri fortis uxorem sibi reddi postulantis, hoc dictum est. Si placet lex, redde. Si non placet, redde. Fugit autem Plinium sententiolam istam, quam putavit esse argutissimam vitio non carere, quod Græce* ἀντίστρεφον *dicitur. Et est vitium insidiosum & sub falsa laudis specie latens.*. Hæc ille. At quid istud est, *vitium insidiosum & sub falsa laudis specie latens?* Quid huic loco cum laude? Dic igitur compendio scribendi mendum irrepsisse, & non *laudis*, sed *lemmatis* esse reponendum. Rem (ut dico) habere convincam ex argumentatione Plinii, quæ *lemma* seu *dilemma* notissimo Rhetoribus nomine appellatur. Supersedeo aliis probationibus, ne in re manifesta anxie me torqueam.

CA-

CAPUT VII.

Apud eundem vocem unam perperam legi, libro XVII. cap. II.

Ex cognatione nominum suspicor locum quendam corruptum esse apud eundem authorem *libro* XVII. *cap.* II. Illius verba hæc sunt: *Sed Plutarchus in libro Symposiacῶn authorem Platonis sententiæ Hippocratem dicit fuisse. Idemque esse opinatos & Philistiona Locrum & Dioxippum Hippocraticum, veteres medicos & nobiles.* Ego igitur hic puto non *Dioxippum* debere legi, sed *Dexippum* (*a*). Suidas enim Dexippum Cöum fuisse tradit, Hippocratisque discipulum, a quo relictus est unus de medicina liber, & de prognosticis. At Dioxipporum tres tantum insignes & nobiles audivimus, quorum nullus medicinam professus est. Eorum unus Comicus fuit poëta, cujus meminit Suidas. Alius Athleta, cujus meminit Plinius. [*Hist. Nat. lib.* XXXV. *cap.* II.] Tertius miles Alexandri, cujus meminit Aelianus (*b*). Sed cur non licebit impingere Gellio ἁμάρτημα μνημονικὸν, quo

(*a*) Nec *Gellius*, nec ejus librarii erroris sunt insimulandi. *Plutarchus* enim diserte nominat Διωξίππον, in loco quem respicit *Gellius*, *Sympos. lib.* 7. *Quæst.* 1. pag. 699. Eum tamen à *Dexippo Cöo*, cujus præter *Suidam* meminit *Galenus*, diversum non esse censent Viri Docti, *Gronovius* in notis ad locum Gellii, & *Fabricius* Biblioth. Græc. vol. XIII. pag. 139.

(*b*) Respicit *Æliani* locum *Var. Hist. lib.* X. *cap.* 22. quem tamen si inspicias, videbis, *Avellanum* ex uno Dioxippo fecisse duos. Namque Dioxippus ille, de quo ibi loquitur *Ælianus*, non fuit miles Alexandri M. sed ipse ille Atheniensis Athleta, cujus præter *Plinium* multi alii ex veteribus meminerunt. Vid. notas ad illum *Æliani* locum.

quo doctissimus quisque laborat, ut pro *Dexippo Dioxippum* scripserit magna nominum similitudine?

CAPUT VIII.

Expositus unus locus, & alter restitutus apud Tibullum.

Antiqua numeri libertate usus est Tibullus, qui *nobis merenti*, pro *merentibus* dixit, ut in codice meo manu scripto annotatum est. Neque probare possum vulgatam illius loci lectionem, quæ insertis distinctionibus vitat, quam dixi, numeri libertatem. Quid enim vetat quo minus *nobis merenti* dixerit Tibullus, ut Terentius [*Eunuch. Act.* IV. *Sc.* 3. *vs.* 7.] *absente nobis.* Pomponius, *præsente amicis.* Varro, *præsente legatis?* [*ap. Donat. ad Terent. l. c.*] Locum integrum adscribam, ut diligentius secum qui volet, inquirat. [*Eleg.* 6. *lib.* 3. *vs.* 47.]

Etsi perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem:
Nulla fides inerit. perjuria ridet amantum
Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo, quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite a me seria verba precor.
Quam vellem tecum longas requiescere noctes:
Et tecum longos pervigilare dies.
Perfida. nec merito nobis inimica merenti.
Perfida. sed quamvis perfida, chara tamen.

Vulgata lectio distinctione sic vitat illum ἀρχαισμὸν *nobis inimica, merenti Perfida.*

At non admodum dissimile est apud eundem *lib.* II. [*Eleg.* I. *vs.* II.]

Vos quoque abesse procul jubeo: discedite ab aris.
Cui tulit externa gaudia nocte Venus.

 Nem-

Nempe, non *cui*, ſed *quibus*, dictum oportuit. In quo verſu poſteriore advertendum eſt mendoſe legi *externa*, pro *heſterna*: ut intelligamus heſterna nocte pollutos prius luſtrari & purgari oportere.

CAPUT IX.

Locus apud Perſium, aliter quam vulgo explicatus.

Quum Perſii libellus multum noctis habeat, libuit aliquando ingenium exercere in eruendis verioribus ſenſibus, quam qui ab Interpretibus promebantur. Neque enim ii mihi videntur percepiſſe, quorſum ſpectaret Perſius in his verſibus. [*Sat.* I. *vſ.* 69. *ſeqq.*]

Ecce modo Heroas, ſenſus afferre videmus:
Nugari ſolitos Græce: nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare.

Britannicus cum cæteris per *lucum* rem humilem intelligit & minimam. Sed errat meo judicio. Debemus enim potius intelligere per *lucum*, & *rus ſaturum*, locos communes: quos etiam Græce ſolitos confici teſtis eſt Plutarchus *in vita Catonis*. Eos igitur inſectatur Perſius, qui locos communes male norunt accommodare, & quaſi aſſuere rei materiæque præſenti. Quum profecto de locis communibus loqueretur Horatius *in arte Poët.* proximo his exemplo uſus eſt. [*vſ.* 14. *ſeqq.*

Inceptis gravibus plerumque, & magna profeſſis
Purpureus late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus. cum lucus & ara Dianæ
Et properantis aquæ per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus.

Ad-

Adde apud eundem authorem me non ſentire cum Vadiano, qui ſic emendavit illum verſum. [*Ejuſd. Sat. vſ.* 95.]

Sic coſtam longo ſubduximus Apoenino.
Sic os tam longo ſubduximus Apoenino.

Mihi ſiquidem veriſimilius eſt loquutum Perſium de carmine hexametro, quam ut ad ea reſpexerit quæ longa ſerie recenſet Vadianus. Pro nobis facit quod Cicero in libris *de Legibus*, [*Lib.* 2. *cap* 27.] hexametros verſus, *longos* vocat ex Ennio.

CAPUT X.

De quantitate verbi, Contudit, *& accentu verborum*, Arguit *ac* Calefacit.

Præter Grammaticorum ſententiam, ſcias licenter corripi mediam verbi *Contudit*, ſyllabam: ut refert Acro in illum locum Horatii. [*Serm. lib.* 2. *Sat.* 7. *vſ.* 15.]

— — *Poſtquam illi juſta chiragra*
Contudit articulos:

Nam & Ennius produxiſſe legitur in hunc modum.

— — *Viresque valentes*
Contudit genialis hyems.

Frequentius tamen correpte legitur, licet pugnante ipſius natura, ut & in illis verſibus. [*Horatii Epiſtol. lib.* 2. *Ep.* 1. *vſ.* 10. *ſeqq.*]

— — *Diram qui contudit Hydram,*
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domari.

Item interfui nonnunquam circulis doctorum hominum, qui non ſolum præcedens illud mirabantur, verum etiam quod ſcripſit Priſcianus, in verbo *Calefacis* & *Calefacit* in penultima ſignandum eſſe ac-

centum. At omnem admirationem longe superat quod me legere memini apud Porphyrionem, verbum *arguit*, quando præsentis est temporis accentum habere in penultima. Hæc eo libentius commemoravi, quo longius a medio visa sunt esse seposita.

CAPUT XI.

Suspecta quædam apud Acronem.

Impense dubitabam qua satis probabili causa Horatius Oceanum rubrum περιφραστικῶς occidentem nuncuparet, [*Carm. lib.* 1. *od.* 35. *vs.* 29. *seqq.*]

Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens.
Examen, Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Quem locum Acro de occidente interpretatur. Juvenis quidam doctissimus, quo cum has nostras vigilias communicabam: An non (inquit) Occidentem propterea *Oceanum rubrum* vocavit, quia quum in Occidente sol condatur non sine ingenti quodam rubore circumfuso, contegitur? Quæ conjectura vehementer mihi placuit. Alias si Acronis interpretationem referas ad mare Rubrum divisum in duos sinus Persicum & Arabicum, nulla ratione nitetur interpretis sententia. Ad hæc apud alium nunquam legi Europam ab Asia dividi Scamandro fluvio, quod ille in his versibus asserit. [*Epod.* XIII. *vs.* 13.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois.

C A-

CAPUT XII.

Duo Senarii apud Porphyrium a nemine animadversi.

Duo sunt senarii apud Porphyrium, qui fere non advertuntur. Unus est in *capite de genere.* alter in *capite de specie.* Sic enim ille,

Καὶ γὰρ ἡ πάτρις ἀρχὴ τίς ἐστι τῆς ἑκάστου γενέσεως.

Hic est versus trimeter Jambicus ex aliquo Græco scriptore,

Ἀρχὴ τίς ἐστι τῆς ἑκάστου γενέσεως.

Idem in capite περὶ εἴδους: πρῶτον (inquit) εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Qui locus corrupte legitur. Dëest enim μὲν, ut sit trimeter Jambicus, quod clarissimum est ex interpretatione Boëtii. Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

CAPUT XIII.

Explicatus locus in Oratione pro Coelio cap. 5. *ubi hæret interpres.*

Affero insignem locum ex Oratione Ciceronis pro Marco Coelio, [*cap.* 5.] *Nobis quidem* (inquit) *olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus, & ut exercitatione ludoque campestri tunicati uteremur, eademque erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio ac militaris. qua in ætate nisi qui se ipse sua gravitate & castimonia, & cum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono defenderet, quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat.* Hic hæret Interpres. *Solebant veteres* (inquit) *pueris inhibere*

bere quum luderent, & ſeſe exercerent, ne veſtis exueretur, ne detectis virilibus pudicitiam violarent. Tunicati ergo utebantur ludo campeſtri, id eſt, in campis tunica induti ſe exercebant. Iſtam interpretationem cur non probem multæ ſunt cauſæ. Primum Cicero de pueris non loquitur, ſed adoleſcentibus. Deinde unum annum Cicero conſtitutum fuiſſe dicit, interpres nullum certum tempus præſcripſit. Poſtremo quid ſibi velit Cicero in poſterioribus verbis nullo modo explanat. Sic igitur tibi dicendum puta. Poſt pubertatem, authore Servio, [*ad Lib. 7. Æn. vſ.* 162.] juvenes armis exercebantur, & ſexto decimo anno militabant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant, poſtea quicquid vellent libere facturi. Quo tempore veſte utebantur non laxa, & illud eſt quod dicit Cicero, *brachium toga cohibere.* Tibullus *lib.* 1. [*Eleg.* 9. *vſ.* 69.]

Nunc ſi clauſa mea eſt, & copia rara videndi,
Hei miſerum. laxam quid juvat eſſe togam?

Perſius *ſatyra* 5. [*vſ.* 30. *ſeqq.*]

Quum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit,
Quum blandi comites, totaque impune ſaburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Sic intellige hos verſus Ovidii, [*lib.* 1. *Art. Am. vſ.* 41.]

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis,
Elige cui dicas: tu mihi ſola places.

Reſpexit ſiquidem Ovidius ad id temporis quo veſte laxa & ſoluta uti licebat, ſubmoto omni cuſtode: licet Bartholomæus Merula foede in ejus loci interpretatione erraverit, neſcio quid de curis commentus: quaſi per illas paſſim ire non liceat.

De hac oratione *pro Coelio* meminit Suetonius Tranquillus in libello *de Claris Rhetoribus* [*cap.* 2.] his verbis, ubi de Plotio Gallo verba facit: *Hunc eun-*

eundem (inquit) *Marcus Coelius in oratione, quam pro ſe de vi habuit, ſignificabat dictaſſe a Cratino accuſatori ſuo actionem* (*a*). Vides quam ſit hic prodigioſum erratum. Neque enim *a Cratino*, ſed *Atratino* legi debet.

CAPUT XIV.

Locus reſtitutus apud Lucium Florum, capite 18. libri III.

Circumferuntur quatuor libri rerum a Romanis geſtarum Lucio Floro authore, qui tamen cujusdam Marci Annæi eſſe lectitantur in codice manu ſcripto & iſtud nomen παρεμβεβλημένον εἶναι ſatis arguit quædam Epitome in Livium ſub eadem inſcriptione evulgata, hinc illuc, niſi fallor, transfuſo titulo. Utcunque res ſit, locus unus apud eundem mendoſe ſcriptus eſt, neque Beroaldi, neque Camertis opera caſtigatus, *libro* III. *cap.* 18. *Primum* (inquit) *fuit belli in Albano monte conſilium, ut feſto die Latinarum Sextus Lucius Cæſar, & Martius Philippus Coſſ. inter ſacra & aras immolarentur.* At ſic legendum eſt: *Sextus Julius Cæſar, & Lucius Martius Philippus.* Id ego perſpicuum facio ex Suetonio Tranquillo in *Cajo Julio Cæſare* (*b*). *Conſules* (inquit) *ante Dictatorem fuerunt Sextus Julius Caeſar cum Lucio Martio Philippo.* Sed & apud Julium Ob-

(*a*) Orationem Ciceronis pro Coelio ab ea, quam memorat Suetonius, diſtinctam fuiſſe; & hanc eſſe deperditam monet Vinetus ad h. Suetonii locum: & recte: illius enim, quam pro ſe ipſe habuit Coelius, tanquam à ſua diuerſæ meminit *Cicero pro Coelio cap.* 19. ubi *Abramus* docet *in notis*, Coelianæ orationis fragmentum ſupereſſe apud *Quintilianum Inſt. Orat. L.* XI. *c.* I. Et extat etiam aliud apud *Feſtum* in V. *Orea.*

(*b*) Recte adſcribitur huic loco in Theſauro Juris. *Verba hæc in Suetonii Cæſare non extare: Eutropium vero princ. lib.* V. *horum Conſulum meminiſſe.*

Obsequentem *de prodigiis* [*cap.* 114.], idem reperitur: ubi describuntur prodigia visa *Lucio Martio & Sexto Julio Consulibus*. Quod si quis fuerit Lucius Julius Cæsar, is Consul fuit cum Publio Rutilio Lupo, ut res Romanas pervestigantibus potest liquere.

CAPUT XV.

Unde natum sit proverbium, Aliquid monstri alere.

M*onstrum alitur*, ubi quid occulti vitii latere significamus. Pamphilus in *Andria*. [*Terentii Act.* 1. *sc.* 6. *vs.* 16.] *Aliquid monstri alunt, ea quoniam nemini obtrudi potest, itur ad me.* Erasmus existimavit inde natum proverbium, quod *monstra* ob pudorem clanculum aluntur & occultantur. Ego puto sumptum istud fuisse ex constitutione Romuli, qui prohibuerat monstra in urbe ali. Ergo ubi quid clanculum fit, puta contra legem, & ubi celatur vitium, *monstrum ali* proverbialiter dicitur.

CAPUT XVI.

Locus emendatus in Andria Act. 2. sc. 2. v. 14.

Rivius minima quæque observavit apud Terentium. Sed & illud observationem promerebatur, *Hem*, pro *En*, parum eleganter legi in *Andria*, [*Act.* 2. *sc.* 2. *vs.* 14.] hoc modo. P. *Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu.* D. *Hem,*

Libero: uxorem tibi jam non dat Chremes.

Ecquis enim unquam legit, *Hem* demonstrative poni? At Donatus. [*in eum locum.*] *En* (inquit) *ecce. Demonstratio est facti.*

C A-

CAPUT XVII.

Restitutus locus in inscriptione Eunuchi.

Inscriptio *Eunuchi* fere ab omnibus corruptissime lecta est, quod sine flagitio prætermittendum non erat à Rivio. Ibi enim ita scribitur: *Acta ludis Megalensibus, L. Posthumio. L. Cornelio ædilibus curulibus. Egit Lucius Ambivius Turpio, L. Attilius Prænestinus tibiis duabus dextris.* Tu expunge hoc postremum verbum, & substitue. *Tibiis duabus dextra & sinistra.* Ratio hujusce correctionis est, quod in hac comoedia plurimum joci seriæ gravitati permiscetur: quod quum accidebat, tibiis duabus agebantnr comoediæ, dextra & sinistra. Sed & istud, repugnantibus quibuslibet, satis probatur ex Donati prolegomenis in eandem comoediam. *Acta plane est* (inquit ille) *Eunuchus ludis Megalensibus L. Posthumio, L. Cornelio ædilibus curam ædium habentibus. Etiam tunc personatis L. Numidio Posthumio, L. Ambivio Turpione. Item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & sinistra, ob jocularia multa permixta gravitate.*

CAPUT XVIII.

Restitutus locus apud Donatum.

Donatus in illum locum Terentii, [*in Eunucho Act.* 3. *sc.* 4. *vs.* 2.] *Ut de symbolis essemus. Essemus* (inquit) *legendum est producta e litera.* Quæ verba Donati à mediocriter eruditis non intelliguntur. Sciendum ergo hæc illius verba ad naturam dictionis referri oportere. Nam verbum, *Essem*,

priorem habet natura correptam, si a *ſum* deſcendat, licet eadem ſyllaba poſitione producatur. Si autem, *Eſſem*, deflectatur à verbo, *Edo*, priorem habet natura longam, & poſitione. Quod ad naturam attinet, conſule ſecundam perſonam utriusque verbi. *Es*, ſi a *ſum* veniat, corripitur. ſi ab *Edo* producitur. Quid ergo mirum ſi in reliquis temporibus & perſonis utrobique natura ſua conſtet? Illud certe eſt quod ſcribit Fabius, ſyllabarum quasdam eſſe longiores, quasdam longiſſimas. Nam longior eſt ea ſyllaba, quæ cum naturali productione poſitionem quoque conjunxit: cujusmodi eſt verbum *eſſem*, ab *Edo*, in illo loco, *Ut de ſymbolis eſſemus*. Et *in Andria*. [*Act*. 1. *ſc*. 1. *vſ*. 53.]

—— —— —— Filium
Perduxere illuc ſecum, ut una eſſet, meum.

Ubi Donatus. *Producte legitur, eſſet, ut cibum capiat. Et correpte, ut alibi.* [*Act*. 3. *ſc*. 5. *vſ*. 26.] *Eſſem una qua cum cupiebam Antipho.* Qui tamen Donati locus in omnibus exemplaribus mendoſe legitur.

CAPUT XIX.

Duo loci in Prologo Heautontimorumeni, *in quibus cæcutiunt omnes Interpretes.*

Vidi magnos (ſi diis placet) Grammaticos errare in loco apud Terentium non admodum difficili, qui ſic habet.

Ne cui veſtrum ſit mirum, cur partes ſeni
Poëta dederit, quæ ſunt adoleſcentium.
Id primum dicam. deinde quod veni eloquar.
Ex integra &c.

Objiciebam promiſſis non ſtetiſſe Prologum, qui quum

quum promisisset se dicturum cur partes seni poëta dedisset, quæ erant adolescentium, id primo loco non attingit. Respondebant illi esse hysteron proteron. Quo dicto quid ineptius? Versus ergo ille: *Id primum dicam:* non debet referri ad præcedens, *Cur partes seni poëta dederit*, sed ad sequentia, *Ex integra Græca, &c.* Sententia est: *Dicam cur partes seni poëta dederit, quæ sunt adolescentium, si præmisero, ex integra Græca integram Comoediam me acturum.*

Alter est locus, iisdem plane ignoratus, quare *Heautontimorumenos* dicatur *Comoedia duplex.* [*in Prologo vs.* 6.] Omissis eorum nugis dic causam esse, quod duobus diebus acta fuerit. Quod certissimum cognosces ex *Act.* 3. *Sc.* 1. *vs.* 1.

Lucescit. Hoc jam cesso pulsare ostium vicini?

CAPUT XX.

De nomine Heautontimorumeni, *& quo habitu Menedemus in Scenam prodierit.*

Quid significet *Heautontimorumenos*, sic exponit Horatius. [*lib.* 1. *Serm. Sat.* 2. *vs.* 19. *seqq.*]

—— —— Hic vix credere possis
Quam sibi non sit amicus. ita ut pater ille, Terenti
Fabula, quem miserum nato vixisse fugato
Inducit. non se pejus cruciaverit atque hic.

At quo habitu ὁ ἑαυτὸν τιμωρούμενος in scenam prodierit, his verbis declarat Varro *libro* 2. [*de re rustica. cap.* 11.] *Capra* (inquit) *pilos ministrat ad usum nauticum, & ad bellica tormenta, & ad fabrilia vasa. Neque non quædam nationes harum pellibus sunt vestitæ, ut in Getulia & Sardinia: cujus usum apud antiquos quoque Græcos fuisse apparet, quod in Tragoediis senes ab hac pelle vocantur διφθερίαι. Et in Comoediis qui*

qui in rustico opere morantur, ut apud Cæcilium in Hypobolimæo habet adolescens, apud Terentium in Heautontimorumeno senex. Hæc ille. Eodem vestimenti genere uti fecit suum Laërtem Homerus *Odyss.* xxiv., si satis memini. [*vs.* 226. *seqq.*]

Adde sexagenarios senes in Comoediis induci solitos, ex sententia Varronis & Donati, [*ad Adelph. Act.* v. *sc.* 8. *vs.* 15.] & ideo non temere scribitur. [*Act.* 1. *sc.* 1. *vs.* 10.]

Annos sexaginta natus es.

Item alius est locus [*in ead. Comoed. Act.* 1. *sc.* 3. *vs.* 18.] qui parum concinne, mea quidem sententia, exponitur a Calphurnio: ego acutiorem interpretationem ponam.

Chrem. *Quid narrat?* Clit. *quid ille? se miserum esse.* Chrem. *Miserum? quem minus credere est?*
Quid reliqui est, quin habeat quæ quidem in homine dicuntur bona:
Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias?

Hunc locum sic exponit Calphurnius. *Non est* (inquit) *censendus miser, qui potest habere parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.* Ego vero existimo hic miserum pro innocente accipi, hoc sensu. *Chr. Quid narrat? Clit. se miserum esse, id est, innocentem, & nimis duro patris imperio coactum patria excessisse.* Chr. *Innocentem ais?* imo nihil minus est quam innocens, quippe per quem stat, quo minus habeat, quæ in homine dicuntur bona. Nam scelestus est, & non ferendus, qui sua culpa in rebus optimis & maximis sibi dëest: quique patria carere mavult, quam in eadem manere obtemperando patri. At ne suspecta videatur hæc nostra interpretatio, audiamus Terentium *in Hecyra* [*Act.* 3. *sc.* 6. *vs.* 21.]

Mirrh.

Mirrh. Misera sum, id est innocens, interprete Donato. Phidipp. *Utinam sciam ita esse istuc.* te scilicet esse innocentem. Et certum est apud bonos authores miseros vocari, qui nulla sua culpa in calamitatem sunt redacti. Quintilianus *in Declamationibus: Omnium, quos miseros unquam fecere virtutes, innocentissimus.* Virgil. *lib.* XI. [*Aen. vs.* 119.]

—— —— *Miseris supponite civibus ignem.*

Id est, *aliena culpa pereuntibus*, secundum Servium.

Sunt & plerique leviores loci in quibus desidero diligentiam Calphurnii. Ego unum & alterum attingam: [*in ead. Comoed. Act.* 1. *sc.* 4. *vs.* 15.]

Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis.

Nobiles dicuntur fere apud Comicos meretrices, & gladiatores, quod non puduit Donatum alibi indicare. Sic Cicero in *ea oratione quam habuit antequam iret in exilium*, dixit, *Resistere nobilium furori.*

Ibid. [*Act.* 2. *sc.* 2. *vs.* 11.]

Viden' tu ancillas, aurum, vestem?

Vestem vocabant veteres vestium apparatum & ornatum, vestitumque magnificum. Cicero in *oratione in Vatinium* [*cap.* 13.] *Omitto festum diem, argento, veste, omni apparatu, ornatuque visendo.* Pari modo usurpant Græci τὴν ἐσθῆτα. Lucianus *in Alectryone* [*cap.* 12.] τὴν ἐσθῆτα καὶ τραπέζας, καὶ ἐκπώματα, πάντα ἐμὰ εἶναι; id est, *Vestem, & mensas, & pocula omnia mea esse.*

Ibid. [*vs.* 49.]

Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. Pax.

Pax, *tantummodo* significat authore Prisciano. [*lib.* 15. *p.* 1015. *Ed. Putschii.*] Græci tamen pro,

Pa-

Papæ, illud videntur accipere (*a*). Lucianus *in Fugitivis* in fine.

Φεῦ τῶν κακῶν ὀτlοτοῖ. παπαὶ, παιὰξ.

Ibid. [*vs.* 59.]

Nam disciplina est eisdem, munerarier
Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.

Ovidius legem illam & disciplinam his versibus sic est persequutus. [*Art. Am. lib.* I. *vs.* 351. *seqq.*]

Sed prius ancillam captatæ nosse puellæ
Cura sit: accessus molliet ista tuos.
Proxima consiliis dominæ sit ut illa, videto.
Neve parum tacitis conscia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando:
Quod petis, ex facili, si volet illa feres.

Ibid. [*Act.* 3. *sc.* I. *vs.* II.]

Somnum hercle hac nocte oculis non vidi meis.

Videre somnum, hujus loci imitatione dixit Cicero, *Epist.* 30. *Familiarium lib.* VII. *Fuit* (inquit) *mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Idem *Epist.* I. *ad Atticum lib.* VIII. non somnum videre, sed capere dixit. *Ego* (inquit) *si somnum capere possem tam longis te epistolis non obtunderem.*

Ibid. [*Act.* 4. *sc.* 3. *vs.* I.]

Me Syri promissa huc induxerunt.

Proprie dicuntur feræ induci in retia. Unde ad fraudem amatoriam transfertur. Tibullus [*lib.* I. *eleg.* 6. *in pr.*]

Sem-

(*a*) Errat Avellanus. Nec quidquam huc facit adductus Luciani locus. Aliud Græcis est παιὰξ, aliud πὰξ, de quo adverbio vide quæ notarunt Lindenbrogius ad Terent. Heaut. IV. 3. 39. & Ill. Scaliger ad Plaut. Mil. Glor. III. I. 39. ex quibus utramque suam notam ad Terentium descripsit Westerhovius.

Semper ut inducar blandos offers mihi vultus,
Post tandem es misero tristis & asper amor.

Infiniti sunt hujusmodi loci (specimen enim tantum dare volui) prætermissi a Calphurnio, quos aliquando accuratius tractabimus, si dabitur.

CAPUT XXI.

Explicatus locus Ciceronis libro 1. de Legibus cap. 1. *de auspicio Aquilæ.*

Cicero *libro* 1. *de Legibus*, meminit cujusdam auspicii, de aquila evolante ex quercu, quod pauci pro dignitate tractant. Sic ille scriptum reliquit. [*cap.* 1.] *Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit*

Nuncia fulva Jovis, miranda visa figura &c.

Quem totum locum elegantissime describit idem Cicero *libro* 1. *de divinatione cap.* 47. his verbis: *Quid est*, inquit, *illo auspicio divinius; quod apud te in Mario est, ut utar potissimum te authore.*

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu
Subsilit: ipsa feris transfigens unguibus anguem
Semianimem, & varia graviter cervice micantem;
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda:
Seque obitu a solis nitidos convertit in ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, coeloque volantem
Conspexit Marius divini numinis augur;
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit.
Partibus intonuit coeli pater ipse sinistris.
Sic Aquilæ clarum firmavit Juppiter omen.

Horum tamen versuum aliqui in nonnullis exemplaribus

ribus mendose leguntur. Quod attinet ad aquilam quæ hic appellatur *Nuncia Jovis*, certum est & eam alitem atque armigeram Jovis dici propterea quod fulmine sola non exanimetur: secundum Plinium [*H. N. lib.* 10. *cap.* 3.] Cicero *Quæstionum Tusculanarum libro* 2. *cap.* 10. ex Æschylo vertit: *Jovis satellitem.*

Alter est locus quo haud scio an ullus sit difficilior: ibi [*eodem lib.* 1. *eod. cap.*] *ab Aquila Tarquinio apicem impositum putent.* Nihil legi quod huc pertineat, nisi apud Dionysium Halicarnasseum. [*lib.*3.*pag.*195.*Ed. Sylburg.*] *Tarquinio regnanti* (inquit) *Hetrusci detulerunt insignia, quibus ipsi reges suos adornabant. Coronam videlicet auream, sceptrumque habens super caput aquilam. Tunicam purpuream cum signis aureis: & amictum purpureum fimbriatum. Tulerunt etiam ei duodecim secures sumptas ex urbibus singulis singulas, quas cum virgarum fasce lictores ante regem ferebant* (*a*).

CAPUT XXII.

An adulterium natura turpe sit.

Probra (inquit Ulpianus) [*l.* 42. *D. de verbor. signif.*] *quædam natura turpia sunt, quædam civiliter & quasi more civitatis, ut puta furtum: adulterium est natura turpe.* Andreas Alciatus existimavit defendi posse, furtum turpe natura non esse, quod passim gentium, ut apud Lacedæmonios, in numero delictorum non habeatur. Sed eo mihi ille errare visus est, quod neget defendi posse, adulterium turpe natura non esse. Qua enim ratione dicimus furtum turpe natura non esse, quia apud non-

(*a*) Errare Avellanum docuit Davis. ad Cicer. l. c.

nonnullos impune furari licet: eadem ratione possumus dicere adulterium turpe natura non esse: quia apud quasdam gentes, adulterium criminis loco non ducitur. Nam Mirrha apud Ovidium, *lib.* x. *Metamorphoseos* [*vs.* 320. *seqq.*] pluribus argumentis certat ostendere, incestos amores quam adulterium natura graviores, ut ait Papinianus, jure naturali, quod & gentium appellatur, in reprehensionem non incidere. Versus Ovidii bellissimos hic libuit inserere.

Et secum. quo mente feror? quid molior? inquit.
Dii precor, & pietas, sacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas, scelerique resistite nostro.
Si tamen hoc scelus est. sed enim damnare negatur
Hanc venerem pietas. coëunt animalia nullo
Cætera delectu. nec habetur turpe juvencæ
Ferre patrem tergo. fit equo sua filia conjunx,
Quasque creavit init pecudes caper. ipsaque cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices quibus ista licent. HUMANA MALIGNAS
CURA DEDIT LEGES, ET QUOD NATURA REMITTIT,
INVIDA JURA NEGANT. gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur, & pietas geminato crescit amore.
Me miseram, quod non nasci mihi contigit illic:
Fortunaque loci lædor.

Cæterum pro Alciato facit, quod scribit Papinianus, incestum Jure gentium prohiberi. At ego intelligo tale jus gentium, cui præluceat ratio ejus faciendi vel omittendi, quod apud plures Respublicas bene constitutas fere inveteravit. & istud æque patet ad damnandum furtum ac adulterium, ut nihil pensi habuerit Alciatus, cur aliud assereret in

furto quam adulterio. De tali jure, quod ratione regitur, ſentit Chryſoſtomus, qui loquens de Republica Platonis & Zenonis, eos dicit Πολεμεῖν τῇ ἡμῶν φύσει, quando nudatas virgines in hominum conſpectum producunt, καὶ λαθραίȣς κατασκευάζει γάμȣς, & quando paſſim furtum fieri non vetant. Addam hoc unum, erraſſe Raphaëlem Regium in interpretatione horum verſuum.

—— —— *Gentes tamen eſſe feruntur,*
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Jungitur.

Hos verſus ille exponit de Troglodytis, de quibus nihil tale legimus. Sequar potius Catullum, qui Perſarum iſtud proprium & præcipuum fuiſſe oſtendit in hunc modum. [*Epig.* 91.]

Naſcetur magus ex Gelli matrisque nefando
Concubitu. & diſcet Perſicum Aruſpicium.
Nam magus ex matre & nato gignatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia relligio.

D. quoque Auguſtinus eam fuiſſe Perſarum conſuetudinem confirmat, explicans *caput Levitici* XVIII. quod eſt de vetitis nuptiis. *De his perſonis ergo* (inquit) *videtur loqui, quæ poſſent non habentes viros in matrimonium convenire, niſi lege prohiberentur, ſicut fertur eſſe conſuetudo Perſarum.* Idem etiam legitur apud Servium *Aenëidos* VI. illo verſu [623.]

Et thalamum invaſit natæ, vetitosque hymenæos.

Vetitos (inquit) *legibus. Nam dicendo vetitos, oſtendit aliquando fuiſſe non vetitos, velut eſt apud Perſas hodie.* Unde Donatus male ait, *natura & legibus vetitos.* Quod ſpectat ad præcedentia, Cicero *lib.* I. *Officior.* [*cap.* 35.] pari loco ponit furta & adulteria, *Latrocinari,* (inquit) *fraudare, adulterari re turpe eſt.*

CAPUT XXIII.

Qua ratione capti in bello non occidantur, sed serventur.

Quæsitum est a permultis quid causæ esset, cur in bello capti servi fierent hostium. Petrus Perticanus & Jacobus Ravennas id ex necessitate factum contendunt, propterea quod nisi servi efficerentur, eorum bona una cum persona ad hostes ipsos transirent. Quæ ratio displicuit Joanni Fabro: non enim possent captivi bona sua ad hostes transmittere, quæ in promptu non haberent. Quare aliud dicendum ille censuit. Ideo scilicet servitutem istam introductam, quod nisi captivi servi fierent, cogerentur ad contrahendum vel testandum in utilitatem eorum, qui victoria potiti essent: vel etiam illud ipsum sine vi, favore hostium facerent. Alciatus non sine stomacho insectatur hanc rationem Joannis Fabri. *Quasi* (inquit ille) *non restitueretur, qui vi vel metu contraxisset.* Sed ego respondeo pro Joanne Fabro, Alciati reprehensionem frigere. Licet enim restitutio postea impetrari possit, non sequitur tamen, quin nostra intersit nos non esse obligatos: quia si vel restitutio vel exceptio omitteretur, utendum esset iure communi, & promissum exoluendum, qua consideratione talis servitus potest videri fuisse introducta. Item Alciatus non subvertit alteram partem distinctionis Joannis Fabri, quando favore hostium sine dolo vel metu iniissent contractum. Nemo enim dicat tam fatuum esse Prætorem, ut rescindere id velit, quod metu vel dolo gestum non esse constat, quasi dolo vel metu gestum sit. Fuit

& Jasoni sua ratio, ideo captivos in servitutem redigi, ne si victores nihil lucri consequerentur ex victoria, personas misere trucidarent, utpote inutilia mancipia. Sed ne hanc quidem probavit Alciatus, quum pariter latronum servi esse deberemus, ut hac qualicunque libertatis nostræ jactura, vitæ consuleremus, quoniam non minus periculi vitæ nostræ imminet a latronibus quam hostibus. Defendi potest Jason contra Alciatum: idem in bellis & latrociniis non esse asserendum; quod si in latrociniis servitus illa frequentaretur, aperiretur ingens fenestra ad delinquendum. Hisce itaque rationibus omnibus reprobatis suam sic stabiliit And. Alciatus. *Quum bella* (inquit) *e jure gentium orta sint, & utrinque licita, nullaque sit inter alienigenas & Romanos differentia, quantum huc attinet, merito est introductum, ut inde tam Romani quam hostes lucrarentur, atque captivi fierent servi hostium.* Hæc Alciati ratio non ita multum differt a ratione Jasonis, quam supra retuli. Sed nos jam aliquid probabilius cæteris afferamus. Dicimus servitutem istam jure belli emersisse, quo omnia licent in victos, sive venum exponantur, sive eis quidvis imperitetur, sive trucidentur. At quoniam lege Græcorum, unde profluxerunt jura Romanorum, prohibitum est, ne captivi trucidarentur, sed servarentur; inde servi vocati sunt, quos in bello interceptos lex jubebat servari, non occidi. Lex sic scripta erat.

Τῶν αἰχμαλώτων μηδένα βούλομαι θανεῖν.

Id est.

Neminem e captis sciens cædi sinam.

Ejusdem legis meminit Euripides *in Hecuba.* [vs. 291.]

Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

Id

Id eſt,

Lex æqua porro apud vos de ſanguine,
Servisque liberisque capitibus ſtata eſt.

Hoc igitur uno ſublato victos poſſe interfici, reliqua omnia belli jura victoribus integra remanſerunt, quorum nonnulla his verſibus continentur ex eodem authore. [*vſ.* 357.]

At ſerva nunc ſum: protinus vocabulum hoc
Minime aſſuetum facit, ut expetam mori:
Dein forſitan continget immitis mihi
Herus, ære me quicunque commercabitur
Et Hectoris quondam ſororem, & plurium:
Adigensque vi me pinſere in tectis, ſolum
Verriſſe coget, ſtaminique inſiſtere,
Vitam exigentem duram, & illætabilem.

CAPUT XXIV.

Emendatus locus in l. quum duobus 52. § ſi in coëunda 2. ff. pro Socio. *unde ſenſum vix elici poſſe dicebat Budæus.*

Hic locus multum torquet Doctos, qui in vulgatis omnibus exemplaribus ſic legitur: *Et Celſus libro ſeptimo Digeſtorum ita ſcripſit. Socios inter ſe dolum & culpam præſtare oportere. Si in coëunda ſocietate (inquit) artem operamve pollicitus eſt alter, velut quum pecus in commune paſcendum, aut agrum pollicitatori colendum damus, in commune quærendis fructibus, nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt. Precium enim operæ, artis eſt velamentum. Quod ſi rei communi ſocius nocuit, magis admittit culpam quoque venire.*

Budæus omnium, qui ætate noſtra vixerunt doctiſſimus, hinc ſenſum vix elici poſſe dicebat Ul-

piani ſententiæ congruum: *niſi quis* (inquit) *hunc ſenſum eſſe putarit, operæ precium enim artis eſt velamentum, pro eo quod eſt, magni æſtimandum eſt, & magni pendendum.* Quæ tamen interpretatio duriſſima omnibus viſa eſt, & ideo non recepta. Sed neque illa lectio probatur. *Precium enim operæ & artis eſt valementum* (a). Hoc eſt, *ἀντάξιος γὰρ ἡ τιμὴ τῆς τε ἐργασίας, καὶ τῆς τέχνης.* Siquidem *valementum* non eſt dictio latina. Nos in codice manu ſcripto, quum de eo loco dubitaremus, paulo diverſam lectionem animadvertimus. Ibi ſic legitur. *Precium enim operæ artisve eſt æquamentum:* Quæ lectio veriſſima eſt, & a tenebris remotiſſima, & ejusmodi, ut quæ facile corrumpi potuit ex particula, *ve*, ſuo loco mota. Sententia eſt. Aequiſſimum eſt tum culpam admiſſam præſtari, quando alter fundum, alter operam præſtat. Neque eſt quod putet alteruter ſe eſſe altero potiorem quaſi rem parem non præſtante. Precium enim operæ vel artis, id eſt, æſtimatio, æquat fundum

(a) Sic ex prima hujus libelli editione imprimendum curavi; cum in *Cl. Ottonis Theſauro Juris* hic legatur: *pretium enim operæ & artis eſt velamentum*; & mox: *ſiquidem velamentum non eſt dictio Latina.* Qui error Typographicus Virum Clariſſ. impulit, ut in Præf. ad Tom. 1. Theſaur. p. 44. ſcriberet. *Nec video cur Avellanus neget, velamenti vocem ſatis eſſe Latinam, qua Livius, Tacitus, Seneca & Tertullianus utuntur.* Sed fallitur Cl. Otto. Nunquam enim *velamenti* vocem improbavit Avellanus: ſed *valementum* Latine dici poſſe negat, reſpiciens ſcilicet ea, quæ ſcripſit *Budæus in Annot. ad Pandect. ad h. L. 52. Pro Socio.* ubi ita loquitur Vir Doctiſſ. *Quod ſi legas valementum, ut ſit:* Pretium enim operæ & artis eſt valementum: *hoc eſt, ἀντάξιος γὰρ ἡ τιμὴ, τῆς τε ἐργασίας καὶ τῆς τέχνης, occurrit non eſſe dictionem Latinam* valementum, *nec Ulpiano convenientem.* Cæterum inter varias vexatiſſimi hujus commatis emendationes & explicationes, multum mihi adridet Avellani hæc correctio, cum ea menti JCti ſatis convenire videatur. Fateor illam longiuscule à ſcriptura Codicis Florentini recedere: ſed in magnis morbis graviora etiam remedia poſſunt adhiberi. Vulgatæ autem

dum ipsum, & contra. Simile habes apud Plautum, [*Asinar. Act.* 1. *sc.* 3. *vs.* 20.] *Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.* Sic ergo emendandus est hic locus, antea, ut vides, depravatissimus.

CAPUT. XXV.

Restitutus locus in l. Idem Pomponius scribit: si frumentum. 5. §. sed si plumbum. 1. ff. de rei vindicatione, *qui hactenus non est intellectus.*

S*ed si plumbum* (inquit Ulpianus) *cum argento mixtum sit, quia diduci potest, nec communicabitur, nec communi dividundo agetur, quia separari potest, agetur autem in rem actione. Sed si diduci* (inquit) *non possit, ut puta si æs & aurum mixtum fuerit, pro parte esse vendicandum nequaquam erit dicendum, quod de mulso dictum est, quia utraque materia, etsi confusa sit, manet tamen.* Accursius dupliciter hic speciem po-

tem explicatio, quas habent *Otto l. c. Marcilius ad* §. 2. *I. de societat.* aliique, mihi non admodum probantur, longius quippe petitæ, & à mente Celsi alieniores. Si enim ad verba legis attendamus, quærere videtur JCtus, num si societas operæ & rei sit inita, etiam dominus rei culpam præstet in re sua: & ait, ibi etiam culpam præstandam esse. Ratio cur censeam JCtum potius agere, an culpa à domino rei sit præstanda, quam de eo qui operas confert, est in verbis sequentibus. *Quod si rei communi socius nocuit, magis admittit, culpam quoque venire:* ubi quædam gradatio occurrit. Scilicet primo quærit JCtus, num societate rei operarumque inita rei dominus culpam præstare debeat, de quo dubitari posse videbatur, cum nemo culpam præstet in re sua. Sed respondet, culpam etiam hic a domino rei præstandam esse, cum operæ artisque pretium ab altero socio adhibitæ dominium æquet. Pergit. Quid si rei communi socius nocuit. tumque *magis* admittit, culpam quoque venire. Si enim in re mea, de qua societatem contraxi, culpam præstem; multo magis eam præstare debeo in re, quæ utriusque communis est.

ponit, ſed neutro modo rem attingit. *Primum* (inquit) *ſi nullo modo ſeparari poſſit æs ab auro, communi dividundo agitur, & pro parte vendicatur, & tunc non idem eſt quod in mulſo quod ſpecificanti cedit.* Hæc ſpecies reprobatur ab eodem, quia æs ab auro artificum opera ſeparari poteſt, *l. lacus* 12. *§. ſi ære* 1. *ff. de acquir. rer. dom.*

Secundo modo ſic fingitur ſpecies. *Si æs ab auro facile ſeparari non poteſt, tunc pro parte vendicatur: ſed nec communicatur, nec communi dividundo agitur, nec erit dicendum quod a quibusdam de mulſo dicitur, licet male, ſcilicet ut communicetur.* hanc ſpeciem probat Accurſius. Ego vero ineptiſſimam arbitror: quia omni caſu æs ab auro opera artificum pari facilitate ſeparari poteſt, ut propter iſtam facilitatem & difficultatem diverſum jus introducendum non fuerit. Præterea ſpecies hæc, quam ſequitur Accurſius, implicat contraria: dicit enim compoſitum ex ære meo & argento tuo, a me vendicari poſſe pro parte, neque tamen eſſe commune, quum interim ſola communia pro parte vendicari poſſint, *l. Marcellus* 3. *§. Pomponius* 2. *ff. de rei vendicat.* alias ſi caſu meum æs cum tuo argento confuſum ſit, non vendicabo compoſitum pro parte, ſed id tantum quod meum erit, quoniam ſeparabile eſt. Et verba illa inſerta contextui: *quia utraque materia, etſi confuſa ſit, manet tamen:* ſignificant nequaquam totum compoſitum vendicari poſſe pro parte cujusque, quia licet utraque materia æris & argenti confuſa ſit, manet tamen, ut mirum non ſit, ſi totum æs per ſe vendicari ab uno debeat, & totum argentum ab altero: non autem ſimul æs & argentum ratione ſolius æris vel ſolius argenti. Accurſius certe in explicatione horum poſtremorum verborum fluctuat, neſcius, quo po-

potissimum rationem illam accommodare debeat. Tu igitur fide vetusti exemplaris expunge particulam negativam præpositam verbo, *possit*: & omnia erunt planissima. Neque dubito quin mecum sensurus sit, quisquis paulo diligentius adverterit Ulpianum in posteriori illo dicto referre verba Pomponii, cujus authoritate sententiam suam confirmat. Quum igitur Ulpianus docuisset, si plumbum cum argento permisceretur, non futurum commune, nec tum actionem communi dividundo competere posse, sed actionem in rem: citavit verba Pomponii, quod in §. 1. & 2. *ejusdem legis* fecit. & huic lectioni appositissime quadrat particula, *inquit*, ibidem posita.

CAPUT XXVI.

Restitutus locus in l. Placet 2. C. de Pedaneis judicibus.

Accursius impudenter admodum & inscite melius loqui potuisse Imperatores Diocletianum & Maximianum in hoc contextu scripsit. *Placet nobis, Præsides de iis causis, in quibus, quod ipsi non possent cognoscere, antehac Pedaneos Judices dabant, notionis suæ examen adhibere: ita tamen ut si vel propter occupationes publicas, vel propter causarum multitudinem, omnia hujusmodi negotia non potuerint cognoscere, Judices dandi habeant potestatem. Quod non ita accipi convenit, ut in iis etiam causis in quibus solebant ex officio suo cognoscere, dandi judices licentia eis permissa credatur. Quod usque adeo in Præsidum cognitione retinendum est, ut eorum judicia non diminuta videantur: dum tamen & de ingenuitate, super qua poterant etiam ante cognoscere, & de libertinitate Præsides ipsi dijudicent.* Melius dixissent Imperatores (inquit Accursius) *sed & de ingenuitate*, ubi dixerunt, *dum*

tamen & de ingenuitate. At unde nobis ista correctio? Nimirum quia Accursius non intellexit contextum, neque ullus alius eorum qui Accursium sequuti sunt. Itaque nosse oportet voculam, *eorum*, depravatam esse, & concisam ex verbo *Pedaneorum*. Significant igitur Imperatores, *Pedaneorum judicia non esse diminuta:* eos scilicet delegari posse in omnibus causis, in quibus prius delegabantur, cum ea modificatione quæ *initio hujus legis* posita fuit, id est, occupatis Præsidibus in cognitione causarum publicarum: dum tamen Præsides imposterum de causis Ingenuitatis & libertinitatis cognoscant, de quibus ipsi Pedanei prius poterant cognoscere. Varie hic errant interpretes. Primum, dicunt illi Præsidum judicia non esse diminuta, quum textus loquatur de Pedaneis, & horum judicia non esse diminuta innuat. Deinde illa verba, *de ingenuitate super qua poterant etiam ante cognoscere*, male referuntur ad Præsides, quum de Pedaneis sint intelligenda. Postremo verbum *dijudicandi*, positum in textu, non recte restringitur ad pronuntiationem sententiæ. Nam modus ille delegandæ causæ reservata sibi sententia multis post hanc legem annis introductus fuit. Ad stabiliendum hunc intellectum probari oportet, judices Pedaneos potuisse olim cognoscere de causis Ingenuitatis & libertinitatis. Affero *legem, Si manumissus* 2. *C. de libertis & eorum liberis. Si manumissus* (inquit Constantius Imperator) *ingratus circa patronum suum extiterit, & quadam jactantia vel contumacia cervicem adversus eum erexerit, aut levis offensæ contraxerit culpam, a patrono rursus sub imperium ditionemque mittatur, si in judicio, vel apud Pedaneos judices patroni querela exorta eum ingratum ostendat.* Ex his verbis constat Pedaneos judices de causis libertinitatis & ingenuitatis potuisse

tuisse cognoscere. Quod si mihi fortasse objicias, Constantium Imperatorem post Diocletianum & Maximianum floruisse, quæram quid causæ sit, cur Pedanei Judices prius de illis causis cognoscere non poterant, de quibus, ut ostendi, cognoscere postea potuerunt: præsertim quum non ita multum temporis inter utrosque intercesserit. Ex præcedentibus intelligitur *l. cum proponas* 6. *C. de Reb. Cred. & jurejurando*, male hactenus exposita in arbitro compromissario. Ea enim intelligi debet in judice Pedaneo, qui alias *arbiter* frequentissime nominatur. Illius legis iidem authores sunt Diocletianus & Maximianus. *Cum proponas* (inquiunt) *partibus placuisse, jurisjurandi religione, generis & ingenuitatis quæstionem decidi, Præses provinciæ juxta decretum arbitri amitæ tuæ filiis consulet.* Vulgatam interpretationem reprehendo ex *l. non distinguemus* 32. §. *de liberali* 7. *ff. de receptis arbitris*, ubi causa ingenuitatis & libertinitatis prohibetur tractari apud arbitros compromissarios. Hanc argumentationem sensit Lodoicus Romanus, quam ut eluderet dixit; *d. l. cum proponas* 6. loqui in casu incidenti, non quando principaliter causa ingenuitatis vel libertinitatis tractaretur ab arbitris compromissariis. Is igitur singulari CCCCLXVI. ponderat hunc textum ad hoc, quod arbiter incidenter cognoscere potest de causa status. Velim mihi respondeat Lodoicus Romanus, aut quisquis alius ei assentitur, quod verbum excerpi ex hoc contextu possit, unde subolere possit causam ingenuitatis non principaliter, sed incidenter hic actitatam fuisse. De judice igitur Pedaneo accipi id debet, ut longe verissima sit nostra sententia.

C A-

CAPUT XXVII.

Explicatus locus Ulpiani longe aliter quam vulgo intelligatur in l. qui vas 48. §. si ancilla 5. ff. de furtis.

Ulpiani hæc verba sunt, sub titulo *de furtis. Si ancilla surripiatur prægnans, vel apud furem conceperit, partus furtivus est: sive apud furem edatur, sive apud bonæ fidei possessorem. Sed in hoc posteriore casu furti actio cessat, sed si concepit apud bonæ fidei possessorem, ibique peperit, eveniet, ut partus furtivus non sit, verum etiam usucapi possit.* Hæc ille.

Rixantur inter se Doctores in excogitanda ratione præcedentium verborum. Quî fiat ut quum partus conceptus apud furem, & editus apud bonæ fidei possessorem res sit furtiva, neque usucapi possit, pro eo tamen non detur actio furti. Jacobus Ravennas, & Bartholus, egregii Interpretes, censuerunt propterea partum eo casu usucapi non posse, quia partus in utero existens habetur pro jam nato, quantum pertinet ad ea, quæ spectant ad ipsius commodum. Sed interest ejusdem partus remanere apud priorem dominum, neque transire ad alium per usucapionem: ergo habebitur pro jam nato, tempore conceptionis, quo tempore si natus esset non posset usucapi, quia natus apud furem. At detur necne actio furti, nihil ad partum; sed unius domini sive damnum sive incommodum est: ideo partus conceptionis tempore in hoc casu non habebitur pro jam nato.

Hanc Bartholi rationem improbat Raphaël Fulgosius, quia (inquit) fortasse pluris intererit partus transire ad alium, si frugi sit & minime malus, quam remanere apud priorem dominum improbissimum forsan hominem. Ille igitur aliam rationem confinxit. Partus (inquit) furtivus est, quia vitium furti est

eſt reale afficiens rem, quocunque vadat. Ideo ſeparatis partibus integralibus vitium ſemper adhærebit: ſicut lepra leproſum ſemper comitatur. Ergo partus ſeparatus a ventre ancillæ non liberatur vitio ſemel contracto. Sed actio furti non eſt realis, ſicut ipſum vitium, imo eſt perſonalis competens contra furem non quidem ad rem ipſam, ſcilicet ad ancillam, ſed ad pecuniam, reſpectu tamen valoris ancillæ. At regula eſt in actionibus perſonalibus nos excludi & ſubmoveri a perſequutione partium, quando ſumus conſequuti totum integrale. Itaque quum dominus agendo actione furti ad ancillam conſequutus ſit totum integrale, id eſt, æſtimationem ancillæ cum ejus partu, ad ipſum partum manifeſtum eſt non amplius ſupereſſe actionem.

Hæc Raphaëlis interpretatio eſt ineptiſſima, quia ſi verum ſit, quod ille ſcribit, quare pro matre & partu disjunctim datur actio furti, ſi is fuerit editus apud furem? Nonne intentando actionem furti pro matre, debuit dominus æſtimationem quoque partus conſequi? Quod autem pro matre & pro partu edito apud furem dentur duæ actiones furti, locupletiſſimi teſtes ſunt Imperatores Diocletianus & Maximianus. [*l.* 12. *C. eod.*] *Ancillæ* (inquiunt) *ſubtractæ partus apud furem editi, priusquam a domino poſſideantur uſucapi nequeunt: matris furem etiam horum cauſa furti actione teneri convenit.*

Ego igitur miror tantam lucem non incurriſſe in oculos Doctorum juris. Tu ſic habeto, non dari actionem furti pro partu edito apud bonæ fidei poſſeſſorem, quia fur partum ipſum non contrectavit: ergo æquum eſt eum non teneri actione furti, quæ ex contrectatione naſcitur.

Unde falſiſſima apparet theoria communis, cenſeri contrectatum fuiſſe partum ubi primum mater

fuit

fuit contrectata. Nam si partus sit adhuc portio viscerum matris, ut omnes satis agnoscunt, quo modo dici fingive potest duplex & diversa contrectatio? Itaque si partus editus sit apud furem, dabitur duplex actio furti, propter duplicem contrectationem matris scilicet, & ipsius partus. In reliquis non admodum dissentio ab aliis.

CAPUT XXVIII.

Definitionem Justitiæ perperam vulgo intelligi.

Perpauci sunt ex Interpretibus juris, qui recte intelligant definitionem Justitiæ, quæ hoc modo definitur. *Justitia est perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Omissis portentosis eorum interpretationibus, rem paucis evolvam. Hæc definitio seu potius ὑπογραφὴ constat ex genere & officio. Genus est. *Perpetua & constans voluntas.* Perpetua autem & constans voluntas, sive vitæ ratio, idem omnino quod virtus. Id enim Cicero hisce verbis declarat *libro* I. *de Legibus.* [*cap.* 17.] *Constans* (inquit) *& perpetua ratio vitæ quæ est virtus, itemque inconstantia quod est vitium, sua natura probatur.* Adhibe simile. Temperantia est perpetua & constans voluntas in cupiditatibus moderandis regendisque animi motibus. Fortitudo est perpetua & constans voluntas in superandis difficultatibus. Patientia est perpetua & constans voluntas in perferendis atque tolerandis periculis. Quum igitur perpetua & constans voluntas aliud non sit quam virtus, quis non rideat bardos istos & stupidos doctores, qui infarciunt multas paginas hoc loco de constantia divinæ & humanæ justitiæ.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS MARII MATII,

Brixiani,

ANNOTATIONUM

IN

VARIOS AUCTORES

LATINOS ET GRÆCOS

LIBER.

AD

CÆSAREM GAMBARAM,

Episcopum Dertonae.

JOANNES MARIUS MATIUS

ILLUSTRI & REVERENDISS.

C. CAESARI GAMBARAE,

Episcopo Dertonensi.

S. P. D.



icolaus Siccus V. C. quo cum vivo mihi summa fuit & jucunda familiaritas, suscepta ex communibus studiis; posteaquam ille abdicatis Regum publicis negociis, & maximarum rerum tractationibus se ad mansuetiores musas retulerat; saepe mihi de te, & de suavitate morum, atque humanitatis tuae solitus est narrare: non quod putaret ignotam esse mihi communi civi ullam virtutem tuam; sed qui amant, de amico etiam praedicant & canunt. scite enim ac vere dictum est ab quodam docto homine graeco, Amorem musicam docere. Faciebat ille libenter, ut quem diligeret, laudaret; &, de quo optime sentiret acerrimi judicii vir, frequenter etiam praedicaret; & meritis virtutum, sui sensus testimonium diceret verissimum & gravissimum: præsertim quod intelligebat, me non minus avide audire, quam ipse libenter loquebatur. raro alloqui hominem contigit (& cum eo eram frequens) ut non haberet omni sermoni nostro paratam aliquam novam accessionem laudum tuarum. Itaque crebra commemoratione liberalissimarum tuarum virtutum incredibile in animo meo accenderat jam tum cognoscendi tui desiderium. nec quidquam postea ardentius umquam concupivi, quam dari mihi ali-

D quan-

quando facultatem, qua praesens studium meae in te propensissimae voluntatis declararem, coramque te venerarer Pontifex Amplissime, quem fama & praedicatione cum multorum aliorum, tum in primis gravissimi viri cognitum singulari observatione colebam. Atque ecce posteaquam Siccus Romam fuerat profectus, credo fatis eo hominem vocantibus, ut vir clarissimus in urbe orbis clarissima vitam finiret, haud ita multo post ego ad te accessi propius, demigrans Alexandriam arcersitu Hieronymi Gallarati f. m tunc urbis Episcopi. non quod felicissimam patriam nostram mihi justissimis & publicis & privatis de caussis clarissimam Statiellensibus anteponerem. sed vel invitabat Genius loci, ubi antea fuissem, & quem semper amavi, vel rationes meae visae sunt ita postulare. Ecce (inquam) fors obtulit mihi commoditatem opportunissimam consequendi, quod antea tantopere expetivissem. ut quoniam essem Alexandriae, in urbe tuae Dertonae finitima, possem interdum propter locorum propinquitatem ad te visendum & venerandum transire. Etsi autem incredibili laetitia afficiebar, consecutum prope esse me his novis sedibus meis tantam tamque mihi antea saepius exoptatam facultatem, tamen hactenus ab animo meo impetrare non potui, ut te adire, convenire, & affari auderem. Non est restinctus ardor ille pristinus. immo inflammatus & accensus est magis accessione testimonii cum plurimorum provincialium, tum maxime Gabrielis Frascati communis civis & amici. qui mihi non ea modo confirmat, quae de Sicco eram solitus audire, sed multarum praeterea praeclarissimarum laudum & virtutum tuarum praestantiam insigni atque benevolentissima praedicatione saepius est prosecutus, ea narrans de te, quae de eo viro praedicari possunt, qui omnes numeros habeat optimi atque sapientissimi principis. sed deterruit me pudor meus hominem natura & moribus ad verecun-

diam

diam natum & institutum, non verentem quidem difficultatem adeundi (aures enim tuas congressumque tuum, quae tua est suavitas & mansuetudo ab animi generosa altitudine profecta, omnibus semper patere audio) sed tamen cupientem adjutorem aliquem, & quasi interpretem, qui mihi aditum ad tuam familiaritatem patefaceret. Quem nunc & quidem fidelem atque amicum reperisse videor, fortuna honestati desiderii mei favente. Namque peropportune nuper Annotationum quarumdam mearum in diversos auctores Latinos & Graecos librum absolvi. cujus ope ad cognitionem tuam conciliandam mihi utendum statui. Cum esset edendus liber, non est diu consultatum, cui labores hos industriae nostrae, qualescumque illi sunt, mitteremus, statim de te & cogitatum est simul & constitutum. Venit igitur liber ad te Caesar Pontifex amplissime, simul ut auctoritate nominis tui commendatior prodeat in lucem, simul domino operam navaturus, ut ipso duce, adjutore, interprete, & auctore quasi fores amicitiae aperiantur nobis pridem nominis tui studiosissimis. Neque uero hic mihi faciendum censeo, quod plerique in hoc genere consueverunt, ut dicam de te, & apparatu aliquo orationis laudes tuas percenseam. primum non est id instituti hujus mei. deinde epistolam esse hanc non panegyricum volo. tum haud ita in obscuro positus est fortunae & virtutis tuae splendor, & gentis tuae nobilissimae, ut meo aut cujusque praeconio ad claritatem indigeatis. Gens vestra illustravit haud ita pridem ipsa se artibus belli & pacis, sic ut vix ulla familia non solum in patria nostra, sed etiam in tota reliqua Italia, plures nobilissimarum facultatum cognitione & tractatione insignes viros tulerit. Tuque majorum vestigia secutus non fuisti nobilitate contentus, quam a patribus accepisti. sed ad splendorem generis splendorem etiam christianarum, civiliumque, & liberalissimarum aliarum artium adjunxisti quae te

clariſſimum & notum omnibus ſine cujusque externi laudatoris praeconio faciunt, quaeque in hunc ampliſſimum Pontificatum extulerunt, veſtrae familiae prope hereditarium propter merita virtutum, & propter egregie navatam ſaepiſſime Maximis Pontificibus & Reipub. Chriſtianae, operam. Itaque (ut dixi) non eges tu mea aut cujusquam praedicatione. infirmis & per ſe vix ſtantibus haec adjumenta foris parantur. recta, ſolida, valens, & vera virtus viribus ipſa ſuis nititur. nec aliunde ſuſpenſas habet rationes celebritatis ad gloriam. laudat tollitque ipſa ſe. nec ſocietatem atque opem externae commendationis ad comparandam famam expectat, quae commendatio plerumque in hoc præſertim genere epiſtolarum aſſentatio potius eſt & fucus, quam veritatis & meritorum teſtificatio. dum aſtuti laudatores blando laudationum pruritu aures titillant, ut quod circulatores poſt cantilenas & præſtigias ſolent abeant aliqua mercede munerati. mea me & patriae natura ab omni aſſentatione ſemper voluit eſſe alienum. verecundiamque hanc inſtitutione & moribus ſtudioſe etiam ſemper alui & auxi. Quamquam, ſi hic de te aliquid loquar, non ſim adulator, ſed veritati meritum teſtimonium dicam. Verumtamen quod feci in eo libro, quem ſuperioribus annis ad Hieronymum Gallaratum Pontificem Alexandriae miſi paullo ante quam e vita vir ille ſummus excederet, idem hic mei memor ingenii & conſtantiae ſervabo. Ergo de te nihil. de me hoc tantum. Matius patefactum ſibi aditum ad amicitiam tuam per hunc librum maxime cupit, ſeque totum tibi in fidem & clientelam commendat & tradit. Vale. Alexandriae. cIɔ. Iɔ. LXXV. III. Kal. Sextiles.

JOAN-

JOANNIS MARII MATII,

Brixiani,

ANNOTATIONES
IN
VARIOS AUCTORES
LATINOS ET GRAECOS.

CAPUT I.

Emendatus & expoſitus Virgilii verſus. Belli portæ. Janus Geminus.



uſpicor mendum eſſe in verſu Virgilii ex *lib*. 7. [*vſ*. 607.] recte ne, an ſecus ſim ſuſpicatus, doctis judicandum relinquo.

Sunt geminae belli portae. ſic nomine dicunt.
Relligione ſacrae.

Ego pro *geminae*, *Gemini* legendum puto. ut ſit Jani Gemini. Non ſolum enim inter reliqua cognomina Jani, etiam Geminus fuit, ſed ejus Jani, cujus templum pacis erat & belli argumentum, de quo Virgilius intelligit. Praeterea *Belliportae* conjuncte lego: ut prope unica dictio ſit. Sic, *Gemini*, & *Belliportae* duo erunt propria nomina. Ergo lego hoc pacto.

Sunt Gemini Belliportae (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacrae.

Ac ne temere audere videar contra receptam per tot ſaecula lectionem, audiantur, quibus ego auctoribus id audeam. Ac prius de Gemini cognomine (quamquam rem notam afferam) auctores aliquot citandi ſunt, ut ſatisfiat etiam imperitioribus, deinde quod ad verbum *Belliportae* attinet, doctrina locupletum ſcriptorum firmabimus. Paterculus igitur *lib.* 2. [*cap.* 38.] ſic ſcribit: *III. Auguſto principe certae pacis argumentum Janus Geminus clauſus dedit.* Julius Capitolinus in Gordiano Juniore. [*cap.* 26.] *Gordianus aperto Jano Gemino, quod erat ſignum indicti belli, &c.* Suetonius in Nerone. [*cap.* 13.] *Janum Geminum clauſit.* Florus *lib.* 1. *cap.* 4. *Janumque Geminum eumdem pacis ac belli fidem.* Idem *lib.* 4. *cap. ultimo. Auſusque tandem Caeſar Auguſtus ſeptingenteſimo ab V. C. anno Janum Geminum claudere, bis ante ſe clauſum.* Plinius *lib.* XXIV. *cap.* 7. *Praeterea Janus Geminus à Numa dicatus: qui pacis bellique argumento colitur.*

Atque haec ſatis probant *Geminum* cognomen fuiſſe Jani ejus, cujus templum conditum fuit ut clauſum pacis, apertum belli eſſet argumentum. Probemus nunc templum id dictum fuiſſe *Portæbelli.* Priſcianus *lib.* VIII. *in* 12. *Virg. verſus.* [*p.* 1263. *Ed. Putſchii.*] *Belliportae enim, quamvis ſint duae partes orationis, pro uno tamen nomine accipiuntur. quod ſignificat fores Jani templi.* ubi tamen advertendum eſt, quod Priſcianus dicit Belliportas ſignificare fores Jani templi, meliores ſcriptores templum ipſum eo nomine appellatum tradunt.

Plinius, ſeu quicumque alius fuit is, qui de viris Illuſtribus ſcripſit, in Numa. [*Aur. Victor de Vir. Ill. cap.* 3.] *Portas Jano Gemino aedificavit.* Porphyrio ex-

exponens carmen illud Horatii *ex prima epist. lib.* II. [*vs.* 255.]

Claustraque custodem pacis cohibentia Janum.

Sic ait: *Jani Gemini templum, ac portas belli pacato orbe terrarum solus clauserat Caesar Augustus. de qua re Virgilius, Belliportae dirae ferro & compagibus, arctis. &, Mos erat Hesperio.* Plutarchus in Numa. [*Tom.* I. *p.* 73. *A.*] ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς ἐν ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι. Quo quid dici potuit apertius? sed quorsum tot Virgilianae sinceritatis assertores atque interpretes huc aggero? ipse sibi Virgilius cum *lib.* I. [*vs.* 298.] quando ait: *Claudentur belliportae*, tum hoc eodem carmine, de quo loquimur, enarrator interpresque est. nec digito innuit, sed nominatim & aperte testatur, Belliportas esse nomen templi, & pro uno nomine accipiendum, cum ait: *Sic nomine dicunt.* Itaque quin versus ita legendus sit & exponendus, ut nos censemus, ex doctis dubitaturum puto neminem. Qui vero varia Jani cognomina, eorumque caussas avet scire, adeat *lib.* I. *Saturn. Macrobii cap.* IX. apud quem etiam alia scitu non ingrata inveniet.

CAPUT II.

Libros Rhetoricorum ad Herennium non esse Cornificii.

Qui libros Rhetoricorum ad Herennium Cornificio adscribunt, quo in numero sunt magni hac tempestate nominis viri, ex aliquot locis Fabii Quinctiliani, quo auctore ipsi ad ita sentiendum moti sunt, facile convincuntur. Fabii igitur *lib.* IX. *cap.* 3. haec verba sunt, ubi de figu-

ris agit. *Haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt. sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, aliique non pauci.* Auctor enim Rhetoricorum ad Herennium de tota arte Rhetorica, non de figuris tantum tractat. quod fecisse Cornificium scribit Fabius: quodque fecisse Rutilium omnes scimus. Idem Fabius paullo post. *Quaedam omnino non sunt figurae: sicut Ordo, Dinumeratio: Circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Nam & haec Cornificius atque Rutilius schemata dictionis putant.* Atqui in toto eo opere, quod Cornificio vindicant, de figuris, Dinumeratione, & Circumscriptione ne verbum quidem. Idem Fabius ibidem. *Adjicit his Caecilius* περίφρασιν, *de qua dixi. Cornificius Interrogationem, Ratiocinationem, Subjectionem, Trallationem, Occultationem.* At ubi de occultatione in eo toto libro? Idem eodem capite, sed paullo supra. *Equidem tradi inter praecepta miror: eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia pono, Amari jucundum est, si curetur, nequid insit amari, Avium dulcedo ad avium ducit, & apud Ovidium ludentem: Cur ego non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc traductionem vocat.* In *libro* quidem *quarto operis ad Herennium* [*cap.* 14.] in Traductione exemplum illud legitur, *Amari jucundum est, si curetur nequid insit amari:* caetera vero nequaquam. immo in figura, quam Annominationem ille auctor vocat, exemplum illud ponitur. [*lib.* IV. *cap.* 25.] *Avium dulcedo ducit ad avium.* ut qui loco hoc Fabii nitantur, probaturi ex eo, opus illud esse Cornificii, tenui admodum, atque adeo nullo filo pendeant: vel etiam suo ipsi gladio confodiantur. Qui veros eosdem libros Ciceroni adscribunt, & imperitiam suam ostendunt: nec vi-

dent, quam male de Cicerone mereantur, opus illud tanto viro indigniſſimum illi attribuentes.

CAPUT III.

Nepos & Neptis *ex filio latine loquentibus quid ſignificent* Daretis Phrygii *locus perpenſus.*

Nepos ſeu *neptis ex filio* ſignificat filium filiamve filii. omnes quidem filii filiaeve filiorum, avo nepotes, neptesve ſunt. ſed additur interdum ex filio, ad ambiguitatem eorum nepotum aut neptum tollendam, qui quaeve ex filia ſunt geniti. Ergo *nepos meus ex filio* nihil aliud eſt, quam filius mei filii. *Nepos ex filia* pariter eſt filius filiae. Quod porro de voce *Nepos* ſcribo, idem in verbo *Neptis* accipi volo. *Nepos* vero & *Neptis* fratris mei, aut *ſororis meae* is eave eſt, cui ego ſum major patruus, aut major avunculus, id eſt cui meus frater avus eſt, aut mea ſoror eſt avia. Itaque Octavius, qui adoptatus a C. Julio Caeſare dictus eſt C. Julius Caeſar Octavianus, recte dicitur nepos ſororis Julii Caeſaris. quippe cui Julia Caeſaris ſoror avia fuerit. Julia enim ex Attio Attiam, Attia ex Octavio Octavium genuit. Itaque *Suet. in Auguſto* [*cap.* 7.] Julium Caeſarem Auguſti majorem Avunculum ſcribit fuiſſe. Quod ſicubi de Octavio aliter ſcriptum traditumve reperias; vel illi in Hiſtoria ſunt hallucinati, vel eorum libri lectionem habent corruptam, vel male ipſi locuti ſunt. in quo numero eſt Eutropius cum alibi, tum de ipſo Auguſto loquens. Non ſum neſcius interpretem Daretis Phrygii, qui Cornelius

nelius Nepos creditur (*a*), communem consensum suae aetatis (vixit ille cum Cicerone & Attico) & omnium superiorum scriptorum neglexisse, qui Hermionem Helenae filiam neptem Castoris & Pollucis appellavit, non sororis filiam. Daretis haec sunt verba: [*cap. 9.*] *Castor & Pollux ad Clitemnestram ierant, secum Hermionem neptem suam, filiam Helenae adducentes.* In quibus tamen verbis venit mihi in mentem, subvereri, ne vitium aliquod sit. Et fortasse sciolus aliquis voces illas duas, *Neptem suam*, in margine libri aliquando scripsit. (vulgo enim pridem Nepotes Neptesque appellamus populari & vernacula lingua, filios filiasque fratrum & sororum) quae verba postea in ordinem ab imperito librario sunt trallata. Neque vero mihi quis opponat Eutropium, Spartianum, & alios ejusdem classis scriptores. Qui Spartianus in Hadriano, Sabinam uxorem Hadriani, neptem Trajani scribit fuisse, quae Sabina filia fuit sororis Trajani. quod aperte Xiphilinus ex Dione testatur *in principio vitae Hadriani. Numquam* (inquit) *vivens Trajanus adoptavit. popularis illi erat: educatusque sub eo. affinis deinde. Nam illi nupserat sororis Trajani filia.* Spartiani porro haec sunt verba [*in vita Hadrian. c. 2.*] *Nepte per sororem Trajani uxore accepta.* Idem in Severo. [*cap. 21.*] *Falsus est ipse Trajanus in suo municipe & nepote deligendo.* Sed Spartianus & ejus notae auctores ob historiam leguntur. latine bene scire & scribere per temporum infelicitatem non potuerunt.

(*a*) Nemo hodie Cornelium Nepotem Daretis interpretem credit; nec scriptor ille licet satis antiquus ad eam ætatem adscendit. v. Fabricii Biblioth. Græc. vol. 1. p. 27. Proinde opus non est, ut multum de stilo ejus simus solliciti.

C A-

CAPUT IV.

Ciceronis locus expositus.

Lib. IV. *Epistol. ad Sulpicium epistola* IV. hæc sunt verba: *Itaque cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent praeter Volcatium; is enim, si eo loco esset, negavit, se facturum esse.* Doctus vir interpretatur haec verba, si eo loco fuisset, id est, si Marcellus fuisset. Ego vero expono, si esset ea dignitate. nostramque expositionem adjuvant duo alii Ciceronis ipsius loci similes & iidem: *Epistola enim XIV. ad Terentiam lib.* XIV. sic scribit: *Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae.* Et *ejusdem lib. epist. XVIII. Vos videte, quid aliae faciant isto loco feminae.* Plaut. tamen Bacchid. [*Act.* 4. *sc.* 9. *vs.* 116.] priore modo accepit.

Verum (inquit) *ut ego opinor, si ego in istoc siem loco,*
Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.

CAPUT V.

Ciceronis locus declaratus.

Sunt in epistola illa longa ad Lentulum [*lib.* I. *Epist. ad fam. ep.* 9.] haec verba: *Scripsi igitur Aristotelico more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione & dialogo de Oratore.*

Aristotelico more cum dicit Cicero, non respicit ad disputationem & dialogum, etiamsi libri de Oratore in dialogo & disputatione sunt conscripti, sed intelligi vult, traditam ibi esse rationem disputandi de aliqua re proposita in utramque partem, quo-

quoniam mos fuit Ariſtotelicae ſcholae in hanc & illam ſententiam Academica conſuetudine dicere, ut ex hac meditatione & exercitatione uberior ad dicendum copia & acumen pararetur. Hunc porro fuiſſe Ariſtotelicorum morem, quem dixi, declarat idem Cicero *lib.* 3. *de oratore* [*cap.* 23.] his verbis: *Sin aliquis extiterit aliquando, qui Ariſtotelico more de omnibus rebus in utramque ſententiam poſſit dicere, & in omni cauſa duas contrarias orationes praeceptis illius cognitis explicare &c.* Idem *in Oratore.* [*cap.* 14.] *In hac Ariſtoteles non ad Philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rhetorum in utramque partem, ut ornatius & uberius dici poſſit, exercuit: idemque locos (ſic enim appellat quaſi argumentorum notas) tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur Oratio.*

Aphrodiſaeus etiam Alexander *in I. Topicorum* docet Ariſtotelem & veteres philoſophos in diſputationibus hanc conſuetudinem ſecutos fuiſſe, ut de propoſita quaeſtione in utramque partem diſputarent. Praeterea in ſuis libris de Rhetorica, quod maxime ex primo patet, praecepta dat Ariſtoteles in utramque partem, ad rem aliquam confirmandam, & ad eamdem infirmandam. Ergo, *Ariſtotelico more*, cum dixit Cicero, non reſpexit ad verba illa, *in diſputatione & dialogo*, quod ſcilicet libri de oratore διαλογίςως ſcripti ſint, ſed quod tradita ibi ſunt praecepta in utramque ſententiam, ad rem eamdem oratione probandam & refellendam. In epiſtolis ad Atticum [*lib.* 13. *ep.* 19.] Ἀριςτέλειος *mos* aliud eſt, de quo docte, ut de omnibus, *Sigonius in lib. de Dialogo.* Peripateticos porro & Academicos eosdem olim fuiſſe leges apud *Cic. III. de Oratore*, & *lib.* v. *de Finibus bis*, & *I. Officiorum.*

C A-

CAPUT VI.

Falli Celſum Juriſconſultum in tradenda die Biſſexti. Terminalia. Locus Livii expoſitus.

Intercalabant Romani inter Terminalia, & Regifugium. Terminalia erant VII. Kalen. Martias, id eſt, viceſimo tertio die Februarii. Regifugium vero VI. Kalen. id eſt, viceſimo quarto ejusdem menſis. Diemque intercalatum cum eo, qui ſtatim ſequebatur, pro uno cenſebant, & utrumque *ſexto Kalen.* dicebant. Hinc *Biſſexti* appellatio eſt ſubſecuta: nimirum, quod bis diceretur, *ſexto Kalendas*, quoties quarto quoque anno intercalandus erat dies. ſi ergo ſtatim poſt Terminalia, id eſt, poſt viceſimum tertium diem Februarii intercalabatur, ut probabimus, neceſſe eſt, ut ex duobus diebus, qui iterum repetito eodem numero *ſexto Kalen.* dicebatur prior non poſterior ſit adjectus & intercalaris, contra quam ſentit Celſus Juriſconſultus *lib.* XXVIII. *Digeſtorum* in L. 98. *de Verb. Signif.* ſic ſcribens: *cum Biſſexto Kalendas eſt, nihil refert, utrum priore an poſteriore die quis natus ſit, & ſic deinceps Sexto Kalendas ejus natalis eſt, nam id biduum pro uno die habetur, ſed poſterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatum non eſt, ſexto Kalendas natus: cum Biſſexto Kalendas eſt, priorem diem natalem habet. Cato menſem intercalarem addititium: omnesque ejus dies pro momento temporis obſervat.* Aperte Celſus tradit poſteriorem eſſe diem, qui intercaletur: non priorem. ſed nos teſtimonio locupletiſſimorum auctorum contra ſentimus:

mus; Livii inprimis *lib.* XLV. [*cap.* 44.] *Intercalatum eſt eo anno, poſtridie Terminalia intercalares fuerunt.* Idem *lib.* XLIII. [*cap.* 11.] *Hoc anno intercalatum eſt: tertio die poſt Terminalia Kalendae intercalares fuere.* Quo in loco *tertio die poſt*, valet idem, quod poſtridie. ratio enim intercalandi non patitur, ut aliter intelligamus. Quamquam (libere enim dicam, quod ſentio) opinor hic apud Livium ſcriptum fuiſſe, *poſtridie Kalendas*, quemadmodum in ſuperiore exemplo eſt locutus, ſed locum vitiavit imperitus aliquis: qui ſtulte judicans, poſtridie ſignificare non poſterum diem, ut certe ſignificat, ſed poſt tertium diem, in libri margine ſcripſerit pro expoſitione, *tertio die poſt*, quae dictiones poſtea ſint in librum traductae temere, rejecta vera ſcriptura. Cenſorinus *libro de die natali.* [*cap.* 20.] *Praeterea pro quadrante diei, qui annum verum ſuppleturus videbatur, inſtituit, ut peracto quadriennii circuitu dies unus, ubi menſis quondam ſolebat, poſt Terminalia intercalaretur, quod nunc Biſſextum vocatur.* Macrob. *lib.* I. *Saturn. cap.* 14. *Et ne quadrans deeſſet, ſtatuit, ut quarto quoque anno ſacerdotes, qui curabant menſibus ac diebus unum intercalarent diem, eo ſcilicet menſe ac loco, quo etiam apud veteres menſis intercalabatur. id eſt, ante quinque ultimos Februarii menſis dies, idque Biſſextum cenſuit nominandum.* Idem *cap.* 13. *ejusdem libri.* Romani non confecto Februario, *ſed poſt vigeſimum tertium diem intercalabant, Terminalibus ſcilicet jam peractis. deinde reliquos Februarii menſis dies, qui erant quinque, poſt intercalationem ſubjungebant.* Terminaliorum porro diem fuiſſe VII. Kalen. Martias, ſicut Regifugium VI. Kalen. & ex ſuperius allatis Macrobii verbis, & praeterea ex Kalendario Romano ſatis patet, & *ex Varr. lib.* V. [*p. m.* 46.] *Terminalia* (inquit) *quod is dies* *an-*

anni extremus constitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius. & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur mense. Non me fugit, Ovidium *lib.* II. *Fastorum* (quod & a Paullo Manutio est observatum) Regifugii diem in vicesimum tertium Februarii diem rejicere, cum scribit. [*v.* 685.]

> *Nunc mihi dicenda est Regis fuga: traxit ab illa*
> *Sextus ab extremo nomina mense dies.*

Quod quidem convenire non potest, cum illis de caussis, quae ex superius à nobis scriptis rationibus cuilibet possunt succurrere, tum ob hanc etiam: quod dies Regifugii erat N. hoc est (ut interpretantur) nefastus. Terminaliorum autem dies. NP. id est, nefastus primo. vt in eumdem diem uterque Terminaliorum & Regifugii dies incidere non potuerit. Sed Ovidius vel memoria lapsus est. vel quadam securitate, quae interdum scriptoribus oboritur tractantibus res vulgo notissimas, est tractus in fraudem. vel non *sextus*, sed *quinctus dies* est legendum. Qui vero Terminalia in VIII. Kalen. retraxerunt. (nam & id aliqui scripsere) refellendi non sunt, res enim apparet vel nullo patrono. primum nullo auctore id tradunt. deinde si intercalaris dies est Sexto Kalendas, & post Terminalia statim intercalabatur, quomodo non sunt Terminalia VII. Kalen. celebrata?

CAPUT VII.

Livii locum non fuisse mutandum: & Virgilii versus expositus.

Germania non solum est nomen provinciae longe lateque patentis ultra Rhenum & Alpes, quae innumerabiles prope gentes ad Septemtrionem continet, sed etiam cis Rhenum pars est Galliae Belgicae satis ampla. quippe quae est in duas divisa partes, ut Ptolemaeus oculis etiam subjicit. Sed Dionis etiam testimonium addamus. *lib.* LIII. [*p.* 505. *Ed. Leuncl.*] *Nam* (inquit) *Celtae quidam, quos Germanos vocamus, cum omnem Celticam regionem, quae ad Rhenum est, occupassent, effecerunt ut ea Germania vocaretur. superior ea quae Rheni fontibus propior est, inferior quae ab hac usque ad Oceanum Britannicum se extendit.* Quo in loco, quemadmodum quoque alibi, ipse, & alii scriptores Graeci, appellatione Celtarum Germanos vocat, Celticam tamen regionem proprie Galliam intelligit. Propterea quam cladem accepere in Galliae Belgicae populis Eburonibus Titurius & Aurunculejus Caesaris Legati, ut est apud eumdem Caesarem *comment. lib.* V. [*c.* 24. *seqq.*] Suetonius *in ejus vita*, acceptam in Germania scribit: nimirum hanc Citeriorem intelligens. Nam Eburones in Germania inferiore fuerunt, inter Mosam & Rhenum, auctore eodem Caesare *eodem commentario.* [*c.* 24.] Suetonii autem verba, si quis forte desideret haec sunt: [*cap.* 25.] *In Germanorum finibus Titurio & Aurunculejo legatis per insidias caesis.* Idem aliquot post paginis. [*cap.* 28.] *At idem obsessione castrorum in Germania nunciata, per stationes hostium Gallico habitu penetravit*

vit ad ſuos. Caeſar ipſe *Comment.* [*Lib.* 2. *cap.* 4.] *Condruſos, Eburones, Caereſos, Paemanos, qui uno nomine Germani appellantur, arbitrari ad quadraginta millia.* Eutropius *lib.* VI. [*cap.* 17.] *Inter tot ſucceſſus ter male pugnavit. Apud Arvernos ſemel praeſens, & abſens in Germania bis. Nam legati ejus duo Titurius & Auruncule jus per inſidias caeſi ſunt.* Tacitus *in lib. de ſitu, moribus, & populis Germaniae.* [*cap.* 2.] *Qui primi Rhenum transgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſunt.*

Atque auctores ſolent interdum differentiae ſignificandae gratia hos Germanos *Cisrhenanos*, illos vero *Transrhenanos*, ſive trans Rhenum appellare. Suetonius *ibidem. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggreſſus maximis affecit cladibus.* Caeſar *principio primi comment. Germanos trans Rhenum &c.* Idem *lib.* VI. *de bello Gallico.* [*cap.* 2.] *Quibus rebus cognitis Caeſar cum undique bellum parari videret, Nervios, Aduaticos, ac Menapios, adjunctis Cisrhenanis omnibus Germanis, eſſe in armis, &c.* Eodem *libro* [*cap.* 32.] *Segni, Condruſique, ex gente & numero Germanorum, qui ſunt inter Eburones Trevirosque legatos ad Caeſarem miſerunt oratum, ne ſe in hoſtium numero duceret, neve omnium Germanorum, qui eſſent citra Rhenum, cauſſam eſſe unam judicaret.* Plinius *lib.* XXV. *cap.* 3. *In Germania trans Rhenum caſtris a Germanico Caeſare promotis.* Caeſar *Comment.* V. [*cap.* 2.] *Germanosque Transrhenanos ſollicitare dicebantur.* Idem *primo.* [*cap.* 28.] *Ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e finibus ſuis in Helvetiorum fines tranſirent.* Eutropius *lib.* 6. [*cap.* 17.] *Germanos trans Rhenum aggreſſus, immaniſſimis praeliis vicit.*

Haec autem omnia idcirco à nobis altius ſunt re-

petita, ut aequi judices intelligant, male factum a Glareano: qui apud Livium *lib.* v. contra mirabilem consensum omnium veterum & recentium librorum, pro *Germanorum* ausus est ipse *Caenomanorum* substituere, legitima & certa lectione expuncta, in illis verbis, ubi de transitu Gallorum in Italiam Livius loquitur. [*cap.* 35.] *Alia subinde manus Germanorum Elitovio duce vestigia primorum secuta, eodem saltu favente Belloveso cum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, (locos tenuere Libui) considunt.* Ibi (inquam) Glareanus pro *Germanorum*, *Caenomanorum*, reponit: sed male. Nam etsi Caenomani Transalpinae Galliae populi fuere, & quidem duplices (nam & Celtarum, & Aquitaniae fuerunt Caenomani.) regioque Italiae, ubi Brixia ac Verona urbes sunt (latius tamen, quam Livius tradit Caenomanorum fines extendebantur.) Caenomanorum est vocitata, non tamen ob id nomen ipsum solum debuit in tam praecipitem animadversionem Glareanum trahere. Potuit enim fieri, ut Galli, qui Elitovio duce in has partes penetraverunt, invenerint regionem vocari Caenomanorum, fortasse a Caenomanis Aulercis, qui duce Belloveso ante in Insubres venerant. (Caenomanos autem Aulercorum gentem fuisse testantur aperte Ptolemaeus & Plinius [*lib.* 4. *c.* 18.]) Nam & Bellovesus circa Ticinum populos invenit, Livio ibidem [*cap.* 34.] auctore, *Insubres appellatos, cognomines Insubribus, pago Heduorum.* Quid? quod censent nonnulli, multo ante omnium Gallorum in Italiam adventum Caenomanos meos a Cidno, qui cum Eridano regionem eam coloniis implevit, nomen invenisse? *Cidnomanos*que prius, deinde *Caenomanos* esse vocatos? Nec me latet, quid Plinius subobscure de origine Caenomanorum *lib.*

III. *cap.* 19. tradat *ex Catone.* Omnino quidquid ſit, vetus lectio mutanda non eſt, ſed retinenda. atque de Germanis, Gallis, id eſt, Cisrhenanis apud Livium intelligendum eſt. Etſi Glareani animadverſio (adeo viſa eſt plauſibilis propter voces cognomines) ſecum traxit, quicunque poſt eum ſcripſere.

Cum igitur Livius in tranſitu Gallorum in Italiam Germanos nominavit, Germanos non Transrhenanos, ſed Cisrhenanos, qui ſunt in tertia parte Galliae ex diviſione Caeſaris, quam Belgae olim dicti tenuerunt, intellexit. Neque vero fuerit omnino ἀπροσδιόνυσον admonere, ſolere me hoc itidem modo Virgilianum illum verſum in Bucolicis exponere. [*Ecl.* I. *vſ.* 63.]

Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

Ubi συνεκδοχικῶς Germaniam pro Gallia, partem nimirum provinciae pro tota provincia, accipio.

CAPUT VIII.

Comoedia unde dicta. Drama.

Comoediam volunt aliqui nomen inveniſſe (*a*) ab iis, qui tenuiores ipſi a potentioribus in agris injuriam paſſi, nocte urbem ingrediebantur, & in

(*a*) De variis vocis *Comoediæ* originibus ex mente Veterum Grammaticorum vid. *Diomed.* Grammaticum Latinum *Lib.* III. *p.* 485. *Ed. Putſchii.* Habentur etiam nonnulla huc ſpectantia in *Diomedis* Scholiis ad *Dionyſium Thracem* inceditis, de quibus vide Virum Celeb. & optime de me meisque ſtudiis meritum *P. Burmann.* ad *Valeſ. de Critica Lib.* I. *c.* I. *p.* 145. Ea cum edita non ſint, & nonnulla complectantur ad illuſtrationem eorum, quæ *Matius* habet hoc in capite, huc adſcribam. Sic igitur ille: εὑρέθη δὲ ἡ κωμῳδία, ὥς φα-

& in viis nominatim eos canendo indicabant. quoniamque id faciebant ſomni tempore, id eſt τȣ͂ κώματος, propterea hinc dictam comoediam volunt. Alii ἀπὸ τῶν κώμων id eſt, *pagis*, deducunt. quod nondum conſtitutis urbibus, in pagis, vel etiam in compitis, id eſt, ἐν ταῖς κώμαις (utrumque enim ſignificat κώμη.) laeti ruſtici ac oſtentabundi id genus carminis canebant, quod poſtea accedente arte in comoediam eſt expolitum. idque factum in Lenaeis. (Dionyſia nonnulli ſcribunt, cum tamen Lenaea

σιν, ἔκ τινος τοιαύτης αἰτίας. βλαπτόμενοί τινες γεωργοὶ παρὰ τῶν πολιτῶν, τῶν ἐν Ἀθήνησι, καὶ θέλοντες ἐλέγχειν αὐτοὺς, κατῄεσαν ἐν τῇ πόλει, καὶ περὶ τὸν καιρὸν τοῦ καθεύδειν περιιόντες περὶ τὰς ἀγυιὰς, ἔλεγον ἀνωνυμῶς τὰς βλάβας αὐτῶν. ἵνατε σαφέστερον εἴπωμεν, τοιαῦτά τινα ἐβόων. ἐνταῦθα μένει τις, τάδε καὶ τάδε ποιῶν τισι τῶν γεωργῶν, καὶ οὐ μικράς τινας βλάβας ἐπιφέρων αὐτοῖς, ὥστε τοὺς γειτνιῶντας ἀκούοντας, ἡμέρας γινομένης πρὸς ἀλλήλους λέγειν, ἃ νύκτωρ παρὰ τῶν γεωργῶν ἤκουσαν· ἐπονείδιστον δὲ ἦν τῷ ἀδικοῦντι· τὸν δὲ ἐμφανιζόμενον τοῖς ἐπὶ τῆς πόλεως αἰδεῖσθαι, καὶ παύεσθαι τῆς τοιαύτης ἀδικίας. τούτοις πολλάκις παρακολουθήσαντες πολλοὶ τῶν ἀδικούντων ἀνέστειλαν· ὅθεν τοῖς τῆς πόλεως ἔδοξαν (l. ἔδοξεν) ἐπ' ἀγαθῷ γεγονέναι τὸ ἐπιχείρημα τῶν κομικῶν, (f. κωμικῶν vel κωμητῶν) καὶ ἀναζητήσαντες αὐτοὺς ἠνάγκησαν καὶ ἐπὶ θεάτρου τοῦτο ποιεῖν. οἱ δὲ αἰδούμενοι, μᾶλλον δὲ φοβούμενοι, τρυγὶ περιχρίοντες αὐτῶν τὰς ὄψεις, οὕτως εἰσίεσαν. καὶ ἔτι μᾶλλον ἐλεγχομένων τῶν ἀδικούντων ἐπὶ θεάτρῳ ἀνοχὴ τῶν ἀδικιῶν ἐγίνετο, τῆς αἰδοῦς ἔτι συνοιχούσης (l. συνοικούσης) τοῖς ἀνδράσιν. ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς (f. τοῖς) τῆς πόλεως τὸ ἐγχείρημα καλῶς ὑπάρχειν, καὶ λόγους ἄνδρας αὐτὸ μεθιέναι. (forte leg. καὶ λογίους ἄνδρας αὐτὸ μετιέναι, ut ſenſus ſit, viſum fuiſſe civibus hoc inſtitutum pulchrum eſſe, iisque placuiſſe, ut illud perſequerentur & excolerent viri diſerti & eloquentia non deſtituti.) Jam ea ſequuntur, quæ de Suſarione ex hoc Scholiaſte protulit Erud. *Bentlejus* in Anglice ſcripta *diſſertatione de Epiſtolis Phalarid. p.* 203. ipſique Suſarionis Jambi, ibidem egregie emaculati. Dein interjectis quibusdam de veteris, mediæ, & novæ Comoediæ differentiis, ſic pergit *Diomedes.* εἴρηται δὲ ἡ κωμῳδία οἱονεὶ ἐπὶ τῷ κώματι ᾠδὴ, καὶ γὰρ περὶ τὸν καιρὸν τοῦ ὕπνου ἐφευρέθη· ἢ ἡ τῶν κωμητῶν ᾠδὴ· κῶμαι γὰρ λέγονται οἱ μείζονες ἀγροί.

naea a Dionyſiis ſint diverſa auctore Laërtio *in vita Platonis* [*lib.* III. *c.* 56.] ſed id paullo poſt ſolvemus.) Alii in Nomii Apollinis feſtis tradunt. Sunt qui inde habere nomen volunt, quod ἐν ταῖς κωμάσεσι τȢ̃ Διονύσȣ originem habuerit. Alii ἀπὸ τῶν κώμων quidem deducunt. non quod ἐν ταῖς κώμαις cantari coepta ſit, ſed quod, qui ἐν ταῖς κώμαις ruſtici ab nobili aliquo injuriam accepiſſent, nocte urbem ingrediebantur, & in ea urbis regione, ubi habitabat auctor injuriae, clamabant. Hic (nomen dicebat) injuriam agricolae (nomen quoque ſuum dicebat) fecit, θεῶν ὄντων καὶ νόμων. Nonnulli alii ἀπὸ τȢ̃ κωμάζειν, ſive id verbum *comeſſare* ſignificat, qua in ſignificatione ſaepe accipitur: quod poſt convivia laeti in pagis carmina quaedam rudia & incondita, quae poſtea in comoedias ſunt expolita, cantarent: ſive etiam κωμάζω ſignificat δρᾶμα ᾄδω, καὶ ὑβρίζω, quod tradit Suidas, id eſt *comoedias cano, & petulanter in aliquem dico.* quae quidem in antiqua comoedia fuit impune omnibus licentia maxima. ut non magis κωμάζω ἀπὸ τȢ̃ κώμȣ, quae vox inter alias notiones *convivium*, & *Comum* Deum comeſſationum & petulantiae ſignificat, quam ἀπὸ τῆς κώμης, id eſt a pago & compitis duci queat. Sed Ariſtoteles in *lib. de arte Poëtarum* [*cap.* 3.] comoediam non à κωμάζω, verum omnino ἀπὸ τῆς κώμης agnoſcit, Dorienſibus comoediae originem ab Athenienſibus vindicans. Affirmat enim Dores Comoediae atque etiam Tragoediae, non Athenienſes fuiſſe repertores. probatque hoc argumento ab etymologia vocis utriusque Comoediae & Dramatis ducto: contendens κώμη vocem, unde comoedia eſt dicta, eſſe vocabulum Megarenſium, qui Dores fuere, non Athenienſium. Qui Athenienſes pagos vocant δήμȣς, non κώμας. Item cum δρᾶμα,

 quo

quo nomine significatur *fabula* (sic enim vertendum fuit, non *actus*, ut fecerunt nonnulli) id est comoedia & tragoedia ἀπὸ τοῦ δρᾶν, quod Doricum est verbum, non Atticum, deducatur, patet Drama, id est, utramque comoediam & tragoediam ab Doribus non Atheniensibus manavisse. Nam Athenienses πράττειν dicunt, quod Doribus est δρᾶν. sicut δήμους Attici vocant, quas κώμας Dores appellant, unde comoediam dictam volunt, ut si tragoediae & comediae inventionem Atticis tribuamus, necesse sit δράματα appellata esse ab eorum verbo πράττειν πράγματα: & comoedias δημωδίας ἀπὸ τῶν δήμων, Attico item verbo. At (dicet aliquis) cur tam morose & παρέργως Aristoteles originem quaerit comoediae & tragoediae? Ut Platonem magistrum suum, a quo vel longe captata opportunitate saepe dissentit, doceat non vere sensisse, quod in Minöe confirmet, tragoediam inventum Atheniensium multo ante Thespim & Phrynichum fuisse. Sed enim quam firmiter pugnet contra Platonem Aristoteles solo fultus argumento etymologiae, statuant alii. in quo tamen si firmamenti satis sit, non vindicabit tamen Doribus Comoediam ob id, quod Megarensium vox sit Comoedia. Quippe Megarenses initio Jones Atticique fuere non Dores, ut duobus in locis docet Pausanias *in Atticis.* ut Strabo *initio lib.* 9. ad quos lectorem rejicio. Sunt etiam qui comoediae Originem ad Siculos referant auctores. vid. Solin. *cap.* 11.

Sed quod de Lenaeis & Dionysiis sive Dionysiacis polliciti sumus, legimus in Midiana Demosthenis, & alibi etiam apud eumdem, praeterea apud Scholiasten Acharnensium *Aristoph.* [*ad vs.* 377.] bina Dionysio (*a*) diversis temporibus constituta fuisse

(*a*) Imo vero tria fuere Dionysia, τὰ κατ' ἀγροὺς, quamen-

ſuiſſe Dionyſia. Vere in urbe, in agro in Leno alio die. Utraque autem Dionyſia dicta ſunt. proprie autem quae in Leno (Lenus Atticae vicus fuit) Lenaea ſunt vocitata. Qui igitur Dionyſiis originem habuiſſe comoediam ſcribunt, Lenaea quidem intelligunt, ſed nomen generis pro ſpecie accipiunt.

menſe Poſideone celebrabantur. τὰ ἐν ἄϛει, quæ veris initio, menſe Elaphebolione agebantur. Conf. *Theophraſt. charact. c.* 4. & ibi *Caſaubon.* eundemque *ad Athen. L.* vi. *c.* 15. *p.* 445. Et denique τὰ ἐν λίμναις, quæ & ἀρχαῖα dicuntur, & incidebant in menſem Antheſterionem. Vid. ſummum *Scalig. de Emend temp. Lib.* 1. *p.* 29. *Petitum ad leg. Att. p.* 45. & *Spanhem. in princip. Comment ad Ariſtoph. Ranas.* Verum notandus imprimis de Dionyſiis *Heſychii* locus, qui ita habet. Διονύσια, ἑορτὴ ἀθήνησιν, ἣ Διονύσῳ ἤγετο. τὰ μὲν κατ' ἀγρούς μηνὸς ποσειδεῶνος. τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς ληναιῶνος. τὰ δὲ ἐν ἄϛει ἐλαφηβολιῶνος. Cujus quidem Gloſſæ media verba, τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς ληναιῶνος, corrupta cum ſint, varie à Viris Doctis reſtituuntur, ut ex luculentiſſima Grammatici editione, à Viro ſummo *J. Alberti* procurata, videre licet. Diu vero eſt, quod cum *Heinſio*, *Salmaſio*, *Sopingio* & *Voſſio* legendum cenſuerim, τὰ δὲ ληναῖα μηνὸς ληναιῶνος, atque ita ληναίων nomine deſignaſſe *Heſychium* illud Bacchi feſtum, quod alii Διονύσια ἐν λίμναις vocant. Et hujus conjecturæ veritas patet, cum quod illud Bacchi feſtum, quod Lenæone menſe celebrabatur, ληναῖα vocet ipſe Grammaticus in voc. ληναίων μήν, tum quod ληναῖα acta fuiſſe ἐν λίμναις ſcribat in voc. λιμνάγενες. Præterea in voc. ληναίων μήν, menſem Lenæonem æquiparat Boeotiorum Hermæo, qui ſecundus in eorum anno menſis eſt. Cumque primus Bucation reſpondeat Athenienſium Gamelioni, vid. *Joſ. Scalig. de Emend. Temp. Lib.* 1. *p.* 53. ſequitur, ut Hermaeus conveniat eorum Thargelioni, quo menſe celebrata fuiſſe τὰ ἐν λίμναις Dionyſia veteres omnes tradunt. Etiamſi autem probabiliter admodum docuerit *Dodwellus de Veter. Græc. & Rom. Cyclis Diſſ.* v. §. 17. 18. Lenæonem conveniſſe cum Bucatione, nihil tamen obſtat, cur non potuerit Heſychius erroneam illlorum opinionem ſequi, qui Lenæonem ab Hermæo diverſum non eſſe, & proinde Antheſterioni reſpondere putant; adeoque ſcribere Διονύσια ἐν λίμναις, ſive ληναῖα ſecundum ipſum, celebrata fuiſſe menſe Lenæone. Utrum vero recte, an ſecius cenſuerit Lexicographus ληναῖα eadem eſſe cum Dionyſiis ἐν λίμναις, nunc ne nimius ſim, non diſquiram.

CAPUT IX.

Virgilii locus explicatus. India duplex. Mare Persicum, Rubrum, & Atlanticum.

Nicolaus Siccus civis meus, vir belli pacisque virtutibus ornatissimus admirari se magnopere aliquando mihi solitus est narrare, cur Virgilius Persidem Aegypto vicinam scripserit: curque Nilum fluvium ab Indis decurrere cecinerit his verbis *Georg.* IV. [*vs.* 287. *seqq.*]

Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura faselis:
Et viridem Aegyptum nigra foecundat arena.
Et diversa ruens septem discurrit in ora
Usque coloratis amnis devexus ab Indis,
Quaque pharetratae vicinia Persidis urget,
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.

Sane res est animadversione dignissima. praesertim cum ex interpretibus alii hic suspendant pedem; alii etiam vitiatum esse locum sint arbitrati. Sed sanus integerque est, solaque indiget explicatione. Nodus autem ille, quem esse duplicem diximus, scilicet quomodo Aegypto vicinam esse Persidem recte dixerit: & Nilum ab Indis decurrere, dissolvetur, & expedietur parvo negocio, cum probavero Rubrum mare, cujus Arabicus sinus pars est, etiam Persicum esse appellatum. quo Rubro mari sive Persico Aegyptus ab oriente alluitur. quae res priorem tollet dubitationem. cumque ostendero Aethiopiam, per quam Nilus decurrit, & alias interiores Africae regiones, Indiam vocari. quo cognito alter nodus expedietur. Illud tamen multo ante moneo: limitem Africae, qua parte Asiam spe-

ſpectat, non eumdem ab omnibus ſtatui. Multi Nilum fecere: Pomponius Mela [*lib.* I. *cap.* 8.] Catabathmon: Ptolemaeus, quem ego ſequor, Arabicum maris Rubri ſinum & Iſthmum. Idque Homerum & eruditiores ſecutos eſſe abunde docet Strabo *lib.* I. *&* II. Ac Rubrum mare Graecis Erythraeum dictum ab Erythro Rege: qui primus Oaractae (quam tamen Mela *lib.* III. *cap.* 8. Ogyrim, Strab. *lib.* XVI. [*pag.* IIII. *Ed. Almelov.*] Tyrinam vocat) inſulae contra Carmaniam imperium tenuit; non eſt ſolus ſinus Arabicus, quem Hebraei duce Moſe ſiccis veſtigiis tranſierunt, & quo Chencres Pharao obrutus eſt divino beneficio, non magico veneficio, ut Beroſus tradit. ſed hoc nomine totus Oceanus Indicus, Carmanicus, Perſicus, Arabicus, & Aegyptius, totusque Africus ad Atlanticum continetur. Quae res auctoritatibus demonſtrabitur. deinde oſtendam hoc, quod dixi, Rubrum mare etiam Perſicum fuiſſe appellatum, ut intelligatur, recte a Virgilio dictum fuiſſe Perſidem Aegypto vicinam. Ac de priore prius.

Joſephus *Antiquitat. Judaic. lib.* I. [*cap.* I. *ſect.* 3.] *Euphrates autem & Tigris in mare Rubrum feruntur.* Diodorus Siculus *lib.* III. *cap.* 3. *Euphrates & Tigris per Babyloniam fluentes in mare Rubrum deferuntur.* Idem *lib.* XIX. *Tigris in Rubrum exit mare.* Arrianus *lib.* VIII. *de rebus geſtis ab Alexandro* (*a*). *Perſidis regionem tripliciter dividi fama eſt. nam quae pars ejus ad mare Rubrum reſpicit, arenoſa eſt & ſterilis.* Tacitus *lib.* II. [*Annal. c.* 61.] *Exin ventum Elephan-*

(*a*) Habentur hæc in *Arriani Hiſtoria Indica cap.* 40. *p.* 355. *Ed. Gronov.* quam quidam olim, ſed perperam, pro Octavo operis de Expeditione Alexandri libro habuerunt, v. notas *Gronovii ad princ. hujus libri.*

phantinen & Syenen, claustra olim Romani imperii, quod nunc Rubrum ad mare patescit. Plinius *lib.* VI. *cap.* 24. *de Carmania* loquens, *Irrumpit deinde in hac parte geminum mare in terras, Rubrum dixere nostri. Graeci Erythreum a rege Erythra: aut (ut alii) solis repercussu talem reddi colorem existimantes: alii ab arena terraque: alii tali aquae ipsius natura. Sed in duos dividitur sinus. is qui ab oriente est, Persicus appellatur. XXV. M. pass. circuitu, ut Eratosthenes tradit. ex adverso est Arabia cujus XII. M. pass. est longitudo. rursus altero ambitur sinu Arabico nominato.* Idem *cap.* 25. *Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia. ita enim dividunt provincias circa duo (ut diximus) maria: Rubrum à meridie, Hircanum a Septemtrione.* Et *cap.* 26. *Persae Rubrum mare semper accoluere, propter quod is sinus Persicus vocatur.* Et ibidem, *A mari Rubro si Tigri navigatur. CCCXX. M.* Et *cap.* 27. *ejusdem lib. Namque in Mediam, Parthiam, & Persidem ab oriente Indo, ab Occidente Tigri, a Septemtrione Tauro Caucaso, a meridie Rubro mari terminatur.* Arrianus *lib.* 8. [*Hist. Ind.c*. 19.] *Usque in Sinum Persicum, quem alii mare Rubrum appellant.* Et paullo post. *Sinus Persicus introrsus recedit, quem mare Rubrum appellamus.* Sicque saepe alibi apud eumdem. Auctor *de Viris Illustribus cap.* 77. de Pompejo loquens: *Primus in Hircanum, Rubrum & Arabicum mare usque penetravit.* Curtius (*a*) *lib.* IV. [*cap.* 12. §. 9.] *Indi, ceterique Rubri maris adcolae.* Idem *lib.* V. *de Tigri & Euphrate.* [*cap.* 1. §. 15.] *Eadem per Babyloniorum fines in Rubrum mare pertinet.* Idem *lib.* VI. [*cap.* 2. §. 12.] *Hinc Parthienem* ven-

(*a*) In prima hujus libelli editione scriptum est *Justinus*, quod vitium correxi, cum ea quæ hic & in sequentibus profert *Matius* omnia apud *Curtium* reperiantur.

ventum est, tunc ignobilem gentem, nunc caput omnium, qui post Euphratem & Tigrim amnes siti Rubro mari terminantur. Idem *lib.* VII. [*cap.* 3. §. 21.] *Perpetuum habent dorsum: ex quo Asiae omnia fere flumina, alia in Rubrum, alia in Caspium, alia in Hircanium & Ponticum decidunt.* Idem *lib.* VIII. [*cap.* 9. §. 14.] *Mare certe, quo alluitur (India) ne colore quidem abhorret a ceteris: ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Pomponius Mela *lib.* I. *cap.* 2. *Tribus hanc (Asiam) e partibus tangit Oceanus, ita nominatus, & locis differens. Eous ab Oriente: a Meridie Indicus: a Septemtrione Scythicus.* Et paullo post: *Ex illo Oceano, quem Indicum diximus, Arabicum mare & Persicum, &c.* Item *lib.* III. *cap.* 7. *Inde (ab Indico) ad principia Rubri maris pertinent.* Et paullo post: *Duosque (Rubrum mare) iterum sinus aperit: Persicus vocatur dictis regionibus propior: Arabicus ulterior.* Solini verba ex *cap.* 67. non apponam; sunt enim prope ad verbum ex Mela & Plinio trallata. Strab. *lib.* XI. [*pag.* 797.] *Persae magna ex parte mare Rubrum accolunt.* Idem *ibidem.* [*p.* 801.] *In Rubrum mare Euphrates & Tigris exeunt.* Idem *lib.* XVI. [*pag.* 1110.] *Orientale Persicus sinus, Occidentale Arabicus, Australe mare magnum, quod extra utrumque est sinum. idque totum mare Rubrum vocatur.* Idem *eod. libro. Rubrum mare contra Persiam. &c.* Ubi varias opiniones unde dicatur Erythraeum affert. Herodotus autem sic. [*lib.* VI. *cap.* 20.] *Milesii a caede conservati dehinc Susa perducti sunt: quos rex Darius nulla alia poena afficiens collocavit in urbe Ampe ad mare, quod Rubrum vocatur, sita.* Idem *lib.* IV. [*cap.* 37.] *Ubi Persae incolunt, id ad australe portenditur mare, quod dicitur Rubrum.* Et paullo post: [*cap.* 40.] *Quae supra Persas sunt &*

Me-

Medos, & Sapires, & Colchos, auroram versus & solem orientem, hi Rubro alluuntur. Idem *lib.* I. [*cap.* 189.] *Cyrus Babylonem tendens, ubi venit ad Gynden amnem, qui Matienis ortus montibus per Dardaneos in Tigrim amnem fluit, qui Opim urbem praeterlabens Rubro infunditur mari, conabatur hunc fluvium Gynden transire.* Et paullo supra. [*cap.* 180.] *Euphrates, qui magnus, & altus, & celer ex Armeniis in Rubrum mare decurrit.* Et *eodem libro.* [*cap.* 202.] *Nam & illud, quod Graeci omne pernavigant, & id quod extra columnas vocatur Atlanticum & Rubrum, idem mare est.* Eodem etiam nomine fere semper appellat Dio. Ac quod hic Herodotus Rubrum mare Atlanticum vocat, idem facit & Strabo *lib.* XVII. *Ab occidente* (inquit) *Indus fluvius australe & orientale latus, quae sunt aliis majora, in Atlanticum pelagus.* Xenophon *lib.* VIII. Paediae Cyri ad finem bis Erythraeum mare pro Persico & Indico posuit. ut interim scrupulum ex eo auctore tollamus, qui multos doctos male habuit, qui existimantes mare Rubrum esse solum sinum Arabicum, concipere non poterant quomodo fieri posset, ut ab Oriente regnum Cyri Rubro mari terminaretur. Xenophontis verba sunt haec. [*pag.* 188. *Ed. Leuncl. An.* 1569.] *Itaque illius imperii termini fuerunt, ad orientem quidem Rubrum mare. ad Septemtrionem autem Euxinus pontus. ad occidentem vero Cyprus & Aegyptus. ad meridiem autem Aethiopia.*

Atque haec satis sint ad ostendendum, mare illud totum, quod ab Eoo ad Aegyptum, Aethiopiam, & ad reliquam littoralem oram ejus partis Africae protenditur, Rubrum fuisse ab antiquis appellatum. Restat nunc, ut probemus, hoc Rubrum mare etiam Persicum fuisse appellatum. quo intelligatur, bene dictum esse a Virgilio, Persidem

(nihil autem refert Perſicum mare aut Perſidem dixiſſe) Aegypto vicinam eſſe. Igitur Strab. *lib.* xi. [*pag.* 792. *Ed. Almel.*] *Tigris & Euphrates coeunt, deinde in mare Perſicum emittuntur.* Plinius *lib.* v. *cap.* 26. *Neceſſarium eſt hoc in loco ſignare & Medorum ſitum, terrarumque faciem circumagere ad Perſicum mare.* Et paullo poſt: *Perſae Rubrum mare ſemper accoluerunt: propter quod is ſinus Perſicus vocatur.* Et ibidem *de Tigri* loquens: *Mox alveo vaſto profuſus, dextra Characis oppidi infertur mari Perſico decumo ore.* Idem *lib.* xii. *cap.* 9. *Gentes ſupradictas Perſis attingit, Rubro mari, quod ibi Perſicum vocavimus, longe in terra aeſtus agente.* Herodotus *lib.* iv. [*cap.* 39.] *Altera vero a Perſis incipiens porrigitur ad Rubrum mare, quod & Perſicum vocatur.* Atque haec etiam ſufficiant. Si ergo Perſicum mare Rubrum mare eſt, & Aegyptus alluitur Arabico ſinu, qui eſt Perſici ſive Rubri maris pars, jam clare patet Aegyptum Perſidi, id eſt Perſico mari vicinam eſſe. Atque quod ad Arabicum ſinum pertinet, mirum videri debet nemini, ſi mare Perſicum dicatur, toto ſcilicet mari pro parte accepto. Sic multi Graeci Hiſtorici facere conſuevere: qui Adriaticum ſinum, Jonium frequenter vocant. Sic Pauſanias *Meſſeniacis* & *Atticis*, & *Eliacorum* ſecundo, ſic Strab. *lib.* ii. vi. & vii. ſaepe. ſic Procopius *in hiſtoria aedificiorum Juſtiniani.* ſic facit Plutarchus *in Antonio*, ſic Thucydides *lib.* i. vi. & vii. Sic Diodorus *lib.* xiii. & xvi. Sic Lucianus *in Dialogo* ἔρωτες. Sic Horatius *Epod. in Maevium* [*od.* 10.] *Herodiani ex lib.* viii. de Alpibus loquentis verba ponam, & Ariſtidis. ille igitur ſic ſcribit. [*c.* i. §. 12.] *Laeva ad Tyrrhenum pelagus. dextra ad Jonium uſque pertingentes.* Ariſtides vero *in Oratione de Urbe Roma.* [*Tom.* i. *pag.* 199. *Ed. Jebbii.*] *Futuraque*

una

una urbs perpetua in Jonium mare protensa. Dio quoque *lib.* XLI. *Quod neque rediisse adhuc ex Hispania Caesarem putabat (Pompejus) atque ut maxime reversus esset, minime tamen suspicabatur, eum hieme Jonium mare trajicere ausurum.* Appianus saepissime de Jonio meminit, nec fere aliter cum de sinu Adriatico loquitur.

Quod vero Aegyptus diu fuerit sub imperio Persarum (si quod forte & id ad rem facit) quilibet ex Josepho, Herodoto, Beroso, & Manethone atque aliis potest cognoscere. Sed quando priorem obscuritatem illustravimus, lucem etiam posteriori afferamus: declarantes, quinam sint Indi, unde Nilus decurrit. Ac absolvi quidem res brevibus posset, si dicamus id, quod tradit Josephus *lib.* I. *Antiquitatum Judaicarum*, *cap.* 2. Nilum unum ex quatuor fluminibus, quae Paradysum, ubi collocati fuerunt a Deo Adamus & Eva primi hominum parentes, oriri quidem in orientali parte (cujus & venam esse fontem Capernaum in Judaea nonnullos esse arbitratos tradit idem *lib.* III. *cap.* 18. *belli Judaici.*) Sed occultis postea tramitibus penetrare in Aegyptum: quo in errore fuisse aliquamdiu & Magnum Alexandrum tradit Strab. *lib.* XV. [*pag.* 1020.] & Arrianus *initio lib.* VI. Pausanias etiam Corinthiacis: [*cap.* 5.] *Atque ipsum Nilum Euphratem primo esse dicunt. quem coeno absorptum latere aliquamdiu putant. rursusque emergentem supra Aethiopiam efficere Nilum.* Verum ut hanc expositionem penitus nec rejicio nec assero, ita inclinat animus huc magis, ut credam appellatione Coloratorum Indorum a Virgilio intelligi interiorem Aegyptum & Aethiopias, per quas Nilus decurrit. idque non tam, quod (ut tradit Arrianus *lib.* VIII. & Herodotus *lib.* III. & Strab. *lib.* XVII.) Aethiopia

pia Indiae ſit ſimilis: nam & Indici fluvii Crocodilos habent, ſicut & Nilus, & eosdem piſces, praeter Equum fluviatilem: & Indorum corpora atque Aethiopum hominum non multum differunt: ſed quod Aethiopes, qui utrasque Nili ripas habitant, immo longius latiusque ibi extenduntur, (ut eſt legere cum apud alios, tum apud Diodorum *lib.* IV. *cap.* 1, 2, 3. & 4.) Indi proprio nomine appellantur, non tantum hoc loco a Virgilio, ſed etiam *lib.* II. *ejusdem operis.* [*v*ſ. 116.]

—— —— Sola India nigrum.
Fert Ebenum. —— ——

Ibi enim proculdubio de Aethiopia intellexit. quoniam Aethiopiae arbor eſt Ebenus, auctore Herodoto *lib.* III. his verbis. [*cap.* 114.] *Haec* (*Aethiopia*) *& auri multum fert, & vaſtos Elephantes prominentibus utrinque dentibus: & cum agreſtes omnes arbores, tum vero Ebenum, nec non viros maximos pulcherrimosque & aevi longiſſimi.* Teſtatur id quoque Diodor. *lib.* II. *cap. ultimo. Aethiopes, qui ad meridiem ſpectant, aggreſſus victos acie tributum pendere compulit Ebenum, aurum, & Elephantorum dentes.* Et de Meröe loquens Nili inſula: *Ebenum inſuper fert.* Dioſcorides *lib.* III. *cap.* 110. in India & Aethiopia naſci Ebenum tradit. Theophraſtus *lib.* IV. *cap.* 5. Indici tantum meminit. Strabo *lib.* XV. in India, & *lib.* XVII. [*p.* 1177.] in Meröe. Sed ad Nilum. Procopius *de aedificiis Juſtiniani.* [*lib.* VI. *cap.* 1.] *Nilus* (inquit) *ab Indis in Aegyptum decurrens finitimam terram uſque ad mare in duas partes dirimit.* Neque vero (id enim ὁδοῦ πάρεργον addam) Virgilius ab Herodoto diſſentit, quod putavit Plinius *lib.* 4. *cap.* 12. cum dicit, *ſola India nigrum fert Ebenum*, ſed vel ſimul uno nomine utramque Indiam intellexit, Aſiaticam ſcilicet, & Africanam,

id

id eſt Aethiopiam: vel ſolam deſignavit cum Herodoto Aethiopiam, ſecurus quid contra Theophraſtus traderet. vidit quoque id utcumque Servius, doctus Maronis interpres, cujus haec ſunt verba.

——— ——— *Sola India Nigrum.*

Fert Ebenum.) *atqui in Aegypto naſcitur. Sed Indiam omnem plagam Aethiopiae accipimus.* De Aethiopico Ebeno & Mela *lib.* III. *cap.* 9. Sed ad Indiam revertamur. Hyginus *fab.* CCLXXV. de Thebis Aegyptiis. *Jovis in India Thebas Thebaïdos nomine nutricis ſuae, quae Hecatonpylae appellantur, ideo quod centum portas habent.* Idem *ibidem. Liber in India Hammonem &c.* Joſephus II. *belli Judaici* [*cap.* 16. *Tom.* 2. *p.* 190. *Ed. Havercamp.*] etiam tam aperte Aegyptum Indiae vicinam ponit, ut amplius de interpretatione noſtra non ſit dubitandum. *Sed quid opus eſt longe petitis exemplis potentiam explicare Romanam? cum eam poſſitis de vicina vobis Aegypto diligenter inſpicere: haec enim cum uſque ad Aethiopas porrigatur, opulentamque Arabiam, contiguaque ſit Indiae, quinquaginta & ſeptingentas myriadas habens praeter Alexandrinorum plebem &c.* Senſus porro Virgilianorum verſuum hic eſt. a mediterraneo mari (quod intelligitur cum ait:

Nam qua Pellaei gens fortunata Canopi &c.

Canopus enim eſt Aegypti ad unum ex oſtiis Nili, quod inde Canopicum vocatur) ad Perſicum mare (qui eſt Sinus Arabicus, & reliquus Oceanus alluens continuatam illam oram Aegypti & ſubſequentium regionum: quod ſignificat verſus ille:

Quaque pharetratae vicinia Perſidis urget.)

Et ad Aethiopas reliquosque circa populos (quod verſu illo declaratur:

Uſque coloratis amnis devexus ab Indis)

Totus ille tractus & ea *omnis in hac certam regio*

jacit

jacit arte salutem. Qui limites Aegypti scire cupit, praeter Ptolemaeum, & Plinium, adeat Strab. *lib.* XVII. Procopii verba non fortasse supervacuum fuerit apponere. faciunt enim ad illum versum:

Et circum pictis vehitur sua rura faselis:

Ille igitur *de aedificiis Justiniani* [*lib.* VI. *cap.* I.] *Nilus* (inquit) *Fluvius ad Alexandriam usque non decurrit, sed oppidulum quoddam, quod Cheraeum vocatur, alluens, in sinistram deinceps fertur, relictis Alexandrinorum promontoriis. Quamobrem antiqui habitatores, ne fluvii commoditate urbs omnino careret, egesta profunda fossa quadam, angusti fluminis meatum ad urbem perduxerunt, in quem alii quoque effluxus e stagno, quod Maria dicitur, exonerant. Haec fossa magnarum navium patiens non est. Sed Lembis Aegyptii fruges ex Cheraeo transferentes ad urbem convehunt, qua per fossam fluminis ope jam appropinquare possunt: atque fruges exponunt in locum, quem Phialem Alexandrini vocant.*

CAPUT X.

Censere, & locus Livii declaratus.

C*ensere* pulchram atque elegantem notionem habet apud Livium *lib.* III. [*cap.* 40.] ubi de Decemviris agit. *Cum aliud, praeterquam de quo retulissent, Decemviri dicere prohiberent, Claudium interpellandi verecundia fuit. sententiam igitur peregit: nullum placere senatusconsultum fieri: omnesque ita accipiebant, privatos eos a Claudio judicatos: multique ex consularibus verbo assensi sunt. alia sententia asperior in speciem, vim minorem aliquanto habuit, quae Patricios coïre ad prodendum Interregem jubebat. Censendo*

ſendo enim quoscumque magiſtratus eſſe, qui Senatum haberent, judicabat, quos privatos fecerat auctor nullius Senatusconſulti faciendi.

In his verbis Livii nihil eſt addendum. verum ut obſcuritas quae ineſt, tollatur, ſic locum interpungendum cenſeo. *Cenſendo enim, quoscumque magiſtratus eſſe, qui ſenatum haberent, judicabat: quos privatos fecerat auctor nullius ſenatusconſulti faciendi.* Obſcuritas, quae negocium facit, tota eſt in voce hac, *cenſendo*: cujus vis & poteſtas hic eſt perelegans. Quippe dictum eſt ab Livio abſolute *Cenſendo*, pro dicendo, ſuadendo, & probando quantum poſſit patribus ſententiam allatis rationibus, ut in eam diſcedatur. Itaque *Feſtus* inter alias ſignificationes dicit hoc verbum *cenſere* ſignificare *ſuadere* & *decernere*. Et ſane qui cenſet, in hoc cenſet, ut decernatur, & Senatusconſultum in ſententiam ſuam fiat. Totius autem loci haec eſt ſententia. Qui coire patricios ad prodendum Interregem jubebat, magiſtratus eſſe Decemviros ſic cenſendo judicabat: quos Decemviros Claudius auctor non cenſendi, id eſt, non decernendi, nulliusque Senatusconſulti faciendi privatos judicaverat. Ratio autem, quare Claudius contenderet, non poſſe nec debere fieri Senatusconſultum, eſt: quod Senatus legitime non conveniſſet: ut qui eſſet a Decemviris coactus, qui non amplius eſſent magiſtratus, ſed privati: ut quorum magiſtratus jam eſſet finitus. Itaque etſi Senatus frequens convenerat a Decemviris vocatus, tamen annitebantur cum Claudio ſeniores, ne Senatusconſultum fieret. videbant enim id eſſe praejudicium, apertamque & expreſſam confeſſionem, quod Decemviri magiſtratus eſſent. quippe quibus vocantibus & conſulentibus ſenatum, ſenatores conveniendo paruiſſent, cenſuiſſent, & Senatusconſultum eſſet factum. ſic verba haec: *Cenſen-*

do enim, quoscunque magistratus esse, qui Senatum haberent, judicabat: quos privatos fecerat auctor nullius Senatusconsulti faciendi. Haec (inquam) verba reddunt caussam sententiae superioris: quare scilicet cum asperior esset in speciem, vim tamen aliquanto minorem haberet, immo caussam publicam proderet. hanc autem esse sententiam Livius ipse paullo ante his verbis ostendit. [*cap.* 38.] *Qui aliquando spe ipsorum frequentior convenit. quo facto proditam a patribus plebs libertatem rata: quod iis, qui jam magistratu abiissent, privatisque si vis abesset, tamquam jure cogentibus senatus paruisset.* Quod vero *censere* potestatem eam notionemque, quam dixi, habeat, duobus, sed ad rem maxime appositis, exemplis Silii & Taciti comprobetur. Silius igitur *lib.* II. [*vs.* 373.] sic ait:

Factaque censendi, patrum de more, potestas.

Tacitus vero *lib.* II. [*Histor. cap.* 91.] *Ac forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium ejus censuerat.*

CAPUT XI.

Ursos & Cervos nasci in Africa: multos scriptores saepe diversa tradere.

Ostentant nonnulli ingenium & philosophantur in eo Virgilii versu de Tartaro. [*Aeneid.* VI. *vs.* 578.]

Bis patet in praeceps tantum tenditque sub umbras:
Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum.

Quaerunt hic, cur duplo majore spacio Tartara descendere, quam attollatur a terris coelum dixerit Virgilius. Verum torqueri in his quaestionibus ulli non est operae pretium. Nam licentia haec est,

quam sibi suo jure quodam vindicant poëtae; ut pro libidine in hujusmodi rebus fingant & tradant, quae collibuit. Hesiodus quippe in Theogonia pari spacio terram ab utroque Coelo & Tartaro distare scribit. [*vs.* 720.]

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐς' ἀπὸ γαίης
Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.

An non de Cerberi capitibus diversa tradunt? trium capitum Virgilius, & eum secuti innumeri latini poëtae scribunt. Hesiodus quinquaginta capitum appellat. [*Theogon. vs.* 311.]

Κέρβερον, ὠμηςὴν, ἀΐδεω κύνα χαλκεώφωνον,
Πεντηκοντακάρηνον, ἀναιδεά τε, κάρτερόν τε.

Sibyllas alii quatuor, alii decem fuisse scripserunt, ut est apud Aelianum *de varia historia lib.* XII. [*cap.* 35.] In numero liberorum Niobes dissentiunt item poëtae. verba apponam Aeliani *lib.* XII. [*cap.* 36.] *Videntur antiqui in numero filiorum Niobes inter se minime concordare. Homerus quidem sex ait fuisse mares, & totidem feminas. Lasus vero bisseptem. Hesiodus autem decem & novem. Si modo Hesiodi versus illi sunt, ac non falso, ut multa alia, illi sunt attributa. Alcman decem ait. Mimnermus viginti. Pindarusque totidem.* Hydram alii quinque, alii septem capitum scribunt fuisse. Hyginus novem. quod etiam multo ante cecinerat Alcaeus: ut est apud Scholiastem Hesiodi *in Theogonia.* [*vs.* 313.] Simonides autem eodem tradente Scholiaste quinquaginta capitum dixit. Diodorus Siculus centum. Sed de Hydra Pausanias Corinthiacis. [*cap.* 27.] *Hydra unum caput habuit. Pisander Camirensis, ut bellua videretur horribilior, & poësis efficeretur fide digna, capita Hydrae plura attribuit.* De Tityo Virgilius. [*Aeneid.* VI. *vs.* 596.]

—— per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur. —— ——

Quod

Quod ex IX. *Odyßeae* ſumptum eſt. At Hyginus ſeptem tantum. Ac ſcitu dignum eſt, quod ſcribit Pauſan. Phocaicis. [*cap.* 4. *pag.* 806.] Locum, ubi Tityus ſepultus fuit, novem jugerum fuiſſe: hic poëtae occaſionem fabulae invenerunt. Cajetam Aenëae fuiſſe nutricem Virgilius. [*Aeneid.* VII. *init.*] At Dionyſius [*lib.* I. *p.* 43. *Ed. Sylburg.*] & Livius Prochytam putavere: unde & Prochytae inſulae nomen inventum. Herculem apud alios duabus, apud alios tribus noctibus conceptum fuiſſe ſcriptum reperies, ſi Plauti Amphitruonem, Oetaeum Senecae Herculem, & Statii *lib.* XII. legas. Itaque a Lycophrone [*vſ.* 33.] τριςπέριος λέων, Hercules dicitur, & à Pallada in Epigram. Graecis τριςέληνος. Scyllam, quae in marinum monſtrum ſit verſa, Virgilius modo Niſi, modo Phorci filiam tradit (*a*). Hiſtoriae quoque graviſſimos ſcriptores diverſa ſcribere, ſaepe eſt animadvertere. In Africà urſum non naſci prodit Plinius *lib.* VIII. *cap.* 37. *& penultimo ejusdem libri.* At Solinus *cap.* 39. & Herodotus [*lib.* IV. *c.* 191.] contra ſcriptum reliquere. ut non ſit mirandum, quod Virgilius *lib.* V. [*Aenëid. vſ.* 37.] ſic cecinit:

Horridus in jaculis, & pelle Libyſtidis urſae.

Idem Plinius *eodem cap. & lib.* Africam Cervos non gignere affirmat. At Herodotus (*b*), Mela, & Virgilius aliter crediderunt. Sic enim poëta *lib.* I. [*Aenëid. vſ.* 188.]

-- -- *Tres*

(*a*) Vid. *Virgil. Æneid.* III. *vſ.* 424. *Georg.* I. *vſ.* 404. & præcipue *Eclog.* VI. *vſ.* 74. & quæ ad h. l. notarunt *Heinſius* & *Burmannus.* conf. etiam quæ ipſe auctor habet infra *cap.* LXX.

(*b*) Imo vero contrarium ſcribit Herodotus *Lib.* IV. *cap.* 192. ubi: *cervus & aper prorſus in Africa nullus eſt.* Eique adſentitur etiam *Servius* ad *Virgilii* l. c. nec puto apud Melam repiriri, quod hiſce refragetur.

—— —— Tres littore cervos
Prospicit errantes. hos tota armenta sequuntur.

Aeolias insulas, quae & Aeolides, Lipareorum, Vulcaniae, Hephestiae, & Hephestiades sunt appellatae, numero esse septem tradidere Mela [*l.* II. *c.* 7.] Plinius [*l.* III. *c.* 8.] Didymus, Solinus. [*cap.* 6.] Novem Ptolemaeus. tantum quinque Appianus Alexandrinus *lib.* V. *bellorum civilium.* [*pag.* 1158. *edit. Tollii.*] Hujusmodi sexcenta ociosis & curiosis occurrent.

CAPUT XII.

Fabulas poëtarum plerumque historiam aliquam respicere. locique aliquot Virgilii illustrati.

Non sunt ita apud poëtas fabulosa omnia, ut vulgus censet. ut nunc omittam reliquos, de Virgilio loquar. apud quem vix fabulam invenias, quae non aliquam historiam obumbret. Ecce, quid magis vanum trajectione mortuorum nauta Charonte? At id totum figmentum ex penitissima historia Aegyptiorum est petitum. qui mortuorum cadavera ex continente per Nilum & Acherusiam paludem ad sepulcrum efferebant, trajiciente portitore, quem Charontem vocarunt. Quae historia a Diodoro Siculo *lib.* III. *cap.* 6. traditur longioribus verbis, quam ut huc sint transferenda. Apud eumdem Virg. [*Aeneid.* VI. *vs.* 617.]

—— Sedet, aeternumque sedebit
Infelix Theseus. ——

Legunt hic quidam *Tereus:* quoniam eductum ab Hercule jam ex inferis locis Theseum in fabulis legunt,

gunt, nullo alio argumento ducti. at id corrumpere est auctores, non exponere, ex libidine quidquid sit libitum mutare tam leviter. quasi Virgilius non respexerit vel ad umbram Thesei: quoniam antiquorum quorumdam Theologia tenuit, mortuorum quidem corpora terrae, animas coelo, umbras vero inferis reddi: vel etiam ad fabulam, qua dicitur, Thesei nates diutina sedendi in vinculis apud inferos necessitate, lapidi, ubi sedebat, adhaesisse: & cum Hercules abreptum abduceret, agglutinatas ad saxum illas reliquisse. itaque Virgilius prudenter verbo sedendi est usus, ad nates alludens. Praeterea quoniam Theseus Atheniensis fuit, potuit & Virgilius ad illud respicere, quod de illis fertur. Nam quoniam rei nauticae essent omnino dediti Athenienses, Depyges sunt dicti a Comicis, quasi diu sedendo nates perderent, ut loquitur (opinor) Plautus. Fabula praeterea de Theseo & Perithoo ex eo ficta est, quod uterque ad Aidoneum, quem Ἄδην alii dicunt, Regem Molossorum accesserunt. qui filiam ex Cerere uxore Proserpinam nomine locare non alia conditione volebat, nisi prius canis, cui Cerbero nomen fuit, singulari certamine a proco esset superatus. Haec omnia & alia plura, quomodoque Theseus in vincula conjectus, ab Hercule fuerit liberatus, vel etiam ipse Perithous, legere quilibet potest apud Pausaniam *in Atticis*, & Plutarchum *in Theseo*, Diodorum *lib.* IV. *cap.* 3. *&* *lib.* V. *cap.* 5. *ad finem*, & apud Aelianum *lib. Variae Historiae* IV. *in principio.* Quid? illud de effera immanitate Mezentii *lib.* VIII. [*vs.* 485.] non est ex historia petitum? Cum scribit illum cadaveribus vivorum corpora alligare solitum, ut putrescerent prius, quam anima efflaretur?

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus: & ſanie, taboque fluentes
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

Audi Ciceronis verba ex Hortenſio, quae ſunt *apud Auguſtinum* IV. *contra Pelagium. Verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili affectos ſupplicio, atque eos: qui quondam cum in praedonum Etruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viva cum mortuis adverſa adverſis accommodata quam aptiſſime colligabantur. ita noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos.* Hanc eamdem hiſtoriam *lib.* VIII. *cap.* 2. *de Crudelitate* refert Valerius Max. Ciceronis verbis: *Ac ne Etruſci quidem parum feroces in poena excogitanda, qui vivorum corpora cadaveribus adverſa adverſis alligata atque conſtricta, ita ut ſingulae membrorum partes ſingulis eſſent accommodatae, tabeſcere ſimul patiebantur. amari vitae pariter ac mortis tortores.*

CAPUT XIII.

Quirinus in Euangelio Lucae non Cyrinus legendum, & apud Joſephum.

Graeci cum non habeant Q. litteram, quam Latini in multis vocibus uſurpant, ſuo K. utuntur in vertendis Latinis nominibus in ſuam linguam. Itaque Κυρῖτας, Κοΐντους, vel Κυΐντους, Κυρίνους & Ἀκυλλίους ſcribunt, quos nos *Quirites*, *Quinctos*, *Quirinos*, & *Aquillios* dicimus. carerent ergo reprehenſoribus interpretes, qui in Euangelio Lucae & apud Joſephum & Dionem, & Juvencus etiam poëta (Syllabae etiam non habita ratione) Cyrinum, vel Cyrenium, vel Cyreneum verterunt, ſi *Qui-*

Quirinum transtuliſſent. fuit enim Syriae Praefectus P. Sulpicius P. F. P. N. Quirinus. qui jam Coſ. fuerat cum M. Valerio M. F. M. N. Meſſala Barbato Aimilio. Hic P. Sulpicius Quirinus in Syria (Syriae autem Judaea provincia erat) cenſum egit: illuc miſſus ab Auguſto ad id curandum, & praeterea ad Archelai Romam deportandas pecunias, quem privatum Toparchia in Urbem Galliae Viennam cum uxore Glaphira idem Auguſtus relegaverat. Ac de hoc Quirino Joſephus *lib.* VII. & *in fine lib.* XVII. & *principio* XVIII. belli Judaici, & Capitolini lapides. qui cum per ſe ſatis magnam fidem faciunt, *Quirinum* non *Quirinium* ſcribendum, tum haud temere umquam leges Cognomen ullum ad ea uſque tempora in IUS prolatum (*a*). Cenſum autem, de quo eſt in eodem Lucae Euangelio, cur Auguſtus inſtituerit, ut univerſae civitates, & privatim & publice res ſuas ruſticas & urbanas profiterentur, lege apud Dionem & Xiphilinum *lib.* LVI. Quirinus ergo & apud Lucam, non Cyrinus, & praeterea apud Cornelium Tacitum ſcribendum, qui ſaepe hujus Quirini meminit: quamquam omnes libri *Quirinium* habent, ut vertêre etiam Dionis interpretes, ſed male.

(*a*) Iisdem rationibus, ut verum ſuum nomen Quirino adſereret, uſus eſt Cel. *Perizonius* in *Diſſertat. de Auguſtaea Orbis terrarum deſcriptione* §. 30. Atque ita etiam P. SULPITIUS QUIRINUS dicitur in Marmore apud *Murator. Theſ. Nov. p.* DCLXX. 1. quod ante aliquot annos ſpeciali Diſſertatione egregie illuſtravit Vir Ampliſſ. *A. vander Mieden.* Errat igitur *Lipſius*, cum ad *Taciti Ann.* III. *cap.* 48. vulgatam in Tacito ſcripturam defendit.

CAPUT XIV.

Horatius expositus.

Una littera dempta illustrat obscurum & corruptum una tantum littera supervacua locum apud Horat. *lib.* I. *Serm. Satyr.* VII. [*vs.* 9. *seqq.*] cujus plures versus describendi sunt, ut periodus, quae longiuscula est, integra praesentetur.

Ad regem redeo. postquam nihil inter utrumque
Convenit; (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors:
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. duo si discordia vexat inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
Muneribus missis) Bruto Praetore tenente
Ditem Asiam, Rupilî & Persî par pugnat, uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. ——

Quorum versuum haec est sententia cum verborum ordine. Postquam orta inter Rupilium & Persium rixa, Bruto Praetore ditem Asiam tenente, inter utrumque nihil convenit, nec ullo pacto ea rixa componi potest, sic exarsere, & sic pugnat uterque inter se belle, ut Bacchius cum Bitho melius non sit compositus. Parenthesis enim multorum versuum fecit longissimum hyperbaton eorum verborum. *Bruto Praetore tenente ditem Asiam Rupilî & Persî par pugnat, uti non compositus melius cum Bitho Bacchius.* postquam igitur inter utrumque nihil convenit ob hanc causam quoniam pares sunt uterque, & neuter alteri cedit de suo jure, ut sic dicam:

cam: par enim pari vix umquam cedit. quod contrario duorum ſtrenuorum exemplo fit clarum. ut enim capitales inimicitiae ſunt inter duos ſtrenuos, ut in quorum utroque ſumma ſit virtus, nec alter quieſcit niſi altero oppreſſo, cujusmodi fuit inter Hectorem & Achillem ira, quam capitalem & irreconciliabilem faciebat ſumma in utroque virtus, ſic ſi duo inertes diſcordia vexat, eodem jure & eadem pertinacia omnes (*omnes* hic valet, *utrique*) moleſti implacabilesque ſunt, quoniam in his eſt ſumma inertia, ut in illis ſumma fuit virtus. Poſtquam (inquam) nihil inter utrumque convenit, pugnat par, intellige, ſic belle, uti non ſit compoſitus melius cum Bitho Bacchius. At ſi diſparibus bellum incidat, qualis fuit inter Diomedem & Glaucum pugna, cito facileque hic componitur finiturque contentio. inferior enim vel ultro miſſis muneribus cedit ſuperiori & meliori. Ergo ut ex Horatianis verſibus ſequatur haec ſententia, quae ſic eſt eorum verborum germana, ut vocari in controverſiam probabili ratione non poſſit, *At*, non *Aut*, in eo verſu legendum eſt. *At ſi diſparibus bellum incidat.* etiamſi veteres & novi libri, quos quidem viderim, habent, *Aut*, ab nullo interprete leviſſimo ſed moleſtiſſimo errore hactenus animadverſo.

Ac ne ille quidem alter ejusdem poëtae verſus *Satyr.* IV. [*vſ.* 87.] ab aliquo ſatis eſt luculenter declaratus:

E quibus unus avet quavis aſpergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam. ——

Hic enim *praebere aquam*, non eſt balneum convivis dare, ut exponunt aliqui, ſed materiam & facultatem ad adſpergendos libertate procacioris linguae convivas ceteros. cumque uſus ſit hoc verbo *aſpergere*, pro vellere, pungere, ſecare, defricare,

care, mordere, proſcindere, in eadem eleganti perſiſtens metaphora dicit, *praeter eum, qui praebet aquam*, id eſt praeter convivatorem, qui ad adſpergendos ceteros ſalibus & petulantia praebet aquam, id eſt convivium apparatum & lautum, ubi bene habiti, acceptique prolixe convivae hilaritatem principio, deinde caleſcente frequenti invitatione, mente petulantiam ſumunt ad ceteros perfundendos & aſpergendos.

CAPUT XV.

Livii locus emendatus.

In reſtituendo Livio, qui foedis maculis hactenus fuit inquinatus, elaborarunt multi docti viri. Sed enituit ſuper ceteros opera Caroli Sigonii ſic, ut de eo merito dici poſſit, quod de Tireſia apud Homerum cecinit Ulyſſes, datum eſſe nimirum illi

Οἴῳ πεπνύσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Reſtitui ego quoque atque expoſui locos aliquot. nunc non eſt praetermittendus ille ex *lib.* v. [*cap.* 10.] cui cum remedium ullum opportunum afferre Glareanus non poſſet, fruſtra elaborandum eſſe non putavit. Livii verba haec ſunt: *Comitiis Tribunorum plebis numerus expleri nequiit. pugnatum inde, in loca vacua ut patricii coöptarentur. poſtquam obtineri non poterat, tandem labefactandae legis tribuniciae cauſſa effectum eſt, ut coöptarentur Tribuni plebis C. Lucerius & M. Acutius haud dubie patriciorum opibus.* [*cap.* 11.] *Fors ita tulit, ut eo anno Tribunus plebis C. Trebonius eſſet.* Hactenus bene ſe habent omnia. quae vero ſequuntur, auxilio egent. *Is, quod petiiſſent patres quidam, primo incoepto repulſi, tamen* *Tri-*

Tribunos militum expugnaſſe vociferans, legem Treboniam ſublatam, & coöptatos Tribunos plebis non ſuffragiis populi, ſed imperio patriciorum; & eo devolvi rem, ut aut patricii, aut patriciorum aſſeclae habendi Tribuni plebis ſint: eripi Sacratas leges, extorqueri tribuniciam poteſtatem: id fraude patriciorum, ſcelere ac proditione collegarum factum arguere. Fateor, ſi ſic legatur, nec hiſtoriam conſtare, nec ſenſum integrum elici poſſe. Itaque partim ex ingenio, partim ope antiqui ſcripti libri adjutus ſic emendo, ut pro, *Patres quidam primo incoepto repulſi*, legam & interpungam ſic. *Patres, primo quidem incoepto repulſi, tamen Tribunos &c.* ubi duae illae particulae, *quidem*, & *tamen*, ſibi pulcherrime reſpondent. porro pro, *Tribunos militum*, legi omnino debet, *Tribunos plebis*, & pro, *expugnaſſe*, meus vetuſtus ſcriptus in membranis liber habet, *expugnaſſent.* ibique interpungens ſuſpendit ſententiam: vocem illam, *vociferans*, ſequentibus annectens, recte quidem, niſi fallimur hoc pacto. *Is, quod petiiſſent patres, primo quidem incoepto repulſi, tamen Tribunos plebis expugnaſſent, vociferans legem Treboniam ſublatam, & coöptatos Tribunos plebis non ſuffragiis populi, ſed imperio patriciorum: & eo devolvi rem, ut aut patricii, aut patriciorum aſſeclae habendi Tribuni plebis ſint: eripi ſacratas leges: extorqueri tribuniciam poteſtatem: id fraude patriciorum, ſcelere ac proditione collegarum factum arguere.* Sic igitur congruenter omnia procedunt. Nam quod *Tribunos militum* in *Tribunos plebis* mutarim, audax nimis videri non debeo. ſic enim hiſtoria ut legatur poſtulat. Quorſum enim hic Tribunorum militum mentio? ipſe quoque Livius monere potuit ſic legendum eſſe. Nam cum dicit, *extorqueri Tribuniciam poteſtatem*, repetit quod paullo ante poſuerat, *Tribunos plebis ex-*

expugnassent. Repulsi autem primo incoepto patres ob id dicuntur, quod impetrare non potuerant, ut patricii coöptarentur. expugnavissent autem Tribunos plebis (nisi forte quis malit legere *Tribunatum plebis*, quod libentissime concederem) id est extorsissent, ut C. Lucerium, & M. Acutium coöptarent Tribuni ii, qui patriciorum partes fovebant. Coöptatos autem aliquando in collegium Tribunorum plebis patricios, & quidem consulares, testis est ipse Livius *lib.* III. [*cap.* 55.] his verbis: *Coöptandis collegis patrum voluntatem foverunt. duos etiam patricios consularesque Sp. Tarpejum, & A. Aterium coöptavere. Consules creati, Lar. Herminius, T. Virginius Coelimontanus, nihil magnopere ad patrum aut plebis caussam inclinati, ocium domi ac foris habuere. L. Trebonius Tribunus plebis infestus patribus, quod se ab iis in coöptandis Tribunis fraude captum, proditumque a collegis ajebat, rogationem tulit: ut qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum* X. *Tribunos plebis faceret. insectandisque patribus (unde Aspero etiam inditum est cognomen) tribunatum gessit.* Haec Livii verba pluscula apposuimus, quoniam declarant, quae fuerit lex Trebonia: quae ad restitutum a nobis locum facit.

CAPUT XVI.

Declaratus alter Livii locus.

In verbis Livii, quae apponam ex *lib.* II. [*cap.* 12.] nullum inesse vitium puto. *Obsidio erat nihilominus: & frumenti cum summa caritate inopia, sedendoque expugnaturum se urbem spem Porsena habebat. cum C. Mucius adolescens nobilis, cui indignum videbatur,*

Pop.

Pop. Rom. servientem, cum sub Regibus esset, nullo bello, nec ab hostibus ullis obsessum esse; liberum eumdem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum saepe exercitus fuderit: itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus, primo sua sponte penetrare in hostium castra constituit.

Longum quidem verbi hyperbaton factum est: elegantiam tamen mihi videtur habere insignem. Casus enim illi, *C. Mucius*, *adolescens*, *nobilis*, *ratus*, universi pertinent ad verbum, *constituit*. interjectis vero causis, quae adolescentem ad id suscipiendum facinus impellebant, periodus visa est facta longior, quam ut lectoris memoria retentis prioribus continuare & pertingere posset ad sequentia. Propterea ad memoriam exsuscitandam & renovandam conjunctionem illam, *Itaque*, inseruit: quae perinde est, ac si dixisset, *ob haec*, aut, *ob has causas*, aut quid hujusmodi. Aristoteles in his ἀποδόσεσι frequens est, dicereque solet in longioribus periodis ὥςε, vel οὖν. Cujus tria exempla non pigebit subjicere, & duo Xenophontis, & unum Hippocratis, quoniam similia, paria, gemina, germana, ac plane eadem cum Liviana figura videntur. Aristoteles igitur *lib.* I. *de arte Rhetorica.* [*cap.* 41.] Ἐπεὶ δ' ἀνάγκη τὸν ἀδικούμενον βλάπτεσθαι, καὶ ἀκουσίως βλάπτεσθαι, αἱ μὲν βλάβαι ἐκ τῶν προτέρων φανεραί εἰσι. τὰ γὰρ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ διῄρηται καθ' αὑτὰ πρότερον. καὶ τὰ ἑκούσια, ὅτι ἐςὶν ὅσα εἰδότες. ὥςε ἀνάγκη πάντα τὰ ἐγκλήματα ἢ πρὸς τὸ κοινὸν, ἢ πρὸς τὸ ἴδιον εἶναι. Idem in *lib. de Poëtica.* [*cap.* 9.] Ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον τελείας ἐςὶ πράξεως ἡ μίμησις, ἀλλὰ καὶ φοβερῶν καὶ ἐλεεινῶν, ταῦτα δὲ γίνεται μάλιςα τοιαῦτα καὶ μᾶλλον, ὅταν γένηται παρὰ τὴν δόξαν, δι' ἄλληλα, τὸ θαυμαςὸν οὕτως ἕξει μᾶλλον, ἢ εἰ ἀπὸ τύχης ταῦτα θαυμασιώτατα δοκεῖ, ὅσα ὥσπερ ἐπίτηδες φαί-

φαίνεται γεγονέναι. οἷον ὡς ὁ ἀνδρειὰς ὁ τῶ Μίτυος ἐν Ἄργει ἀπέκτεινεν τὸν αἴτιον τοῦ θανάτου τῷ Μίτυϊ θεωροῦντι ἐμπεσών. ἔοικε γὰρ τὰ τοιαῦτα οὐκ εἰκῆ γενέσθαι, ὥστε ἀνάγκη τοὺς τοιούτους εἶναι καλλίους μύθους. Idem *lib.* III. *de anima.* Ἐπεὶ δὲ δύω διαφοραῖς ὁρίζονται μάλιστα τὴν ψύχην, &c. ὅτι μὲν οὖν ταυτόν ἐστι τὸ αἰσθάνεσθαι, καὶ τὸ φρονεῖν φανερὸν. In quae verba Simplicius latine sic ait: *Quod autem ad loquendi rationem pertinet, ad illam conjunctionem,* ἐπεὶ. *longiuscule id reddidit. Quod haud idem ipsum sentire, atque ipsum sapere manifestum esse, scribens. propterque longiorem illam redditionem particulam,* οὖν, *admovit.*

Joannes quoque Philoponus idem in eundem locum tradit: Ἰδοὺ ἡ ἀπόδοσις τοῦ ἄνω. Ἐπεὶ δὲ δύω διαφοραῖς ὁρίζεται ἡ ψύχη, μιμήσει τὲ καὶ τῷ νοεῖν, ὅτι μὲν οὖν οὐ ταυτὸν ἐστι γνῶσις ψυχῆς, καὶ αἰσθήσεις ἐντεῦθεν δῆλον. τὸ δὲ, οὖν, διὰ τὴν μεταξυλογίαν κεῖται. ἔθος γὰρ εἶχον οἱ παλαιοὶ ἐν ταῖς μακραῖς ἀποδόσεσι προστιθέναι τὸ, οὖν. Xenophon *lib.* IV. *Paediae.* [*pag.* 89.] Ὃς γὰρ ἦν μοι μόνος καλὸς, ὦ δέσποτα, καὶ ἀγαθὸς, καὶ ἐμὲ φιλῶν καὶ τιμῶν, ὥσπερ ἂν εὐδαίμονα πατέρα παῖς τιμῶν τιθείη, τοῦτον ὁ νυνὶ βασιλεὺς οὗτος, καλέσαντος τοῦ τότε βασιλέως, πατρὸς δὲ τῶ νῦν, ὡς δώσοντος τὴν θυγατέρα τῷ ἐμῷ παιδὶ, ἐγὼ μὲν ἀπεπεμψάμην. Idem *primo Anabaseos.* [*pag.* 203.] Ὁ δὲ Πρόξενος, ἔτυχε γὰρ ὕστερον προσιὼν, καὶ τάξις αὐτῷ ἑπομένη τῶν ὁπλιτῶν, εὐθὺς οὖν εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέρων ἄγων, ἔθετο τὰ ὅπλα. Hippocrates *lib.* IV. *Aphorismorum Aphor.* XLIX. Ἐν μὴ διαλείποντι πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς, διαστροφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅτι ἂν τουτέων γένηται ἐγγὺς ὁ θάνατος. Cic. *lib.* X. *ad Atticum.* [*Epist.* 3.] *Cum quid scriberem, plane non haberem, haec autem reliqua essent, quae scire cuperem: profectus ne esset, quo in statu urbem reli-*

reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni aut negocio praefecisset, & qui essent ad Pompejum & ad Consules ex S. C. de pace legati, ut igitur haec scirem, dedita opera has ad te litteras misi. Idem ad eumdem *lib.* xv. [*Epist.* 18.] *Quoniam intelligo te distentissimum esse, qua de Buthrotiis, qua de Bruto, cujus etiam ludorum suorum curam, etiam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere: ut ergo in ejusmodi re, tribues nobis paullum operae.* Pro Cn. Plancio. [*cap.* 41.] *Hic ergo simulatque me mare transisse cognovit, audi atque attende Laterensis, ut scias quid ego Plancio debeam, confiteareque aliquando, quod faciam, me grate & pie facere, huic quae pro mea salute fecerit, si minus profutura sint, obesse certe non oportere. Nam simulatque me Dyrrachium attigisse audivit.* Ex libro incerto epistolarum ad Brutum apud Fabium. [*lib.* ix. *cap.* 3.] *Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, & redierim per Cn. Pompejum, ego ergo cum redierim, &c.* Utitur idem Cic. in hujusmodi ἀποδόσει aliis particulis, quae tamen idem praestant. quales sunt. *sed, verumtamen, propter hanc causam.* Sed ego citandis locis & verbis supersedeo brevitatis causa. Horat. *in Poëtica. sed tamen* dixit. [*Serm. lib.* 1. *sat.* 1. *vs.* 23. *seqq.*

Praeterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram, (quamvis ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.)
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.

G C A-

CAPUT XVII.

De ludis apud Virgilium & versus ejus expositi. Caestus.

Sex genera ludorum, quibus juventus Latini exercebatur, ponit Virg. *lib.* VII. [*vs.* 162.]

Ante urbem pueri, & primaevo flore juventus
Exercentur equis: domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus: aut lenta lacertis
Spicula contorquent: cursuque, ictuque lacessunt.

Quorum versuum hic est sensus, numerusque ludorum.

I. Aut enim equis insidentes equestris certaminis imaginem reddebant: vel etiam de equorum pernicitate certabant. hoc enim est, quod ait. *Exercentur equis.*

II. Aut curule certamen imitabantur in curribus agitantes: vel etiam ad metam currendo de arte agitandi contendebant. quod significatur, cum dicit. *Domitantque in pulvere currus.*

III. Aut arcubus in scopum sagittas dirigebant. Scribit enim. *Aut acres tendunt arcus.*

IV. Aut jaculo contendebant, id est. *Aut lenta lacertis Spicula contorquent.*

V. Aut cursu de pernicitate pedum certabant. quae res uno verbo exprimitur. *cursuque.*

VI. Aut caestu depugnabant. quod intelligitur, cum ait. *Ictuque lacessunt.* Pugiles autem erant, qui caestum manibus induebant, pugnisque plagas inferebant. Atque in versu Virg. *ibid. Ictuque lacessunt.* conjunctio illa, *que*, quae copulativa dicitur, pro *ve*, disjunctiva posita est. ut sit.

Curſu, ictuve laceſſunt. quomodo idem poëta *lib.* x. eſt uſus *Aenëid.* [*vſ.* 708.]

Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit: multosque palus Laurentia, ſilva
Paſtus arundinea.

Ubi, *que*, pro *vel* poſita eſt. Idem *lib.* II. [*vſ.* 36.]

Aut pelago Danäum inſidias, ſuſpectaque dona
Praecipitare jubet: ſubjectisque urere flammis.

Pro, *vel urere ſubjectis flammis.* Neque vero Latini tantum, ſed Graeci etiàm ſcriptores eodem modo hanc particulam, καὶ uſurpant. Simplicius *lib.* IV. *Phyſicorum*, in tractatione de loco, explicans haec verba *Ariſtotelis*, quae ſic habent: Πάντα τόπον ἔχειν τὸ ἄνω, καὶ τὸ κάτω Sic ait: πέμπλη τόπου ἔννοια, τὸ διάφορας ἔχειν τὸ ἄνω, καὶ τὸ κάτω. οὐχ ὅτι πᾶς ὁ ληφθεὶς ἄμφω ἔχει ταῦτα. τοῦτο γὰρ ἀδύνατον τὸ συνδραμεῖν εἰς ταυτὸν τὰ ἀντικείμενα. ἀλλ' ἢ τῷ, καὶ, συνδέσμῳ συμπλέκτικῳ ὄντι ἀντὶ διαζευκτικοῦ τοῦ, ἢ, ἐχρήσατο. ἵν' ἢ λέγων. πάντα τόπον ἔχειν τὸ ἄνω, ἢ τὸ κάτω. ὥσπερ Ὅμηρος τ'ουναντίον τὸ, ἢ, ἀντὶ τοῦ, καὶ, ἐχρήσατο λέγων. Ἢ νέος, ἠὲ παλαιός. ἀντὶ τοῦ νέος, καὶ παλαιός. Atque quod annotat hic Simplicius de uſurpatione τοῦ ἢ, ἀντὶ τȣ̃ καὶ, Latini etiam ſcriptores non eſſe Graecorum aemuli hac quoque in parte noluerunt. Virg. *lib.* VI. [*vſ.* 769.]

Silvius Aenëas pariter pietate, vel armis.

Pro, & *armis.* Ne vero quis interpretationem noſtram repudiet, cum diximus, *Ictuque laceſſunt*, verbis iis ibi pugiles ſignificari, & ludum caeſtuum, ſciat ab eodem ipſo Virgilio petitam, qui *lib.* III. *Georg. circa principium* [*vſ.* 20.] clarius haec duo ludorum genera uno itidem verſu expoſuit dicens:

Curſibus, & crudo decernet Graecia caeſtu.

In quo tamen verſu exponendo nonnulli dubitant,

an caeſtus Graecorum ludus fuerit. quaſi vero Hercules non Graecus fuerit, qui Erycem hoc certaminis genere interemit. Sed quando iſtis ipſe Virg. non facit fidem, ſi adhibebunt Xenophontem *in extremo quarto Anabaſeos*, deſinent dubitare. Πάλιν δὲ καὶ πυγμὴν, καὶ παγκράτιον καλὴ θέα ἐγένετο. Propert. *lib.* III. in Elegia ad Sparten *de Ludis Laconicis.* [*Eleg.* XII. *vſ.* 9.]

Nunc ligat ad caeſtum gaudentia brachia loris.

Plato ludi hujus mentionem facit *lib.* XXXIV. *dialogo* VIII. *de legibus.* Ariſtot. I. *de Rhetorica.* Ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ πυκτικός. Plutarch. *de Lycurgo.* Πυγμὴν δὲ καὶ παγκράτιον ἀγωνίζεσθ' ἐκώλυσεν. Orph. *Argon.* [*vſ.* 584.]

Πυγμαχίης δὲ τάπητα λιανθέα δῶκε φέρεσθαι
Ἀθλοφόρῳ Πολυδεύκει.

Porro caeſtus fuit manica, id eſt indumentum manuum, loris bubulis plumbeisque laminis aut ferreis conſertum ad graviorem plagam inferendam. Itaque Cic. *Tuſcul.* II. [*cap.* 17.] dixit: *Pugiles caeſtibus contuſi ne ingemiſcunt quidem.* Virg. V. [*vſ.*404.] de Caeſtibus Entelli.

-- -- *Tantorum ingentia ſeptem*
Terga boum plumbo inſuto, ferroque rigebant.

CAPUT XVIII.

Guttur, Pharynx, Larynx, Isthmus, fauces. Virgilii locus expositus, item Alcaei, & Xenophontis.

Sternitur. haesit enim sub gutture vulnus, & udae
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.

Versus sunt Virgiliani, ex VII. *Aenëid.* [*vs.* 533.] doctrinam continentes non ita trivialem; quam nos pro viribus, id est pro tenuitate nostra non pigebit longioribus, contra consuetudinem nostram (sic autem res postulat.) aperire. *Guttur* (ut hinc potissimum incipiamus) interdum est arteria aspera, id est fistula pulmonis & meatus spiritus vocisque. interdum hujus fistulae superior pars, quae larynx Graecis dicitur. supra laryngem cavitas est, & tamquam vallecula excipiens ostia utriusque gutturis, & stomachi (stomachum oesophagum Graeci, nos gulam etiam vocamus. quamquam stomachum etiam & infimam partem gulae antiqui medici dicunt, id est cardiam, auctore Suida) quae pharynx saepe a Galeno appellatur. Hanc pharyngem mediam secat quoddam spacium interjacens inter ostia utriusque gutturis & gulae. quod intervallum *Isthmus* dicitur, per metaphoram ab Isthmo proprie dicto. quae est, quemadmodum etiam tradit Galenus *in* XXVI. *Aphorismum lib.* III. *Hippocratis*, angusta terra pervia duo diversa maria dividens, qualis est Corinthiacus Isthmus: quem nunc *Hexamillium* vocant, Graeca & Latina compositione, a longitudine sex millium passuum. Sed ad Virgilium. *Vulnus* (vulneris nomine telum acci-

pit, more huic poëtae, atque aliis ſatis familiari.) *haeſit ſub gutture*, id eſt in larynge. ſive ſummum guttur, ſive fiſtulam ipſam infra laryngem intelligas. Nam larynx & ſummam fiſtulae partem, & totam hanc fiſtulam ſignificat. *Sub* autem plerumque *in* ſignificat. quomodo à Virgilio, ut alios quoque bonos ſcriptores taceam, poſitum ſexcenties reperies. non negem quidem poſſe etiam accipi, *ſub gutture*, pro infra guttur, id eſt infra ſummam gutturis partem, quae larynx dicitur. Sed ſuperiorem expoſitionem magis probo. *Udam* autem vocem dixit poëta nimirum propter inſtrumenta vocis perpetua humectata ſaliva, qualia ſunt lingua, palatum, lingula, pharynx. Praeterea lingula (Graecis ἐπιγλώττις) quae (ut dixi) eſt inter praecipua vocis modulandae inſtrumenta, conſtat ex humida, pingui, & glutinoſa carne: ut ſucculenta ſit, nec aſſiduo ſpiritus commeatu areſcat. tunc enim voces ederentur clangoris ſimiles. Itaque in ardentibus febribus difficilius homines loquuntur, propter arefactam illam lingulam, & partes vehementer exſiccatas, quae ad pharyngem & arteriam pertinent. Quid? an udam dixit vocem ob id quoque? quod multo ante Galenum cognovit ex Platonis Timaeo, partem potus delabi per guttur in pulmonem? unde ſpiritus ad vocem formandam aſcendit? Certe Platonicae doctrinae ſtudioſiſſimus eſt Maro, & ubicumque ſe opportunitas offert, arripere tamquam anſam, & in poëſim ſuam magni illius viri doctrinam transferre non dubitat. Profecto ad vocis compoſitionem, & temperaturam (ut ſic dicam) quamdam neceſſaria eſt hujusmodi aliquantula portio, vel Galeno teſte *lib. de uſu partium* VII. quod arida nimis arteria trachea & cetera vocis inſtrumenta clangorem

non

non vocem emitterent. Sed Platonis verba, quae diximus, ex Timaeo haec ſunt, ubi de pulmone loquitur: *Primum quidem mollem & ſanguinis expertem, deinde intus habentem fiſtulas tanquam ſpongiae foraminoſas. ut excipiens ſpiritum & potum reſpirationem refrigeraret, aeſtumque mitigaret.* Quorum verborum teſtimonio Plutarchus (praetereo enim libens ac ſciens, quae Aulus Gellius, quem nunc Agellium quidam ſcribunt, retulit *lib.* XVII. *cap.* II. quae item Macrob. *lib.* VII. *cap.* 15. a Plutarcho exſcripta.) eorum, qui potum in pulmonem per guttur demitti totum crediderunt, atque etiam tradiderunt, patrocinium ſuſcipit *Sympoſ. Problem. Decad.* VII. *cap.* I. magno quidem cum impetu ac conatu, ſed utinam ne majore animo quam viribus. Nec Platonem ſolum ſentire id, ſed multos praeterea antiquiſſimos ac doctiſſimos viros in eadem fuiſſe ſententia verſibus eorum citatis contendit. Homerum ſcilicet, Eupolim, Eratoſthenem, Euripidem, Philiſtionem Locrenſem, Dioxippum, & Alcaeum. Quorum ut nonnullos in hac opinione fuiſſe concedo, ita non clam me eſt, hanc iſtorum haereſim jam olim convulſam juſtis de cauſſis & exploſam non ab Eraſiſtrato ſolum, medico nobiliſſimo, ut ipſi tradidere Plutarchus, Gellius, & Macrobius, ſed etiam ab Hippocrate *lib.* IV. *de Morbis vulg. circa finem.* cujus verba paucula apponam: *Quidam dicunt, quod potus in pulmonem devenit: ex hoc vero in reliquum corpus. hi autem, qui hoc dicunt, redarguuntur ex hoc, quod dicturus ſum &c.* redarguuntur item ab Ariſt. *lib.* III. *de Partibus animalium.* Quod autem ait Plutarchus Homerum quoque in hac opinione fuiſſe quando IX. *Odyſſeae* ſcribit, Cyclopem per pharyngem vinum vomuiſſe his verbis. [*vſ.* 372.]

-- -- -- κὰδ δέ μιν ὕπνος
Ἥρει πανδαμάτωρ, φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος,
Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι.

Quam rem imitatus uterque Virg. *lib.* III. *Aenëid.* [*vſ.* 632.] & Ovid. XIV. *Metamorph.* [*vſ.* 211.] ſic retulere. Virg.

--- --- *ſaniem eructans, ac fruſta cruento*
Per ſomnum commiſta mero.

Ovid. vero

--- --- --- *ejectantemque cruentas*
Ore dapes, & fruſta mero glomerata vomentem.

Quodque idem Plutarchus aſſerit pharyngem eſſe omnibus antiquis & recentioribus ſcriptoribus Bronchum, id eſt pulmonis fiſtulam, hoc mendacio & fuco facit in reliquum cauſſam ſuam deteriorem, cum res deprehenſa erit. Quis autem Homero (ut διθυραμβικωτέρως inſurgam) naturae poëtae, naturae miraculo, omnium fonti doctrinarum prope & artium, univerſarum rerum, quae in natura ſunt proprietatem propriis, ſuis, & ſignificantibus verbis commodiſſime exprimenti, quis (inquam) tanto viro maculam tam pudendi erroris audeat inurere? credereque illum, vel ſuſpicatum aliquando fuiſſe, in pulmonem potum illabi, inde in reliquas partes corporis? ſtolidum profecto eſt, quid ſtolidum dico? furioſum eſt, credere non vinum tantum, ſed praeterea fruſta viſcerum ab Cyclope voratorum evomi per guttur ex pulmone, quo illabi quidquam craſſum non poteſt, aut certe illapſum non diu morari citra, ſi non ſubitam, certe certam perniciem? neque enim exitum ullum habet pulmo ad transfundendum & participandum reliquis partibus corporis, quod ipſe hauſerit. ut anatome ipſa manibus & oculis teſtibus oſtendit. Non Homerus id credidit; multoque minus ſcripſit.

Nec

Nec verum eſt, Plutarche, pharyngem omnibus antiquis & recentioribus ſcriptoribus (ut aſſeris) eſſe bronchum ſive guttur. concedo quidem pharyngem multis eſſe id. quam rem Galenus quoque & Suidas & Jo. Grammaticus docet. Multis (inquam) concedo, non omnibus. Atque in illis multis Homerus nunc non eſt. neque vero huc afferam expoſitiones interpretum Homeri, Ariſtophanis, & aliorum, qui pro me quidem faciunt. gravioribus locupletioribusque teſtibus (quamquam nec illi proletarii aſpernandique ſunt) tecum congrediar. Eſt in ore ad imum palatum, & ad oſtia utriusque ſtomachi & gutturis cavitas quaedam latiuscula, & quaſi vallecula: quo oſtia utriusque ſtomachi & gutturis terminantur, ut diximus. Hanc valleculam & vacuum ſpacium Homerus pharyngem (noſtri medici fauces vertunt. quam bene, viderint ipſi.) vocavit. primus fortaſſe: at non ſine rivali. Galenus vir doctiſſimus & graviſſimus, arbiterque honorarius cum alibi, tum *lib. de Uſu partium* VIII. *in principio* ſic ſcribit: *Et primum, & maxime proprium inſtrumentum vocis, eſt illa, cui nomen larynx. Superior nimirum finis arteriae aſperae, quam etiam pharyngem vocant: eodem ſcilicet nomine cum ea pharynge, quae eſt ante laryngem.* Et in *lib. Hippocratis Aphoriſmorum* IV. *Com. Aphor.* XXXIV. *Vel aliqua inflammatione totum viſcus occupante, vel arteriam aſperam, vel eam partem, quae eſt velut caput ejus, quam laryngem nominant. quae inflammatio interdum etiam fieri conſuevit in praejacente lato illo ſpacio, cui nomen eſt pharynx. Sic & Homerus inquit:*

--- --- φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος,

ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι.

Spacium illud laxius ſupra os ſtomachi & gutturis nominans pharyngem. videtur autem & nunc Hippocrates hanc eamdem partem eodem modo, quo etiam Homerus

 nomi-

nominasse. Ait igitur: Si tumor non sit in pharynge tantus, ut laxissime aperto ore possit intro diligenter videri pars, quod in larynge fieri non potest. Vides igitur, non omnibus pharyngem esse bronchum sive guttur? Quid? non aperte ostendit Aristoph. *in Ranis* [*vs.* 587. *seqq.*] propter eam, quam dicis, notionem, aliud quoque pharyngem significare & laryngem?

-- -- πλ. Ὦ μιαρὰ φάρυγξ,
Ὡς ἡδέως ἄν σου λίθῳ τοὺς γομφίους
Κόπτοιμ' ἄν. οἷς μου κατέφαγες τὰ φορτία.
παν. Ἐγὼ δέ γ' εἰς τὸν βάραθρον ἐμβάλοιμί σε.
πλ. Ἐγὼ δὲ τὸν λάρυγγ' ἂν ἐκτέμοιμί σου,
Δρέπανον λαβοῦσ', ᾧ τοὺς κόλικας κατέσπασας.

Quibus in locis synecdochice utraque vox pharynx, & larynx accepta est pro ore vel gula. neque enim semper poëtarum aut etiam oratorum vocabula exigenda sunt ad perpendiculum, atque ad amussim. Quemadmodum nec illud Virgilii *lib.* VI. [*vs.* 421.]

Objicit. ille fame rabida tria guttura pandens.

Quemadmodum nec illud Cic. *in Oratione pro Coelio. vitium ventris & gutturis.* Quemadmodum item nec illud Plauti *in Curgulione.* [*Act.* I. *sc.* 2. *vs.* 9.]

Sed quom adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.

Quibus in locis posterioribus guttur pro gula sine dubio est positum. Ergo longe argutius, longe doctius, atque etiam (ut quidem censeo) longe verius defendit Platonem atque adeo interpretatur Galenus *lib.* VIII. *de placitis Hippocratis & Platonis ad finem.* qui ad testimonium citatis aliquot ex eodem Timaeo locis probat, nec mentem Platonis, nec sensum eorum verborum esse, potum univer-

sum

ſum in pulmonem delabi per arteriam tracheam: ſed puſillam aliquam partem non recta, ſed in orbem ſenſim, & quaſi irroratione quadam per tunicam quamdam interiorem gutturis & arteriae tracheae deſcendere. quod tractaverat & *lib.* VI. *de Uſu partium.* & item *lib. ejusdem diſputationis* VII. idque dicit prudenter a natura proviſum: ne ſcilicet vocis & anhelitus inſtrumenta, aſſidua ſpiritus reciprocatione areſcant: praeter nonnullas alias cauſſas, quas hic referre non eſt praeſentis operae. ſed jam receptui canamus: repetamusque breviter ſummam eorum omnium, quae hactenus pluribus ſunt diſputata. *Vocem* igitur *udam* dixit Virgilius vel propter ſalivam humectantem inſtrumenta vocis linguam, palatum, pharyngem, & laryngem: vel propter naturalem linguae humiditatem, quae & ipſa eſt vocis inſtrumentum: vel propter aliquantulam illam potus partem deſcendentem per tunicam interiorem laryngis quae eſt primum & maxime proprium vocis inſtrumentum, quaque per arteriam tracheam ex pulmone ſpiritus exit ad vocem formandam. ob unam igitur harum trium, aut etiam ob univerſas has cauſſas *udam vocem* dixit poëta. Larynx porro interdum accipitur pro toto gutture, id eſt pro arteria trachea, interdum pro ſumma & extrema tantum parte arteriae tracheae. *Quae etiam in collo extare apparet, tangentibusque*, (Verba ſunt Galeni *lib.* VII. *de Uſu partium*) *dura ſentitur, ſurſumque nobis transglutientibus fertur.* Quoniam autem Alcaei meminimus, cujus carminis teſtimonio maxime nituntur, qui arteriam tracheam eſſe potus fiſtulam [contendunt] (quamquam aliter pulmonis humectatio & refrigeratio apud Alcaeum eſt accipienda) operae pretium eſt ſcire, citari illius poëtae verſum

ſum a multis quidem : ſed vix duos invenias concordes. nonnulli ſic legunt.

Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ. τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται.
Ἡδ' ὥρη χαλεπὴ, πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος.

Ut ſint verſus Alcaici, Choriambici. quales apud Horat. *lib.* I. *Carminum ad Leuconöen.* [*Od.* XI.]

Tu ne quaeſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi.

Quae ratio mihi vehementer probaretur: ſi non alio ordine atque aliis interpoſitis verſibus legerentur apud Proclum, ut patebit. apud Plutarchum heroico menſu ſic putant legendum aliqui.

Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε, τὸ γὰρ πυρὶ τέλλεται ἄστρον.

Quod mihi omnino non probatur. quod & aliter multo ab aliis citatur: quodque longe diverſa eſt ratio ſequentium deinceps verſuum: qui leguntur apud Athenaeum, Suidam, Proclum, & alios. quae ſatis indicant, heroicum verſum eſſe non debere. Quamquam non uno modo apud Athenaeum ſcriptos eos invenias. *lib. enim primo* ſic leguntur. [*p.* 22. *F.*]

Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε. τὸ γὰρ ἄστρον πυρὶ τέλλεται,
Ἁδ' ὥρα χαλεπὰ, πάντα δὲ δίψαις ὑπὸ καύματος.

Lib. autem x. [*p.* 430. *B.*] ſic collocantur, & leguntur.

Τέγγη πλεύμονας οἴνῳ,
Τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται.
Ἁδ' ὥρα χαλεπὰ
Πάντα δεδεῖψας ὑπὸ καύματος.

Atque in poſtremi verſus verbis vitium eſſe aliquod apparet: ſiquidem ſic legatur. apud Proclum in *opera & dies Heſiodi* [*vſ.* 588. *pag.* 133. *Ed. Heinſii.*] ſic leguntur.

Οἴνῳ πλεύμονα τέγγε.
Τὸ γὰρ ἄστρον περιστέλλεται.

Ἀ δ' ὧρα χαλεπά.
Ἀχεῖ δὲ καὶ σκόλιμος.
Νῦν δὲ μιαρώταται γυναῖκες.
Λεπ7οὶ δὲ τοὶ ἄνδρες.

Suidas *in voce* τέγγε ſic adducit.

Οἴνῳ τέγγε πνεύμονα, τέγγε.
Φίλης δ' ἀπέχου κυθερείης.

Lego etiam alicubi ſic allatos.

Θέρους δὲ τέγγη πνεύμονας οἴνῳ.

Ubi ridiculi iſti ſunt. qui duo illa prima verba θέρους δὲ verſui Alcaei adjungunt, quae ſunt Athenaei, unde ſumpſerunt. apud Macrobium & Gellium ſic leguntur.

Τὸν τὲ πνεύμονα οἴνῳ,
Τὸ γὰρ ἄκρον περιςέλλεται.

Ubi omnino τέγγε & ἄςρον legendum eſt, non τὸν τὲ, & ἄκρον (*a*). ſed nec ſatis ſcite ab aliquibus vertuntur. nonnulli enim verſum hunc,

Τὸ γὰρ ἄςρον περιςέλλεται.

ſic verterunt.

Nam ſol circumagitur. id eſt ad occaſum vergit. Omnino male. Nam Graeci appellatione τοῦ ἄςρου, ſaepe non Solem, ſed canem τὸν κύνα intelligunt. quod ab aliis etiam animadverſum eſſe video. Id autem aperte cognoſcitur eſſe verum ex verſu Eupolidis Poëtae a Plutarcho ibidem allato.

Πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνευμονέκλυρον φορῇ.

Xenophon quoque *in Cynegetico* ſic accipit. [*pag.* 771.] Εὔρινες δὲ ἐὰν τοῦ λαγῶ ὀσφραίνωνται ἐν τόποις ψιλοῖς, ξηροῖς, προσηλίοις, τοῦ ἄςρου ἐπιόντος. Quam verbi notionem Leonicenus, qui opuſculum illud Latinum fecit, cum non aſſequeretur, locum corrupit,

(*a*) In citatione horum *Alcai* verſuum ſequendam duxi eam, quam in prima hujus libelli editione reperi ſcripturam: licet illi longe aliter apud *Athenaum*, *Proclum*, *Macrobium* & *Gellium* hodie legantur.

pit, & ſic vertit: *Auſtro imminente.* Sane imperite, qui Auſtrum, vocem Graecam putans, cum omnino ſit Latina, ἄνςρου legit pro ἄςρου· Ego, ut ad Alcaeum redeam, περιτέλλεται ſervandum cenſeo. Sed quod paullo ante monui. *Medici noſtri recentes pharyngem fauces vertunt in Galeno & Hippocrate. quam bene ipſi viderint.* certe ſi pharynx ἐυρυχωρεία eſt, id eſt latus locus, quomodo fauces dici poteſt? quae vox Latinis anguſtias ſignificat? Itaque maris inter duo littora anguſtias, qui πορθμὸς Graecis, noſtris fretum eſt, fauces Virg. dixit de Helleſponto loquens. [Georg. I. *vſ.* 207.]

Pontus, & Oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Sic contra, terrae anguſtae perviaeque inter duo *fauces*, quem Iſthmum Graecis dici ſcripſimus maria noſtri appellarunt. interdum etiam *collum*, *& jugum.* Cicero *in Rullum* [*cap.* 32.] *Corinthus erat poſita in anguſtiis atque in faucibus Graeciae.* Livius *lib.* XXXI. [*cap.* 40.] *Celetrum eſt aggreſſus in peninſula ſitum. Lacus moenia cingit; anguſtis faucibus unum ex continenti iter eſt.* Et paullo poſt ibidem. *Obſeſſasque fauces agmine hoſtium viderunt.* Idem *lib.* XXVI. in expugnatione Novae Carthaginis. [*cap.* 42.] *Continenti urbem jugum ducentos fere & quinquaginta paſſus patens conjungit.* Plinius praeterea *lib.* XI. *cap.* 37. ſummum gulae fauces appellat, nimirum ubi anguſtatur. Itaque ſummum guttur, id eſt larynx, rectius fauces vocentur. qua in ſignificatione videtur accipere Cicero *Tuſc.* I. [*cap.* 16.] *Has tamen imagines loqui volunt: quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium laterumve & pulmonum vi, & figura poteſt.* Quod vero iſthmum, id eſt intervallum illud inter duo oſtia gulae & gutturis, *fauces* vertunt, perite. habent auctorem Livium, ut dixi.

C A-

CAPUT XIX.

Virgilii loca quaedam illustrata.

Virgilii aliquando loca quaedam vel praetereuntur, vel parum prolixe ab interpretibus tractantur. quae quod saepius remorantur attentius legentes, transmittere nonnulla hic nobis non est visum. Versus sunt *lib.* III. *Aenëid.* [*vs.* 125. *seqq.*]

Bacchatamque jugis Naxum, viridemque Donysam,
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor
Cycladas, & crebris legimus freta concita terris.

Aperte Pomp. Mela [*lib.* II. *cap.* 7.] atque alii inter Sporadas collocant Olearon, & Donysam. Paron autem & Naxum inter Cycladas. Sed Virg. uno nomine propter vicinitatem Cycladas universas appellat. ita tamen ut Sporadas etiam intelligi velit, cum sparsas addidit, epitheto Latino vocem Graecam interpretatus. Quin (quod etiam multo ante nos vidit Hermolaus Barbarus) consuevere ex veteribus plurimi Cycladas appellare, quae essent Sporades. Sed scriptores non concordant in recensendis duodecim Cycladibus. Strabo [*lib.* X. *p.* 743.] Prepesinthum, Olearon & Gyarum neque inter Cycladas neque inter Sporadas collocat: tantum attributas Cycladibus facit. Cycladas autem has nominat & numerat. Ceon, Cythnum, Seriphum, Melon, Syphnum, Cimolum, Parum, Naxum, Syrum, Myconum, Tenum, Andrum. Eodem *lib.* Virg. [*vs.* 386.]

Infernique lacus, Aeaeeque insula Circes.

Ubi Servius *Aeaeae* tribus Diphthongis legit. ut sit Circes Aeaeae genitivo casu. quae lectio etsi omnino repudianda non est, quoniam habet aucto-

rem

rem Homerum, qui Odysseae *lib.* XII. Circen Aeaean vocat hoc versu [268.]

Κίρκης τ' Αἰαίης, ἥ μοι μάλα πόλλ' ἐπέτελλεν.

Tamen & *Aeaee*, id est Αἰαίη nominativo casu legi potest. Insula enim ab Circe habitata, olim *Aeaea* est vocitata. quae postea continenti adjuncta à Romanis scriptoribus *Circei* (*a*) sive *Circeum* est dicta. et est in Tirrheno mari, ubi quondam fuit antiqui Latii terminus, quod & Didymus in versus Homeri [*Odyss.* Κ. *vs.* 135.] quos scribam, docet.

Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιε
Κίρκη ἐυπλόκαμος δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα.

Idem *ejusdem lib. initio.* [*Od.* Μ. *vs.* 3.]

Νῆσον ἐς Αἰαίην, ὅ ἠοῦς ἠριγενείης.

& quae sequuntur. in quibus item habitasse in insula Aeaea Circen tradit. Idque adeo testari non sum veritus: quoniam non me latet Melam *lib.* II. *cap.* 7. sic scribere: *Circa Siciliam in Siculo freto est Aeaea, quam Calypso habitasse dicitur.* Hyginus quoque *Fab.* CXXV. *Sociis amissis enatavit in insulam Aeaeam, ubi Calypso Atlantis filia habitasse &c.* Sed vel est utriusque Pomponii & Hygini error memoriae. vel alium uterque secutus est auctorem, vel pro *Aeaea* legendum est *Orygia:* in qua omnino habitavit Calypso teste Homero pluribus locis *in Odyssea.* Et sane testantur nonnulli docti viri apud Hyginum, locum vitiatum fuisse in scriptis vetustis libris; in quibus vetere voce erasa, alia & multo recentiore manu vox *Aeaea* est superinducta. Profecto idem Hyginus *Fab.* CXXVII. Circes, non Calypsûs Aeaeam insulam fuisse sedem aperte tradit, quamquam idem *Fab.* CXXV. non in Aeaea sed Aenaria: (si modo vitium non est in voce

(*a*) Vid. Melam. *lib.* II. *cap.* 4. ubi *Circeji* hæc insula dicitur.

voce *Aenaria:* aut ſi non Aenariam eamdem cum Aeaea eſſe exiſtimavit) habitaſſe Circen ſcribit. Apollonii interpretes cenſent Circen appellari Aeaeam, ab Aeaea urbe Colchorum (*a*).

Idem eodem *lib.* [v. *vſ.* 681.]

--- --- --- udo ſub robore vivit
Stupa vomens tardum fumum: intusque carinas
Eſt vapor

Interpretes udo exponunt *vicino aquis:* quaſi dicas humido & madido. ego uncto & picato.

Lib. 11. [*vſ.* 252.]

——— ——— fuſi per moenia Teucri.

Per moenia ſynecdochice accipe, pro per urbem. ne te angat tortuoſa Servii expoſitio.

Eodem lib. [*vſ.* 513.]

Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus.

Haec ara Virgilii interpretibus, Dareti Phrygio [*cap.* 41.] Pauſaniae Meſſeniacis [*cap.* XVII. *p.* 321.] & Arriano *lib.* 1. [*pag.* 25. *Ed. Gronov.*] de rebus geſtis ab Alexandro, Jovis Hercei dicitur. Pauſan. Arcadicis [*cap.* 46. *pag.* 694.] tradit, in dividenda praeda Trojana ſimulacrum Jovis Hercei Stenelo Capanei filio datum. Idem Phocaicis [*cap.* 27. *pag.* 865.] refert Leſcheum tradere, Priamum non ad aram Jovis Hercei fuiſſe trucidatum, ſed abſtractum ab ea, quae juxta atrii fores erat extructa: praeterea a Neoptolemo interfectum. Idem Corinthiacis, [*cap.* XXIV. *pag.* 165.] *Ibi* (*Lariſſae in Peloponneſo*) *inter alia donaria Jovis etiam conſpicitur ligneum ſimulacrum duos in iis locis habens oculos, quibus a natura ſolent poni, tertium vero in fronte. Jovem*

(*a*) Puto Matium reſpicere Scholia ad Apollon. Argonaut. *Lib.* 3. *vſ.* 1073. ubi hæc leguntur, Νῆσος ἐν τῷ Φάσιδι ἐστὶν ἡ Αἰαία, ἐν ᾗ τὸ δέρας ἔκειτο. αὕτη δέ ἐστι κόλχων μητρόπολις.

vem hunc Priamo Laomedontis filio patrium fuisse, & in aula sub dio stetisse ajunt. Expugnato Ilio ad hujus aram Priamus confugit. Spoliis autem divisis Stenelus Capanei filius eum arripuit. et eo propterea loco est dedicatus. Tres autem oculos ob has fortasse caussas habere eum potest conjici. primo una vox omnium hominum est; Jovem in Coelo regnare. deinde qui sub terra imperium tenet, is quoque Homeri versu Jupiter vocatur. Jupiter infernus, laudandaque Persephonea. Aeschylus postremo, Euphorionis filius, maris quoque regem Jovem appellat. Tribus itaque oculis Jovem uti tradidit, quicumque tandem in tribus, quae vulgo celebrantur, sortitionibus imperare eumdem est auctor. Herceum autem Jovem ait Festus, [in v. *Herceus Jupiter.*] intra consептum domus cujusque coli solitum, quem etiam penetralem deum appellabant, Dictes vero Cretensis *Aedificialem Jovem* (a) hunc vocat *lib.* v. Jovis Hercei saepe meminit Demosthenes, quem cum Apolline Patrio Atheniensium Gentes, id est γένη, praecipue colebant.

Eodem lib. [*vs.* 363.]

—— —— *Urbs antiqua ruit.*

Antiqua. (inquit Servius) *vel nobilis. vel quia duobus millibus octingentis annis regnasse firmatur.* Ego ex Eusebio & Archilocho (b) trecentum tantum an-

(a) Apud Dictyn Cretensem *Lib.* v. *cap.* 12. vulgo legitur: *Interim Priamus re cognita ad aram Jovis ante ædificiale confugit.* Sed Viri docti præeuntibus MStis legunt *Jovis anteædificialis.* vid. *Obrechti* & *Vindingii* notas ad eum locum.

(b) Matium hic & infra cap. 21. decepit Annii Viterbiensis, egregii Veteratoris, impostura. Is enim ex non intellecto Eusebii *in Chronic. ad An.* 908. loco, Archilochum hunc Chronologum exsculpsit & sub ejus nomine confictum de Temporibus librum cum Beroso, Metasthene, aliisque ejusdem farinæ Scriptoribus publicavit. Vid. Baile in Lexico Critico in voc. *Archilochus* Not. O. ubi nonnullos quoque G. J. Vossii de Archilocho errores castigat.

annis minus tribus imperium Trojanum a Dardano ad urbis excidium duraſſe comperio.

Eodem lib. [*vſ.* 801.]

Jamque jugis ſummae ſurgebat lucifer Idae,
Ducebatque diem.

Et paullo ante [*vſ.* 694. *ſeqq.*]

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti,
Cernimus Idaea claram ſe condere ſilva.

Hiſtoriam hic ſcitu pulcherrimam tamquam aliud agens tangit poëta, quam verbis Pomponii Melae & Diod. Siculi exponere eſt viſum, Mela igitur *lib.* I. *cap.* 28. *Ipſe mons vetere Divarum certamine & judicio Paridis memoratus, orientem ſolem aliter, quam in aliis terris ſolet aſpici, oſtentat. Namque ex ſummo vertice ejus ſpeculantibus pene a media nocte ſparſi ignes paſſim micare, & ut lux appropinquat, ita coire, ac ſe conjungere videntur, donec magis magisque collecti pauciores ſubinde, & una ad poſtremum flamma ardeant. ea cum diu clara, & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe, ac rotundat, et fit ingens globus. diu is quoque & terris annexus apparet. deinde paullatim decreſcens, & quando decreſſit, eo clarior, fugat noviſſime noctem: & cum die jam ſol factus attollitur.* Diod. autem *lib.* XVII. [*pag.* 165. *Edit. Weſſeling.*] *Sed enim proprium, ſupraque omnium opinionem eſt, quod huic monti uſu venit circa exortum Canis. In ſummo enim ejus vertice aër tranquilliſſimus efficit, ne ea pars flatum aliquem ventorum ſentiat. Ibi nocte etiamnum durante ſol radios ſuos emittens conſpicitur: non quidem ut circularis ejus forma, ſed potius ut fulgor late in partes multas ab eo diffuſus appareat, velut ſi multus ignis terrae horizontem corripuerit. Paullo poſt totus ille ſplendor in unam magnitudinem coarctatur, donec dimidiati ſtadii ſpacium conficiat. tuncque die adveniente*

jam plena integraque solis amplitudo diei lucem inducit. Plinius quoque *lib.* II. *cap.* II. de sole exoriente latitudinem Idae montis exsuperante breviter quaedam tetigit. operae pretium est apponere elegantissimos versus Lucretii, hujus rei totius caussam ex opinione Epicuri evolventis *lib.* v. [*vs.* 655. *seqq.*]

Tempore item certo roseam Matuta per oras
Aetheris Auroram defert, & lumina pandit.
Aut quia sol idem sub terras ille revertens
Anticipat coelum radiis accendere tentans:
Aut quia conveniunt ignes, & semina multa
Confluere ardoris consuerunt tempore certo,
Quae faciunt solis semper nova lumina gigni.
Quod genus Idaeis fama est e montibus altis
Dispersos ignes orienti lumine cerni.
Inde coire globum quasi in unum, & conficere orbem.

CAPUT XX.

Servius defensus. Acrisioneis. Patronymica. Amineum album, & purpureum.

Acrisioneis apud Virg. *lib.* VII. [*vs.* 410.] omnino patronymicum est, quidquid contra Servium quidam dicant.

Acrisioneis Danäe fundasse colonis.

Acrisius princeps quidem nomen est: a quo per paragogen *Acrision*, *onis* deductum format *Acrisionides* patronymicum masculinum; unde est femininum *Acrisionis*, & interposito τοῦ η, *Acrisioneis*. Sic Japetionides originem suam invenit. de qua re Moschopulus apud Hesiodum [Ἐργ. *vs.* 50.] sic ait: *Japetionides. videlicet fili Japeti. ab Japetus* *Ja-*

Japetion per paragogen. & ab Japetion Japetionides. Nec me latet dici etiam *Acrisione* ab Homero *Iliad.* XIV. [*vs.* 319.]

Οὐδ' ὅτε περ Δανάης καλλισφύρε Ἀκρισιώνης.

Sed ibi ea forma est, quae & horum, *Amimone*, *Adrastine*, *Oceanine*, & similium. Quae patronymica quidem esse censent nonnulli: quod negant alii, quoniam ea sit natura patronymicorum femininorum, ut a patronymicis masculinis deducantur; quod his non contingit, ut quae statim a primitivis formentur. Abron (*a*) (ut est apud Scholiasten Theogoniae Hesiodi) *Paronyma* vocabat. Praeterea veteres Grammatici Latini Graecique *patronymica* appellant, quae nunc vulgo *possessiva* vocant: ea (inquam) quae a propriis parentum nominibus descendunt, ut *Saturnia Juno. Icetaoniusque Timoetes*, *lib.* X. *Aenëid.* [*vs.* 123.] & *Inoo Melicertae*, primo Georg. [*vs.* 437.] a Servio. sic *Semelius Bacchus* ab Acrone I. *Carm. Horat.* [*Od.* 17. *vs.* 22.] & Neleius Nestor *Iliad.* II. [*vs.* 20.] ubi Scholiastes. Νηληΐῳ υἷϊ ἐοικώς.) τῷ Νηλέως παιδὶ Νέστορι ὁμοιωθείς. ὅδε τύπος πατρωνυμικός. Jam Graeci scriptores in Romanorum nominibus patronymica appellant, quae Gentilia nos dicimus. qualia sunt *Julius*, *Tullius*, *Cluentius*, & ejusmodi; tamquam quae a primis illis auctoribus defluxerunt, *Julo*, *Tullo*, *Cloantho*. quorum imitatione exemploque nos eorum *Pelopidas*, *Atridas*, *Aeacidas*, & reliqua id genus Romano more possumus *Gentilia* appellare. Formant porro Latini patronymica a suis nominibus, non solum a cognominibus, ut *Scipia-*

(*a*) Tryphon potius: respicit enim Scholia ad Theogon. *vs.* 389. *pag.* 269. *col.* 1. *Ed. Heinsii.*

piades a Scipione : ſed etiam a Gentilibus nominibus ; ut a Memmio *Memmiades*, ut eſt apud Lucretium. [*lib*. I. *vſ*. 26.]
Male habent eumdem Servium, quod Amineam vitem albam uvam ferre dixerit, in eum Virg. verſum *lib*. II. *Georg*. [*vſ*. 97.]

Sunt & Amineae vites, firmiſſima vina.

Quaſi vero non ſint aliae vites, quae eſcarias uvas eodem nomine & ſpecie purpureas & albas pariant. quaſi Apianam purpuream & albam non norimus. Sed Vopiſcus *in Floriano* [*cap*. 4.] ſatis Servium tuetur, ſic ſcribens : *Vitis, quae uvas Amineas albas ferebat, eo anno plurima purpurea facta eſt.* Quod autem ad ſyllabarum menſuram pertinet, Serenus *cap*. XXX. Virgilium eſt ſecutus hoc verſu.

Succus Amineae vitis cum pane medetur.

Auſonius Graecorum menſum imitatus eſt illo Pentametro. [*Epiſt*. XVIII. *vſ*. 31.]

Solus qui Chium miſcet & Amineum.

Sed quod non ſemper poëtae Latini numeros, quos apud Graecos invenerint, ſervent in Graecis dictionibus, alibi a nobis dicetur.

CAPUT XXI.

Magna Graecia *tota Italia dicta eſt, & Sicilia.*

Helias *Capreolus* (*a*) civis meus, qui communis patriae annales conſcripſit jam olim non omnino ἀμούσους pro ſaeculi illius doctrina, vindicandus eſt a calumnia cujusdam, qui in ſua Italiae deſcriptione,

(*a*) Brixienſis hic JCtus ſcripſit XIV. Libros *Chronicorum de Rebus Brixianorum* ab Urbis Exordio ad Annum Chriſti 1510, inſertos *Theſauro Italiae* Celeb. *P. Burmanni*. Vid. *J. A. Fabric. Biblioth. Mediae & Infimae Latinit. Lib*. III. *p*. 916.

ptione, quam ex expilatis Blondi, Sabellici, Volaterrani, Marliani, Merulae & hujusmodi ſcriptorum commentariis populari Italico ſermone confecit, illorum tamen diligentiam non aſſequutus, quincto quoque verbo Heliae, quem dixi, magni loco criminis objicit, quod ſcripſerit, Italiam olim *Magnam Graeciam* fuiſſe appellatam. concedo quidem, id quod omnes ſciunt, Magnam ſive Majorem Graeciam (ſic enim vocat Valerius Maximus *lib.* VIII. *cap.* 7. de Pythagora loquens) nuncupatam fuiſſe portionem quamdam Italiae extremae, in qua fuere potentiſſimae quondam urbes Croton, Thurium, quae poſtea Sybaris eſt dicta, & Tarentum. Sed quin nomen hoc longius latiusque extenſum ſit negare, hominis eſt ignorantiam fatentis. certiſſima hujus rei argumenta ſumi poſſunt *ex toto initio* XX. *lib. Juſtini*, & ex lingua, quae tota fere Italia Graeca fuit. Neque enim ſolum ad Italiae littora deductae ſunt a Graecis coloniae, ſed mediam etiam Italiam habuere, ut legere eſt apud Strabonem, & alios Graecae hiſtoriae ſcriptores, & apud Solinum *cap.* 8. quorum verba non apponam, contentus teſtimonio unius Myrſili antiquiſſimi ſcriptoris (*a*), qui de Tirrhenis loquens, totam Italiam a Graecis habitatam fuiſſe teſtatur, ſic ſcribens: *Quod ſi etiam ad hos venit Torebus filius Ati, utique non ab eo advena nominati ſunt Tirrheni indigenae, ſed contra ab eis Torebus fuit cognominatus Tirrhenus a Graecis. igitur etſi totam Italiam coluerunt Graeci, ut noſtri tradunt, ex ipſis tamen Lydis & Tirrhenis, vicinisque Romanis falſa eſſe oſtendimus &c.* At (inquiet

(*a*) Principem hic locum occupat inter ſcriptores ab Annio Viterbienſi confictos, ut adeo hoc, & ſequens Archilochi teſtimonium nullius ſint momenti. vid. ſupra ad Cap. 19.

quiet ille) nondum probas, Italiam fuiſſe *Magnam Graeciam* appellatam. diſerte probari id tibi vis. audi igitur, quae Archilochus *lib. de Temporibus* tradit. *Idem Homerus reformavit characteres, & Grammaticae praecepta primus dedit, cum antea quiſque ſermone ſcriberet ſimul & loqueretur vernaculo. Quae profecto etiam Italia, quae & magna Graecia ſuſcepit.* Ovid. *lib.* IV. *Faſt.* [*vſ.* 63.]

Nec tibi ſit mirum Grajo rem nomine dici:
Itala nam tellus Graecia major erat.

Quid? quod & Sicilia ipſa magna eſt Graecia dicta. *Cumque Graeci* (verba ſunt Strabonis *lib.* VI. [*pag.* 389.]) *utrumque ſimul littus ad fretum uſque tenerent, inter Graecos & barbaros diutinum bellum conflatum eſt.* Et paulo poſt: *Jam enim tantopere res Graeca amplificata fuerat, ut & hanc & Siciliam magnam Graeciam appellarent.*

CAPUT XXII.

Fibrae, λόβοι. *Virgilii locus explicatus. item Columella emendatus.*

Fibrae quae ſint in extis & ſtirpibus quaerendum videtur. In extis, corde, jecore, & pulmone nihil aliud ſunt fibrae, quam ſectae imae eorum partes. λόβοι Graecis dicuntur. unde ἄλοβα ἱερὰ Xenophonti *lib.* IV. *rerum Graecarum* [*pag.* 417.] in quibus fibrae non apparerent. Jecur (ut de eo potiſſimum loquar) in duas finditur fibras. propterea Cic. *fiſſum jecoris* appellat. [*lib.* II. *de Divinat. cap.* 12, 13.] Servius in eum Virg. verſum *lib.* VI. [*vſ.* 600.]

—— *nec fibris requies datur ulla renatis.*

Fi-

Fibrae (inquit) *ſunt eminentiae jecoris.* Sane paulo melius, quam cum alibi [*ad Georg. I. vſ.* 120.] fibras in jecore venas aut nervos interpretatur. inſcite, quis negabit? deinde aliud eſt vena, aliud nervi, aliud etiam villi. (hos Graeci ἶνας dicunt.) ſi forte Servius cum nervos expoſuit, villos intellexit. Fibrae enim in extis ſunt non venae, non nerui, non villi, ſed λόβοι, id eſt eminentes & ſectae imae partes. ad quarum ſimilitudinem & infima auricula λόβος appellatur. & quamquam res eſt certiſſima, tamen exemplis ſcriptorum confirmabitur etiam. Plin. *lib.* XI. *cap.* 37. *Divo Aug. Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuae die ſex victimarum jecinora replicata intrinſecus ab ima fibra reperta ſunt.* Suetonius in ejusdem Caeſaris Auguſti vita. [*cap.* 95.] *Et immolanti omnium victimarum jecinora replicata intrinſecus ab ima fibra patuerunt.* Plin. paullo infra locum citatum. *murium jecusculis fibrae ad numerum lunae in menſe congruere dicuntur.* Cornelius Celſus *lib.* IV. *cap.* I. *Pulmo ſpongioſus, ideo ſpiritus capax, & a tergo ſpinae junctus, in duas fibras ungulae bubulae modo dividitur.* Pomp. Mela *lib.* II. *cap.* 3. de Peloponneſo loquens: *Vocaturque Peloponneſus ob ſinus & promontoria, quis ut fibris littora ejus ſunt inciſa.* ex his, quae attulimus, exemplis, apparet ſatis credo, fibras in extis eſſe, quas diximus, extremas partes. In ſtirpibus autem quae fibrae ſint, videtur egere expoſitione attentiore. Labuntur enim non pauci in notione hujus verbi explicanda. Servius in illum Virgilii verſum *Georg.* I. [*vſ.* 120.]

Strimoniaeque grues, & amaris intuba fibris.

fibras interpretatur *radiculas:* neque id ſine rivali. ego fibras folia expono. quod autem folia fibrae ſint, probat Columellae, lectiſſimi auctoris, teſtimonium

nium *lib.* II. *cap.* 12. de saritione sic loquentis: *Triticum & adoreum cum quatuor fibras habere coeperit, ordeum cum quinque.* Idem *lib.* VI. *cap.* 10. *Porri etiam succus cum oleo*, (sic enim lego; non *succum oleo*, ut in vulgatis libris legitur) *vel ipsa fibra cum ordeacea farina contrita remedio est. ejusdem radices diligenter lotae, & cum tritico pinsitae, jejunoque datae vetustissimam tussim discutiunt.* Ecce ut fibram a radicibus clare distinxit. Idem *lib.* XII. *cap.* 2. *Eorumque tempestiva saritio est, cum enata frumenta quatuor fibrarum esse coeperint.* Plin. *lib.* XVIII. *cap.* 26. de segete sarienda. *Lex certa in eo, cum quatuor fibrarum esse coeperit. faba vero non antequam trium foliorum.* Columel. *eodem lib. cap.* III. de allio loquens: *Deinde cum ternas fibras emiserint spicae, sariantur.* Idem X. *Intuba cum teneris frondens lactucula fibris.* Virgilius igitur cum *fibras* dixit, folia non radices intellexit. cum autem *amaras* addidit, quasi allusit ad appellationem Graecam. Nam Graeci κιχώριον quidem, sed πικρίδα etiam nuncupant, a πίκρον, quod amarum significat. *Intubum* autem Latinum verbum est. ideo per, *u*, media syllaba, non per *v* scribitur. Enecantur porro sata multo magis quam radicibus & capillamentis intubi, foliis & fruticantibus multis ex una radice ramulis nodisque ipsius intubi, huc illucque discursantibus, & implicantibus vicinas stirpes(*a*). ex unica namque intubi radice brachia quam plurima prodeunt, & late funduntur. Ne tamen penitus inscitiae reum peragamus Servium (quamquam hic sententiam non muto) afferenda etiam exempla sunt bonorum scriptorum, qui fibras pro radicibus vel capillamentis radicum acceperunt. Plin. *lib.* XVII. *cap.* 10. *Quam minime rimosum (solum) ne penetrans sol exurat fibras.*

(*a*) Hæc corrupta videntur.

bras. Cic. *tertia Tusculana* [*cap.* 6.] *Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras.* Idem *ibidem ad finem.* [*cap.* 34.] *Haec sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae, & omnes elidendae, ne ulla umquam possit existere.* Idem *de Senect.* [*cap.* 15.] *Et elicit herbescentem ex eo viriditatem: quae nixa fibris stirpium sensim adolescit: culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur.* Theodorus cum locum hunc verteret ῥιζέους dixit. Virg. *in Moreto.* [*vs.* 88.]

Quatuor evellit cum spissis allia fibris.

Plin. *lib.* XVII. *cap.* 18. *Praecisarum ad radices plagam fibrasque aceto acri & urina vetusta madefacere.* Idem XIX. *cap.* 2. *Tubera haec vocantur, undique terra circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis.*

CAPUT XXIII.

Livii locus declaratus.

Libro IV. *ab V. C.* [*cap.* 58.] Livii haec sunt verba: *Profertur tempus ferundae legis: quam, si subjecta invidiae esset, antiquari apparebat.* Legem hic intelligo non de Consule ex plebe creando: non agrariam: sed de bello Vejentibus indicendo. Nec aliter accipi posse, declarant Livii verba praecedentia & sequentia. quae praecedunt, haec sunt: *Id patres aegre passi decrevere, ut Tribuni militum de bello indicendo Vejentibus primo quoque die ad populum ferrent. quod ubi primum promulgatum est, fremere juventus. &c.* quae sequuntur vero haec sunt: [*cap.* 60.] *Repente spreto auxilio Tribunicio certamen conferendi est ortum. & lege perlata de indicendo Vejentibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium novi Tribuni militum consulari potestate Vejos duxere.*

CAPUT XXIV.

Ciceronis locus restitutus.

Unum verbum additum instaurat locum defectum *in II. actione in Verrem.* [*lib.* 1. *cap.* 60.] *Petita multa est apud istum Praetorem a Q.* Opimio: *qui adductus est in judicium, verbo, quod cum esset Tribunus plebis intercessisset contra legem Corneliam, quod in Tribunatu dixisset contra alicujus hominis nobilis voluntatem.* adde ergo, *re*, vel *revera:* sic, *verbo quod cum esset Trib. pleb. intercessisset contra legem Corneliam: revera, quod in Tribunatu dixisset contra alicujus hominis nobilis voluntatem.*

CAPUT. XXV.

Ejusdem alter locus emendatus.

Sunt apud Ciceronem permulti loci integri sanique, qui tamen manci corruptique censentur: maxime ob hanc caussam, quod male verba interpuncta sunt. Ex multis quos nos aliter distinximus, atque antea habebantur, hic unum apponere est visum ex Bruto. [*cap.* 72.] qui nunc sic ubique scribitur: *Nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum & Muciorum familiis audiebamus: sed quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris, & iis quidem reconditis & exquisitis, summoque studio & diligentia est consecutus.* Ego vero sic dispono: *Nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Laeliorum & Muciorum familiis audiebamus: sed quamquam id quoque credo fuisse tamen, ut perfecta esset illa bene loquen-*

quendi laus, multis litteris, & iis quidem reconditis, & exquisitis, summoque studio & diligentia est consecutus.

CAPUT XXVI.

[*Horatii locus expositus.*]

In eo versu Horatii *ex Oda prima lib.* 1. *Carminum.* [*vs.* 8.]

Certat tergeminis tollere honoribus.

Inquirunt omnes interpretes cum veteres, cum novi, quinam sint *tergemini honores.* nec adhuc quisquam mihi satis suam sententiam probat. Ego *tergeminos* expono multos, aut maximos, ex consuetudine linguae non solum Latinae, sed etiam Graecae. Quippe apud Plautum [*Aulul. Act.* 1. *sc.* 4. *vs.* 47.] *trifurcifer*, & *trifur* est pro eo, quod est insignis ac magnus furcifer, ac fur. sic *trivenefica* apud eundem [*Bacch. Act.* 4. *sc.* 7. *vs.* 15.] pro magna & insigni venefica. & *triparcus* [*Pers. Act.* 2. *sc.* 3. *vs.* 14.] pro tenacissimo atque arido, summeque avaro. Apud Graecos τριβάρβαρος, maxime barbarus est; qui τρίγληνα quoque dicunt auctore Apione apud Suidam, [*in voc.*] & Eustathio in *Homer. Iliad.* ξ. πολλῆς γλήνης καὶ θέας ἄξια, id est valde spectatu digna. τρικυμία decumanus ac maximus fluctus est apud Platonem *V. de Repub.* libro. ejusmodi sexcenta quivis reperiet Βάρος τριπόθητος, τρίδουλος, τρίπρατος, τρισευδαίμων (*a*), quemadmodum nos quoque *ter beatum ac felicem* aliquem nuncupamus.

(*a*) Secutus sum ipsius *Matii* editionem, licet verba Βάρος, & τρίπρατος quid velint, nesciam.

CA-

CAPUT XXVII.

Dares Phrygius, & Dictes Cretensis emendati: Virgilii locus expositus.

Corruptus est locus apud Daretem Phrygium in catalogo auxiliariorum, qui Priamo advenerunt, qui tamen parvo negocio purgatur. Daretis haec sunt verba. [*cap.* 28.] *De Larissa Hippothogus & Cupessus* (*a*). Ubi lege ex Dicte Cretensi, & Homeri Boeotia, [*Il.* β. *vs.* 840. *seqq.*] *Hippothous & Pylaeus.* Homeri versus sunt.

Ἱππόθοος δ' ἄγε φῦλα πελασγῶν ἐγχεσιμώρων.
Τῶν οἳ Λάρισσαν ἐριβώλακα ναιετάασκον.
Τῶν ἦρχ' Ἱππόθοός τε, Πύλαιος τ' ὄζος ἄρηος.
Υἷε δύω λήθοιο πελασγοῦ Τευταμίδαο.

Dictes autem *lib.* II. [*cap.* 35.] *Dein Hippothous Pylaei ex Larissa Pelasgidarum.* quibus tamen in verbis, si Homerum sequamur, non *Pylaei* legendum est, sed, *& Pylaeus*: hoc modo. *Dein Hippothous & Pylaeus ex Larissa Pelasgidarum* (*b*). Atque hi duces sunt, & hi Pelasgi, de quibus intelligit Dido sine dubio apud Virgilium, cum ait *lib.* I. *Aeneïdos.* [*vs.* 627.]

Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanae, nomenque tuum, regesque Pelasgi.

qui Pelasgi in Asia, non in Europa fuere. & Cilicibus Troadem habitantibus finitimi fuere, & Priamo opem tulerunt, auctore Strabone *lib.* V. [*pag.* 338.] & XIII. [*pag.* 621.] ubi addit, eam, quae

(*a*) In quibusdam editionibus legitur: *Hippothous & Copesus.*
(*b*) Sic etiam hunc locum restituendum censuit *Obrechtus* in notis.

quae postea Jonia dicta est, olim Homeri temporibus Pelasgiam esse appellatam cum vicinis insulis: adeo ut Lesbus etiam in Pelasgis esset. Addit praeterea idem Strabo *lib.* XIV. [*pag.* 995.] Asianos omnes Cheronesi, id est Asiae minoris, quae ab Issico sinu ad Sinopem in Ponto protenditur, socios Trojanorum fuisse.

CAPUT XXVIII.

Ciceronis locus purgatus.

Libro II. *de Oratore* [*cap.* 52.] haec verba leguntur: *Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse. sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer.* Invidia omnino non est in inferiores. Id certius est, quam ut probandum sit. Est enim invidia, aegritudo ex secunda alicujus paris fortuna, & in eum dumtaxat, cujus sunt res felices, atque etiam meliores nostris. Ergo non invidetur inferioribus. Itaque confitendum est, maculam occupasse Ciceronis locum, in illis verbis: *aut inferioribus.* quod satis ipse Cicero innuit, cum statim subjungit. *cum se relictos sentiunt.* hic enim evidenter ostendit, inferioribus non invideri. Itaque existimo, vocem hanc utramque: *aut inferioribus:* omnino vacare. Qui autem cupit pulchra, & scitu digna intelligere de natura Invidiae, praeter Aristot. *lib.* II. *de arte Rhetor.* adeat Plutarchum, qui elegantissimum & doctissimum libellum conscripsit de differentia Odii & Invidiae. Et nos quaedam tetigimus in nostro compendio in artem Rhetoricam. Si quis in verbis Ciceronis, *inferiores* exponat, qui aliquando inferiores fuerint, sed postea evolarint, dicet quidem

dem aliquid, ſed iſti comprehendantur neceſſe eſt verbis, quae ſtatim ſubſequuntur, quae haec ſunt: *ſed etiam ſuperioribus invidetur ſaepe vehementer.*

CAPUT XXIX.

Locus Diogenis Laërtii defenſus.

Diogenes Cynicus, ut eſt apud Laërtium [*in ejus vita ſect.* 24.] appellare ſolebat τοὺς δημαγωγοὺς ὄχλου διακόνους. id eſt: *turbulentos oratores* (ſic enim fere vertunt) *vulgi miniſtros.* quo in loco nonnulli non διακόνους, ſed διαγωγοὺς ex ingenio legunt. Ego nihil mutandum cenſeo. Appellat enim Diogenes oratores ſervos populi: quod in concionibus populi auribus abblandirentur, univerſasque ſententias ſuas non ad cauſſam, ſed ad ſtudia vulgi, accommodarent, gratiae popularis emerendae cauſſa. & ut ſervi dominorum nutum, ſic ipſi mores & voluntatem concionis ſemper intuerentur: loquerenturque non quae utilia & honeſta judicarent, ſed quae quemque libenter eſſe auditurum arbitrarentur. Qua in re inſaniiſſe praeter ceteros Periclem, ſervumque (ut ſic dicam) maximum populi fuiſſe tradit Aelianus de varia hiſtoria *lib.* IV. [*cap.* 10.] Εἶτα οὐκ ἦν τοῦ δήμου Ἀθηναίων θεραπευτικὸς ὁ Ξανθίππου Περικλῆς; ἐμοὶ μὲν δοκεῖ. ὁσάκις γοῦν ἔμελλεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν παριέναι, ηὔχετο μηδὲν αὐτῷ ῥῆμα ἐπιπολάσαι τοιοῦτον, ὅπερ οὖν ἔμελλεν ἐκτραχύνειν τὸν δῆμον, πρόσαντες αὐτῷ γενόμενον, καὶ ἀβούλητον δόξαν. Quemadmodum autem Diogenes oratores vulgi miniſtros ſervosque ibi appellavit, id eſt διακόνους, ſic alibi idem populum dixit *dominum oratorum.* Aelian. *lib.* IX. [*cap.* 19. *V. H.*] ἠρίστα ποτὲ Διογένης ἐν καπηλείῳ. εἶτα παριόντα Δημοσθένη ἐκάλει. τοῦ δὲ μὴ ὑπα-

ὑπακούσαντος, αἰσχύνῃ ἔφη, Δημόσθενες, παρελθεῖν εἰς καπηλεῖον; καὶ μὴν ὁ κύριος σοῦ καθ' ἑκάςην ἡμέραν ἐνθάδε εἴσεισι· τοὺς δημότας λέγων, καὶ τοὺς καθ' ἕνα δηλῶν. ὅτι οἱ δημηγόροι καὶ οἱ ῥήτορες δοῦλοι τοῦ πλήθους εἰσί.

CAPUT XXX.

Probum falli.

Probus Grammaticus [*Inſt. Gram. lib.* 1. *p.* 1432. *Edit. Putſchii.*] & eum ſecuti tradunt, *ae* diphthongum ſequente vocali brevi, cum non excluditur, productam ſervari: ut eo verſu Virgilii. [*Ecl.* x. *vſ.* 12.]

Ulla moram fecere, neque Aoniae Aganippe.

Contra vero corripi, cum a longa vocali excipitur. ut apud eumdem. [*Aen.* III. *vſ.* 211.]

Inſulae Jonio in magno: quas dira Celeno.

Sed contra ejus ſententiam teſtimonium dicunt apud eumdem Virgilium hi verſus. [*Ecl.* VII. *vſ.* 53.]

Stant & juniperi, & caſtaneae hirſutae.

Et [*Georg. lib.* I. *vſ.* 436.]

Glauco, & Panopeae, & Inoo Melicertae.

Namque in *caſtaneae* diphthongus longa remanet ſequente vocali longa. contra in *Panopeae*, brevi ſequente vocali, tamen diphthongus corripitur.

CAPUT XXXI.

Ultimam in vocibus ſupernè & infernè *brevem eſſe.*

Verſus eſt Horatii dimeter Jambicus Archilochius Hypercatalecticus, *Ode ultima lib.* II. [*vſ.* 11.]

Superne naſcunturque leves.

Quo in loco pro *ſuperne* nonnulli ſyllabae timentes *ſuperna* legendum ſcripſerunt. quo modo & Virgilium aſſerunt poſuiſſe. [*Georg. lib.* II. *vſ.* 134.]

Flos apprima tenax. —— ——

Pro *apprime.* quaſi vero eadem ſit huic adverbio *ſuperne*, cum *apprime*, *docte*, *probe*, & ſimilibus, analogia. Falluntur hi. Namque quemadmodum ab *infime*, *extreme*, *intime*, adverbiis nomina deducta ſunt *infimus*, *extremus*, *intimus*, non contra, auctore Priſciano *lib.* XV. [*p.* 1016.] ſic itidem *inferne*, & *ſuperne* dicendum eſt eſſe originem: unde *infernus* & *ſupernus* naſcantur, non autem contra. Ultimam porro habere brevem hanc utramque vocem *inferne* & *ſuperne*, praeter Horatii teſtimonium, probant etiam exempla aliquot Lucretii, cujus eſt verſus *lib.* IV. [*vſ.*441.]

Remorum recta eſt, & recta ſuperne guberna.

Idem *lib.* VI. [*vſ.* 186.]

Nec tibi ſit fraudi, quod nos inferne videmus.

Idem ibidem. [*vſ.* 543.]

Terra ſuperne tremit magnis concuſſa ruinis.

Ibidem. [*vſ.* 764.]

Ducere forte Deos manes inferne reamur.

Ibidem. [*vſ.* 596.]

Tecta ſuperne timent, metuunt inferne cavernas.

CAPUT XXXII.

Ciceronis locus reſtitutus.

Nullo modo extorqueri mihi poteſt, quin ſuſpicer, in verbo *Leonaticum*, quod eſt apud Cic. *III. de Natura Deorum* [*cap.* 19. *ad fin.*] mendum eſſe. *Virorum* (inquit) *fortium memoriam honore Deorum immortalium conſecratam. ob eam enim ipſam cauſ-*

caussam Erichtheus Athenis, filiaeque ejus in numero Deorum sunt. Itemque Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Quaeso, quod monstri est vox illa *Leonaticum*? At Leocorion (inquit Cic.) nominatur Athenis, id est Λεωκόριον. Latina porro quomodo? aut quid significat? Quoniam autem credendum est, Ciceronem voluisse Graecam vocem Latina oratione exprimere, & Λεωκόριον significat delubrum τοῦ Λεὼ κόρων, id est *Leo filiarum*, propterea pro *Leonaticum*, *Leo natarum*, diviso verbo legendum puto. Adducorque in hanc sententiam magis: quod quemadmodum meminit Cicero Erichthei, & ejus natarum, sic Leo (est autem Λεὼ genitivus Graecus Atticus) & filiarum ejus debuit meminisse. sic igitur lego: *Ob eam enim ipsam caussam Erichtheus Athenis, filiaeque ejus in numero Deorum sunt. Itemque Leo natarum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur:* quam suspicionem meam, atque adeo sententiam, persuadeo mihi, doctis omnibus probatum iri (*a*). Quod vero Cic. delubrum dixit, Aelianus *de Varia historia lib.* XII. [*cap.* 28.] τέμενος, Suidas ἡρῷον in dictione Λεωκόριον vocant. historiamque & nomina puellarum tradunt. & Diod. Siculus *lib.* XVII. Hujus fani meminit quoque Thucydides *lib.* I. [*pag.* 166.] & VI. [*p.* 414.] & Pausanias *lib.* I. [*cap.* 5. *p.* 13.] & Hegesias apud Strab. *lib.* IX. [*p.* 607.

(*a*) G. *Canterus Lect. Novar. Lib.* V. *cap.* 18. conjiciebat *Leontium* vel *Leonticum*: sed hæc ejus conjectura merito displicuit *Davisio* in notis ad hunc *Ciceronis* locum. Is autem vulgatam scripturam retinendam censet, & vocem *Leonaticum* à *Cicerone* confictam putat, ut Graecum λεωκόριον exprimeret. Mihi vero valde placet *Matii* correctio, cui præter D. *Lambinum* consentit quoque Vir Eruditiss. *P. Leopardus Emendat. Lib.* XIX. *cap.* 23.

[*p.* 607.] Gregorius etiam Nazianzenus. [*Jamb.* 18. *p.* 215. *Ed. Parif.* 1630.]

Τὶ ταῦτα τοῦ Λεὼ καὶ θαυμάζεις κόρας,
Τὰς τῶν Ἀθηνῶν προσφαγείσας ἀσμένως?

Leonis filiarum, atque etiam Erichthei, quae Hyantides fuerunt appellatae, hiftoriam tangit Demofthenes in laudatione funebri Athenienfium. [*p.* 244. *in fin. Ed. Francof.* 1604.]

CAPUT XXXIII.

Feneratores cur boni dicantur. χρήστης.

Cur Plautus & Cicero feneratores *bonos viros appellant?* neque enim mihi perfuadeo, ut irrifionem putem. An, quemadmodum opes & fortunae, *bona* vocantur, fic feneratores, quod opulenti fint, *bonos* vocaverunt? An allufum eft ad vocem χρηστοὺς? propter vicinitatem fimilitudinemque, quae eft inter χρήστας, qui funt feneratores, & χρηστοὺς, qui funt optimi? Plauti haec funt verba in Curgulione. [*Act.* IV. *fc.* I. vf. 14.] *In foro infimo boni homines atque dites ambulant.* Cicero ad *Att. lib.* IX. [*Epift.* 12.] *Viri boni ufuras perfcribunt.* Idem *Officiorum II. ad finem. Sed de hoc toto genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda commodius a quibusdam optimis viris ad medium Janum januae fedentibus, quam ab ullis philofophis ulla in fchola difputatur.* Neque folum feneratores *boni*, fed omnino divites, & qui conftitutis rebus bene funt, *boni* appellantur. Cic. *ultima ad Brut. Epiftola. prope fin. Obdurefcunt* (al. *obfurdefcunt*) *enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi.* χρήστης autem modo feneratorem, modo debitorem fignificat. Sed ut fuum cuique con-

confiteamur, apponamus verba Scholiastae *Aristoph. in Ranis* [*in Nubib. vs.* 239.] χρήστας Ἀριστοφάνης τοὺς δανειστὰς λέγει. ἡ μὲν γὰρ συνήθεια χρεωφειλέτας χρήστας καλεῖ, Ἀθηναῖοι δὲ τοὺς μὲν δανειστὰς χρήστας λέγουσι. τοὺς δὲ ὀφειλέτας, χρεωφειλέτας] καὶ χρεώστας. Φωκυλίδης ἐν μὲν τοῖς αὐτοῦ ποιήμασι κατὰ τὴν συνήθειαν τοὺς χρεωφειλέτας χρήστας καλεῖ, λέγων οὕτως. Χρήστης κακοῦ ἔμμεναι ἀνδρὸς φεῦγε, μή σ' ἀνιήσειε διδοὺς παρὰ καιρὸν ἀπαιτέων. ἐν ἐκείνῳ μέν τοι ἀντὶ τοῦ δανειστὴς λαμβάνεται. Μηδέποτε χρήστης πικρὸς γένῃ ἀνδρὶ πένητι. Atque admonendus est lector, priora Phocylidae carmina apud hunc interpretem perturbata corruptaque esse. neque in Paraenesi Phocylidae legi (*a*), quae quidem nunc circumfertur, cum posteriore loco citatus versus integer sit, & in illius libello legatur. [*vs.* 79.]

CAPUT XXXIV.

Silii Italici versus declaratus & emendatus. & Ciceronis loca exposita.

Sospita Juno Lanuvii sanctissime colebatur. Cic. *pro Murena.* [*cap. ult.*] *Nolite a sacris patriis Junonis Sospitae, cui omnes Consules facere necesse*

(*a*) Verum est hos versus in νουθετικῷ, quod sub Phocylidis nomine legimus, non reperiri. Et plura sunt, quæ veteres ex Phocylide protulerunt, ibi non invenienda. Atque hanc ob causam, ut & ob argumentum stilumque hujus admonitorii, Christiani potius aut Judæi hominis, quam Ethnici, non male censuisse videntur Viri Doctissimi, *Jos. Scaliger*, *Js. Vossius* aliique, spurium esse illud νουθετικὸν, atque confictum, licet refragetur Eruditiss. *J. A. Fabricius Bibl. Græc. Lib.* II. *cap.* II. Interim illud notandum, integrum fere hoc scholium in Lexicon suum transtulisse Suidam in voc. χρήστης. ubi tamen Phocylidis versus æque corrupti le-

cesse est, domesticum & suum Consulem potissimum avellere. Silius Italicus *lib.* XIII. [*vs.* 364.] fingit Milonem quemdam militem Lanuvinum a Fulvio corona murali donatum, respiciens nimirum ad T. Annium Milonem civem Lanuvinum, qui P. Clodium civem seditiosum interemit. Sed ex vicinitate vocum menda irrepsit in carmen Silii. pro *Lanuvio* enim *Lavino* nunc legitur. Sic ergo scribendum:

Lanuvio generate (inquit) quem sospita Juno
Dat nobis Milo, Gradivi cape victor honorem.

Ciceronis locus, qui subjungitur, corruptus nonnullis videtur, qui tamen vitio fortasse caret. verba sunt ex *I. Offic.* [*cap.* 7.] *Sed quoniam (ut praeclare scriptum est a Platone) non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria, partem parentes, partem amici sibi vindicant, atque (ut placet Stoicis) quae in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse genitos, ut ipsi inter se alius alii prodesse possit, in hoc naturam debemus sequi ducem.* In his Ciceronis verbis ex *I. Off.* duo sunt observatu & scitu digna. prius conjunctionem illam, *que*, in illis verbis: *Ortusque nostri partem patria, partem parentes &c.* non copulativam esse, sed adversativam, ut dicunt Grammatici: positamque esse pro *sed.* Quam expositionem satis aperte indicant Platonis verba ex epistola ad Archytam [*Ep.* 9.] unde sumpsit Tullius, esse veram & necessariam. ὅτι ἑκάστος ἡμῶν οὐκ αὐτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενήσεως ἡμῶν τὸ μὲν τί ἡ πάτρις μερίζεται. *&c.* non me latet, in suis libris nunc aliquos

leguntur. Sed emendat eos Kusterus hunc in modum:

--- --- χρείστης φεύγειν κακοῦ ἔμμεναι ἀνδρὸς,
Μή σεγ' ἀνιήσειε δίδους παρὰ καιρὸν ἀπαιτῶν.

Qui tamen fallitur, cum ad Aristoph. Nub. *vs.* 239. alterum etiam versum Μηδέποτε &c. in Phocylide hodie legi negat.

quos ſcribere, *Sed ortus noſtri*, &c. ſed prior ſcriptura mutanda haud fuit, non duce & auctore aliquo antiquo manuſcripto libro. praeſertim cum eodem modo & in eadem ſententia particula eadem uſus ſit Virg. *lib*. VI. [*vſ*. 735.] cum inquit:

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt peſtes. penitusque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.

Ibi enim, *penitusque neceſſe eſt*, interpretor, *ſed neceſſe eſt*. quam interpretationem aequus aeſtimator admittet libentius ſat ſcio, ſi longam ibi eorum verſuum expoſitionem Servii Honorati diligentius attenderit.

Alterum vero in Cicerone, quod dixi advertendum eſſe, ſunt verba illa, *creari*, & *genitos eſſe*, per infinitum modum prolata, quæ pro indicativis ponuntur, *creantur & gignuntur*.

In prooemio quoque libri de Amicitia vocem illam, *Hemicyclus*, exponunt male, qui ſellam putant ſignificare: eſt enim Hemicyclus non cathedra, non ſedes, ſed locus multarum ſellarum capax. Id ex Diodoro Siculo, & Suetonio *in libro de Claris Grammaticis* didicimus. Suetonii verba ſunt in *Verrio Flacco*. [*cap*. 17.] *Statuam habet Praeneſte in inferiore fori parte contra Hemicyclum; in quo Faſtos a ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos publicarat.* Diodori vero *lib*. II. *cap*. 5. *Adſtantibus judicibus amplius quadraginta numero, ſedentibusque in praeparato ultra ſtagnum Hemicyclo, trahitur navis ad id compoſita ab iis, quibus ea cura injuncta eſt, regente magiſtro, quem ſua lingua Aegyptii Charontem vocant.*

CAPUT XXXV.

Cornelii Nepotis locus emendatus.

In vita Pomponii Attici, quam Cornelius Nepos scripsit, leguntur haec verba. [*cap.* 2.] *Nam universos frumento donavit; ita ut singulis VII. modii tritici darentur. qui modius mensurae Medimnus Athenis appellatur.* al. *qui modius Medimnus Athenis appellatur.* Utraque haec lectio corrupta falsaque est. Neque enim Modius, Medimnus est. immo qui curiosius haec observant, Modium sextam esse Medimni partem tradunt. praeterea non satis congruenter dicitur, *qui Modius mensurae Medimnus appellatur.* Itaque fatendum est, maculam esse in notis numerorum, & praeterea etiam in verbo *Modius:* quae macula non dubito, quin sit hoc pacto eluenda, pro *Modius*, *modus* legendo. *Ita ut singulis VI. Modii tritici darentur. qui modus mensurae Medimnus Athenis appellatur.* Sic Latina mensura Graecae mensurae respondet. quod (ut dixi) sex Modii (Romana haec est mensura) Medimnum faciunt. Medimnus autem Graeca mensura est.

Cum haec scripsissemus, allatus est nobis Paulli Manutii libellus Annot. in Vitam hanc Attici qui idem, ut fuit vir non hebetis judicii, nobiscum vidit. itaque gaudeo sensus meos cum sententia hominis doctissimi congruere.

CAPUT XXXVI.

Loca duo A. Gellii restituta.

A. *Gellii*, quem nunc *Agellium* scribunt, verba sunt haec *cap.* xv. *lib.* I. *Linguam autem debere ajunt non esse liberam, nec vagam: sed vinculis de*

de pectore imo ac corde apertis moveri, *& quasi gubernari.* pro *apertis*, lege *aptis*: eo ſenſu, quo extat apophthegma ſapientis illius, qui dixit. *Nihil morari ſe fortunas de rudentibus aptas.*

Idem *lib.* III. *cap.* 9. de equo Sejani. *Mox eumdem equum, qui Dolabellae fuerat, C. Caſſium, qui Dolabellam obſederat, adduxiſſe. quem Caſſium poſtea ſatis notum eſt, victis Parthis, fuſoque exercitu ſuo miſeram mortem oppetiiſſe.* pro *victis Parthis*, lege omnino *victis partibus.* Bruti ſcilicet & Caſſii ipſius. Non me quidem praeterit, hunc eumdem C. Caſſium M. Craſſi Quaeſtorem poſt Craſſianam cladem egregie Parthos ab Antiochia repuliſſe, quo tempore Cicero Proconſule Provinciam Ciliciam adminiſtrabat. Sed ea hic nunc hiſtoria nihil ad rem. Tum ſi Parthos vicit, quomodo ejus eſt fuſus exercitus? Praeterea non poſt obſeſſum Dolabellam Parthi a C. Caſſio ſunt victi: ſed contra. Itaque dubitandum non eſt, quin *victis partibus* ſit legendum.

CAPUT XXXVII.

Ilex a Virgilio cur opaca & frondens. & locus Livii explicatus.

Ilex, ut tradit Plin. *lib.* XVI. *cap.* XXI. & auctor Graecus Collectaneorum de re ruſtica *lib.* XII. *cap.* I. & alii, qui de ſtirpibus ſcripſere, arbor eſt ex genere earum, quibus numquam folia excidunt. haec ergo cauſſa eſt, propter quam Virg. eam interdum *opacam*, interdum *frondentem* appellat. *lib.* V. [*vſ.* 129.]

Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit.

Lib. VI. [*vſ.* 208.]

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice.

Apud Livium eſt *lib.* XXIII. circa finem [*cap.* 49.] elegans figura dicendi, quam ſemel atque iterum uſurpat. *Quorum duo fuerunt poſtulata. unum, ne alii triennio eo publicani eſſent. alterum, ut quae in naves impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatisque vi, publico periculo eſſent.* & *lib.* XXV. [*cap.* 3.] *Hi, quia publicum periculum erat a vi tempeſtatis, in iis, quae portarentur ad exercitus. &c.* quibus in locis, *eſſe periculo publico*, vel *eſſe periculum publicum* (nam utrumque idem ſignificat) nihil aliud eſt, quam navigare ea conditione, ut ſi quod damnum acceptum fuiſſet, vel ab hoſtibus, vel a tempeſtate, publica pecunia id detrimentum ſarciretur. Sueton. in Claudio [*cap.* 18.] dixit: *Suſcepto in ſe damno, ſi cui per tempeſtates damni accidiſſet.*

CAPUT XXXVIII.

Ciceronis locus expoſitus.

D*eſtituere* apud antiquos pro *figere*, ſeu *defigere*, quod idem eſt, poſitum reperitur. C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis, ut eſt apud Gellium *lib.* x. *cap.* 3. *Idcirco palus deſtitutus eſt in foro: eoque adductus ſuae civitatis nobiliſſimus homo M. Marius: veſtimenta detracta ſunt: virgis caeſus eſt.* Et paullo poſt: *Gracchus autem noſter non querentis, neque implorantis, ſed nunciantis vice: palus (inquit) in foro deſtitutus eſt: veſtimenta detracta ſunt: virgis caeſus eſt.*

Haec idcirco a me annotata ſunt, ut ſciant ſtudioſi epiſtolarum Ciceronis, quid ſignificent verba

ex

ex epiſtola illa ad Paetum *lib.* IX. cujus initium eſt. *Amo verecundiam.* [*Ep.* 22.] *Ita me deſtituit nudum. totus eſt ſermo verbis tectus, re impudentior.*

Deſtituere namque verbum quidem honeſtum eſt. rem autem intelligi malo, quam a me declarari, quae obſcoena eſt. Non me fugit P. Victorium Virum doctiſſimum & optimum, in ſuis annotationibus in Varronem *de re Ruſtica* [*lib.* I. *cap.* 2. *num.* 2. (ſi recte nemini) putaviſſe hic poſitum eſſe *deſtituit*, pro *reſtituit.* Sed quid tum?

CAPUT XXXIX.

Virgilii locus expoſitus.

In Virgilio non ſat tutum eſt a crimine inſaniae, audere aliquid contra conſenſum fere ſaeculorum omnium. Sed tanti non ſint criminationes, etiamſi publicae. audeantur vera. ne ſemper ſtudioſi ejus poëtae veſtigia ſequentes male interpretantium, poſteris etiam ipſi ac ſecuturis errorem confirment. Poëtae igitur verſus ſunt *lib.* VII. [*vſ.* 408. *ſeqq.*]

Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem
Acriſionëis Danäe fundaſſe colonis,
Praecipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis. & nunc magnum tenet Ardea nomen.

Duo poſtremi verſus male intellecti ſunt. credoque occaſionem perverſe eos accipiendi ortam eſſe ex fabula ficta ab Ovidio *lib.* XIV. [*Metam. vſ.* 573. *ſeqq.*] de urbe Ardea poſt incendium in avem verſa. Sed quaenam tanta oculis omnium hactenus verſa eſt caligo, ut nullus adverterit, hic Virgilium nihil ne nutu quidem aut ſignificatione oſtendere

dere de volucri Ardea? Nam vocem illam, *avis*, qui vel prima rudimenta ponunt, fatebuntur admoniti ab posteriore syllaba, casum esse tertium ab eo, quod est, *avus*: non autem casum primum ab nomine, *avis*, volucrem significante. Praeterea ex vetustis scriptis codicibus, & ex Servii interpretatione in penultimo versu *Ardua*, non *Ardea* legendum est. Quae cum ita sunt, longe alius sensus sit, necesse est, quam vulgo putatur. qui quidem hic est. Locus, qui quondam ab avis, id est antiquis, *Ardua* dictus est, nunc *Ardea* dicitur: facta allusione (ut ait Servius) ad vocabulum hoc, *Ardua*. Res est adeo illustris, ut mirer, tamdiu allucinatas esse tot interpretum manus.

Quod autem Virgilius Allecto *tristem Deam* dixit, eo versu.

Protinus hinc fuscis Tristis Dea tollitur alis.

Respexit ad Graecorum vocem, qui furias Σεμνὰς vocant, ut *capite* XLIII. dicetur. Itaque *Tristis Dea* perinde est ac *furia*.

CAPUT XL.

Livii locus defensus & expositus

Secundo *lib.* Livii [*cap.* 37.] initium orationis Tulli Attii hoc est: *Invitus* (inquit) *quod sequi jus sit, de meis civibus loquor.* Quidam pro *sequi jus*, *sequius* tradunt legendum, inculcantes Sosipatrum Charisium docere, *sequius* significare *minus bene* aut *minus bonum.* Sed id est fucum facere, non exponere, aut emendare. Neque enim Charisius hoc tradit. Namque scribit ille [*Inst. Gramm. lib* 2. *pa.* 195. *Ed. Putschii.*], *sequius* solummodo significare, *minus*: non autem *minus bene*, aut *minus bonum.* Itaque probo ego lectionem, quae citra ul-

ullam omnino mutationem aut transpositionem litterae ullius est in meo manuscripto vetere libro sic: *Invitus* (inquit) *quos sequi jus sit, de meis civibus loquor.* vox enim illa relativa, *quos*, ad cives est referenda, ut sit sententia. Invitus loquor de meis civibus, quos & quorum consilia & facta si sequar, jure faciam: nedum ut eos criminari debeam. Sic *III. Officiorum* [*cap.* 10.] loquitur Cicero: *Sic in vita sibi quemque petere quod pertineat ad usum, non iniquum est: surripere alteri jus non est.*

CAPUT XLI.

Ora, Ostia, Capita in fluminibus.

Fluminum *ora* sunt & *ostia*. *Ora*, cum proprie loquimur, sunt fontes & capita, unde oriuntur. *Ostia* vero exitus fluviorum: ubi nomen amittunt, in mare, vel in alia flumina exeuntes: ἐκβολὰς Graeci vocant. Pomponius Mela *lib.* II. *cap.* 4. *Interfluit Timavus, novem capitibus exsurgens, uno ostio emissus.* Virg. I. *Aeneïdos.* [*vs.* 248.] de eodem Timavo.

—— & fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum gurgite montis
It mare proruptum, & pelago premit arva sonanti.

Ut non careant reprehensione, qui apud Virg. *novem ora* pro novem ostiis & exitibus acceperunt. Ut sileam, satis potuisse a Mela admoneri illos quoque alteros, qui *novem ostia* exponunt, *multa*, non autem praecise, *novem*. *Caput* autem commune nomen est tam *ori*, quam *ostio*. Ac quod pro ore accipiatur, superius exemplum Pomponii ostendit. pro *ostio* vero liquet ex Caesaris *lib.* IV. [*B. G. cap.* 10. *in fin.*] de Rheno loquentis: *Multisque capitibus*

bus in Oceanum influit. Ora etiam pro oſtiis ab optimis ſcriptoribus uſurpantur. Virg. IV. *Georg.* [*vſ.* 292.] de Nilo.

Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora.

Plin. *lib.* VI. *cap.* 37. de Tigri. *Infertur mari Perſico decumo* (al. *duplici*) *ore.* Idem IV. *cap.* 3. de Danubio. *Singula autem ora tanta ſunt, ut prodatur in XL. M. paſſuum longitudine vinci mare. dulcemque intelligi hauſtum.* Idem III. *cap.* 4. de Rhodano. *Libyca appellantur duo ejus ora modica.* Polybius quoque [*lib.* III. *Hiſt. cap.* 41.] de hoc eodem Rhodano loquens στόμα dixit, oſtium intelligens. Livius I. [*cap.* 33.] *In ore Tiberis Oſtia urbs condita.*

CAPUT XLII.

Creta Hecatompolis. Laurum mordere.

Virgilii verſus eſt *lib.* III. [*vſ.* 106.] *Aeneïd.* de Creta.

Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

Homerus quoque in Boeotia [*Il.* β. *vſ.* 156.]

Ἄλλοι θ', οἳ Κρήτην ἑκατόμπολιν ἀμφινέμοντο.

Idem tamen *in Odyſſ.* [*Od.* T. *vſ.* 174.] ἐνενηκοντάπολιν vocat. ſed Scholiaſtes Homeri in carmen ſupra allatum cauſſas reddit utriusque appellationis his verbis: *Cur hic Cretam dixit*, centum urbium? *in Odyſſea autem* nonaginta? *Dicendum igitur eſt*, *quod* centum *dixit non praeciſo certoque numero. ſed finitum numerum pro infinito accipiens*, centum *dixit pro multis. vel* (*quod verius eſt*) *ſicut ex hiſtoria accepimus. Leucus enim Creta potitus, decem urbes in ceterarum terrorem vaſtavit. Itaque probabiliter in Odyſſ.*

Odyss. dixit Cretam nonaginta urbes habere. Apud Platonem videor nonnihil in hanc sententiam legisse. Sed praestiterit Strabonis verba ex *lib.* x. [*p.* 735.] apponere: quae haec sunt: *Cumque dicat Poëta, Insulam nunc quidem centum, nunc autem nonaginta urbes continere, Ephorus sane posterius decem conditas esse asserit, secundum Trojana tempora, ab Althaemene Argivo comitantibus Doriensibus. Cretam sane XC. continentem urbes ab Ulysse nominatam dicit. Hic profecto probabilior est sermo. Alii autem ab Idomenei inimicis urbes eversas fuisse memorant. Ceterum poëta non Trojanis temporibus, sed potius aetate sua Cretam* ἑκατόμπολιν, *id est centum urbium vocat, ipse enim e sua persona loquitur. Quod si quis ejus temporibus loquens introduceretur, sicut in Odyssea cum urbes XC. refert, sic recte accipienda esset elocutio. & sequens servaretur oratio. Neque enim durante militia, neque post Idomenei reditum ex Troja ejus inimici probabiliter decem urbes destruxere. Nam ejus rei testis est poëta hoc modo dicens:*

Πάντας δ' Ἰδομενεὺς Κρήτην εἰσήγαγ' ἑταίρους,
Οἱ φύγον ἐκ πολέμου. πόντος δὲ οἱ οὔτιν' ἀπηύρα.

Hujus enim jacturae mentionem fecisset. Haud enim Ulysses earum urbium eversionem noverat, cujus nullum convenisse Graecum neque cum erraret, neque postea contigerat. Ille autem & in expeditione socius Idomenei, & simul incolumis evadens minime sciebat, quid illi domi evenisset, dum militaret. nec in suo a bello reditu, sed neque post suum e bello reditum. Nam si cunctis cum sociis & amicis evasit incolumis, potens utique reversus est. quo circa inimici non tantum invalescere debuerunt, ut decem illius urbes interciperent.
Cur Virgilius *lib.* III. *Aeneid.* [*vs.* 90.] dixit *laurum tremere?*

--- *tre-*

—— *tremere omnia visa repente,*
Liminaque Laurusque Dei.

Laurus erat prope Apollinis Tripodem, quam Pythia quassabat oracula reddituræ. Aristoph. *in Pluto* [*vs.* 212.]

Ἔχω τίν' ἀγαθὴν ἐλπίδ', ἐξ ὧν εἶπέ μοι
Ὁ Φοῖβος αὐτὸς πυθικὴν σείσας Δάφνην.

Ubi ejus interpres Latine sic exponit. *Ajunt prope tripodem laurum fuisse, quam Pythia quassabat vaticinatura.* Praeterea Pythia ipsa lauro coronata vaticinabatur. Tripodes ipsi lauro erant coronati. mandebat & Laurum Pythia: qua comesta furens vaticinabatur. Unde proverbium natum. *Laurum momordit.* de quo Scholiastes Theogoniae Hesiodi circa principium.

CAPUT XLIII.

Cylonium Scelus apud Ciceronem.

Cylonium scelus verbum est in *II. de Legibus libro Ciceronis* [*cap.* 11.] continens antiquam historiam, quam cum nos verbis eorum scriptorum, a quibus tradita est, attulerimus, nihil necesse erit ad vocem & rem significandam atque explicandam amplius addere. Ciceronis haec sunt verba: *Nam illud vitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato Epimenide Cretense suadente fecerunt Contumeliae fanum & Impudentiae.* per *Cylonium scelus* profanationem fani Furiarum intelligit factam ex caede eorum: qui duce Cylone arcem Athenarum, in qua fuit Furiarum fanum, quod dixi, occupaverant. Pausanias Achaicis. [*cap.* 25. *p.* 588.] *Lacedaemonii ad aras confugiunt Dearum, quae* σεμναὶ, *quasi severas dicas, appellantur. Athenienses itaque supplices tum impune disce-*

discedere sunt passi. Aliquanto autem post illi ipsi, qui magistratus gerebant, Minervae supplices occiderunt, postquam una cum Cylone arcem occupassent. idcirco cum ipsi interfectores, tum eorum liberi visi sunt piaculum commisisse. Thucydides *lib.* I. [*cap.* 126.] *Primum jubendo tolli Dei piaculum, quod quidem tale erat. Cylon quidam Atheniensis fuit vir vetustae nobilitatis, ac potens, & qui Olympia vicisset. Huic in matrimonium accepta Theagenis Megarensis filia, tum Megarensium tyranni, apud Delphos oraculum Deus reddidit. quando maximum foret festum Jovis, occuparet arcem Athenarum. Is acceptis à Theagene copiis, persuasisque amicis, ubi advenere in Peloponneso Olympia, arcem urbis occupavit, tamquam tyrannum acturus. illud esse Jovis maximum festum interpretatus.* Et paullo post: *Quo cognito Athenienses ex agris ad hos coërcendos universi concurrerunt: obsessosque oppugnant. Sed diutina obsidione affecti magna ex parte discessere, delegata novem Archontibus custodia: & permisso, quod optimum censerent esse, agendi arbitrio. Tunc enim novem Archontes pleraque ad Rempublicam pertinentia administrabant. At ii, qui cum Cylone obsidebantur, misere habebant, cibo & aqua defecti. Et ipse quidem Cylon ejusque frater fugam clam fecerunt. Ceteri vero fame consumpti, nonnullis jam extinctis, supplices ad Aram, quae est in arce, sederunt. quos jussos surgere ii, quibus permissa custodia erat, cum viderent expirantes in templo, ne quid in eo sceleris admitterent, abductos interemerunt. quosdam etiam ipso transitu, & apud praecipuos Deorum, atque ad altaria sedentes. Unde impii & profani & illi, & ab eis progeniti sunt appellati. Insuper & ab Atheniensibus in exilium acti: nec non & a Cleomene Lacedæmone postea, Atheniensibus seditione laborantibus non modo vivi expulsi, sed etiam sublata defunctorum ossa sunt abjecta. Nihilo tamen mi-*

minus postea reverterunt. genusque illorum adbuc in civitate perstat. Quod piaculum Lacedæmonii exterminari jubebant, utique ante omnia Deorum vicem ulciscentes: sed scientes Periclem Xantippi filium huic piaculo affinem esse materno ex genere, credebant, eo dejecto facilius sibi de Atheniensibus successurum. Herodotus *lib.* v. [*cap.* 71.] Ἐναγέες, *ita nominabantur, qui Atheniensium piaculo obstricti erant. Cylon quidam Atheniensis vir Olympionices affectatae tyrannidis compertus est. Simulato namque aequalium sodalicio arcem occupare conatus, id cum efficere non potuisset, assedit simulacro Dei supplex ipse ac socii. Hos illinc summoverunt quidem Prytanes Naucrarorum, qui tunc Athenas gubernabant, data fide puniendi eos citra mortem. Sed culpa horum mox interfectorum fuit penes Alcmaeonidas. Haec ante Pisistrati aetatem sunt gesta. ubi Cleomenes per nuncium ejecit Clisthenem atque piaculares.* Suidas *in dictione* Κυλώνειον: Κυλώνειον ἄγος, ἀπὸ Κύλωνος, ὃν καταφυγόντα ἐπὶ τὰς σεμνὰς θεὰς ἀποσπάσαντες αὐτὸν οἱ περὶ τὸν περικλέα Ἀθηναῖοι ἀπέκτειναν. Diogenes Laërt. *lib.*I. *in Epimenide.* [*sect.*110.] *Porro illius fama per Graeciam volante Deo esse carissimus existimatus est. Unde & Athenienses cum aliquando peste laborarent, responso a Pythia accepto, urbem expiari oportere, Niciam Nicerati filium misere, Epimenidemque ex Creta advocarunt. Profectus autem Olympiade XVII. lustravit urbem: pestemque repressit hoc modo. Sumpsit oves nigro & candido vellere, duxitque in Areopagum. Atque inde quo vellent, abire permisit, his, qui illas sequebantur, mandans: ubicumque illac accubuissent singulas mactare Deo propicio. Atque in hunc modum quievit lues. ex eo jam hodieque per Atheniensium pagos aras sine nomine inveniri certum est, in ejus, quae tunc facta est, expiationis memoriam. Alii caussam dixere pestis Cylonium sce-*

ſcelus. liberationemque ſignificaſſe, atque ideo mortuos, duos adoleſcentes Cratium, & Lyſinnium. ſicque cladem quieviſſe. Athenienſes ea pernicie liberi talentum illi decernunt, & navim: quae illum in Cretam reveheret. Verum ille pecunia repudiata, amicitiam atque ſocietatem Athenienſium & Gnoſiorum impetravit. Strab. *lib.* x. [*p.* 734.] *Pheſto oriundum Epimenidem expiationes carminibus facientem ferunt. qui de purgamentis librum verſibus edidit.* Solon etiam quadam ſua epiſtola, quae eſt in volumine epiſtolarum Graecarum ad Epimenidem, de hac Epimenidis expiatione meminit. Plutarchus quoque *in Politicis ad Trajanum* [*Tom.* 2. *p.* 820. *C.*] & *in vita Solonis* [*Tom.* 1. *p.* 84. *A.*] Cylonii ſceleris & ejus expiationis hiſtoriam itidem fere narrat. additque praeterea Epimenidem ab Athenienſibus corona ex ſacra olea honoris ergo donatum fuiſſe. Athenaeus quoque *lib.* XIII. *cap.* 27. de hac expiatione meminit. Heraclides *de Rebus publicis* [*poſt N. Cragium de rep. Laced. p.* 500.] de Cylone ſic tradit: Τοὺς μετὰ Κύλωνος διὰ τὴν τυραννίδα ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς θεᾶς πεφευγότας, οἱ περὶ Μεγακλέα ἀπέκτειναν, καὶ τοὺς δράσαντας ὡς ἐναγεῖς ἤλαυνον. De Cylone & Epimenide quaedam etiam Pauſanias *lib.* 1. [*cap.* 14. & 28.] Porro quas Graeci σεμνὰς θεὰς dicunt, ſunt Furiae. Idem Suidas in voce σεμναί. Σεμναὶ θεαὶ, οὕτω καλοῦσιν οἱ Ἀθηναῖοι τὰς Ἐριννύας. Mentio etiam eſt τῶν σεμνῶν θεῶν Ariſtoteli *lib.* II. *de arte Rhetorica.* [*cap.* 43.] Dictae autem ſunt Furiae Σεμναὶ, quaſi ſeverae & triſtes. vel ut nonnulli tradunt per euphemiſmum, quaſi μεγαλοπρεπεῖς dicas, id eſt magnificas & auguſtiores. quomodo & Eumenides appellatas cenſent, quaſi humanas, faciles, & exorabiles: cum contra dirae ſint re & nomine. Quamquam alii ſcribunt tunc Eumenides eſſe appellari coeptas, cum poſt abſolutum in Areo-

pago Orestem suffragio Minervae, placatae & faciles illi fuere, cui antea fuissent infestissimae. quamquam si vim verbi, & naturam Furiarum intueare, σεμνὰς putabis dictas, quasi severas & diras. Libet etiam Pausaniae in Atticis [*cap.* 28. *p.* 68.] verba apponere: quod ad Ciceronis verba mire faciunt. *In propinquo* (inquit) *Areopagus sic dictus, quod in eo* Ἄρης, *id est Mars in judicium sit vocatus. Quomodo autem, & qua de caussa Alirrhothium occiderit, alibi a me est indicatum. Orestem postea ibidem parricidii caussam dixisse perhibent. adest & ara Minervae Areae, quam erexit, ut judicio fuit absolutus. Lapides vero argenteos, quibus rei atque accusatores omnes insistunt, unum Contumeliae, Impudentiae alterum appellant. Juxta templum est sacellum Dearum quas Athenienses* σεμνὰς, *Hesiodus Erinnys in Theogonia appellat.* Idem Corinthiacis. [*cap.* 11. *p.* 136.] *Templum Dearum, quas Athenienses* σεμνὰς, *Sicyonii Eumenidas appellant.* Verum hoc templum (ne quis fortasse in fraudem ducatur) diversum est ab eo, de quo supra diximus. illud enim Athenis, hoc in Peloponneso fuit, non procul ab ripa Asopi.

CAPUT XLIV.

Daphnis primus Bucolicorum carmen invenit.

Cur tantopere, tam frequenter Virgilius in Bucolicis Daphnim celebrat? Dicunt aliqui, sub hoc nomine fratrem suum laudari a Virgilio. Et sane de Virgilio incerti auctoris carmen hoc extat. [*in P. Pithoei Catalect. lib.* 11. *p.* 43.]

Tristia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro fratrem Diis immortalibus aequas.

Ego

Ego tam crebram tamque honoratam induci Daphnidis mentionem ob id maxime credo, quod Daphnis auctore Diodoro Siculo *lib.* IV. [*cap.* 84.] & Aeliano *de Varia historia* X. [*cap.* 18.] poëta Siculus fuerit bucolici carminis inventor, non Theocritus, ut interpretes Virg. fcribunt, & propterea cum dicit poëta. [*Ecl.* IV. *ipfo pr.*] *Sicelides Mufae.* & [*Eclog.* VI. *ipfo pr.*]

Prima Syracufio dignata eft ludere verfu
Noftra, nec erubuit filvas habitare Thalia.

Ibi atque in aliis ejusmodi locis tanto magis Daphnim quam Theocritum fignificari cenfuerim, quanto honoratius eft auctorem, quam imitatorem alicujus virtutis fuiffe. Diodori haec funt verba: *In hujus regionis filva admodum amoena, in quam divertebantur Nymphae, ex Mercurio & Nympha Daphnidem natum tradunt. qui a laurorum multitudine, quae in ea frequentes funt, appellatus eft Daphnis. educatus a Nymphis boum permulta poffedit armenta: a quorum cura Bucolos dictus eft. Cum effet ingenio acri, ftudiumque plurimum gubernandis bobus impenderet, carmen Bucolicum, quod etiam nunc ufque a Siculis in pretio habetur, adinvenit. Tradunt infuper illum in Dianae gratiam venandi ftudio impendiffe operam: eamque fiftula & cantu bucolico apprime oblectaffe. Hujus amore captam Nympham praedixiffe illi tradunt, fi cui alteri jungeretur, fe illum vifu privaturam. Poftmodum quadam Regis filia ab fe ebrio ftuprata oculis (ut praedictum fuerat) captus eft. Sed de hoc Daphnide iterum referetur.* Eadem fere tradit Aelianus (ut dixi) *lib.* X. *ad finem.*

CAPUT XLV.

Virgilii locus aliter quam ante expositus.

Virgilii versus ex VIII. [*vs.* 268.] sunt ita distinguendi, ut nos interpungimus: quamquam ibi interpretes aliter sentiunt.

Ex illo celebratus honos. laetique minores
Servavere diem. primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria templi.

Hic consistendum est, deinde nova sententia ordienda.

Hanc aram luco statuit, quae Maxima semper
Dicetur nobis: & erit quae Maxima semper.

Neque enim Potitii & Pinarii aram Maximam Herculi posuerunt, ut necesse esset intelligere, si legas & distinguas, sicut hactenus interpunctum fuit, hoc pacto,

——— *primusque Potitius auctor,*
Et domus Herculei custos Pinaria templi
Hanc aram luco statuit,

Sed ipse sibi Hercules Maximam aram posuit, auctoribus, Livio, Solino, Ovidio, Propertio. Livius *lib.* I. [*cap.* 7.] *Dextra Hercules data accipere se omen, impleturumque fata, ara condita atque dicata ait.* Solinus *cap.* 2. *Quippe aram Hercules, quam voverat, si amissas boves reperisset, punito Caco, patri Inventori dicavit.* & paullo post: *Suo quoque numini idem Hercules instituit aram, quae Maxima apud Pontifices habetur.* Ovidius *primo Fastorum.* [*vs.* 581.]

Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,
Hic, ubi pars urbis de bove nomen habet.

Pro-

Propertius *lib.* IV. [*El.* 9. *vs.* 67.] Herculem sic loquentem inducit.

Maxima quae gregibus devota est ara repertis,
Ara per has (inquit) Maxima facta manus.

Plutarchus tamen *in problem.* [*Tom.* II. *pag.* 285. *A.*] Evandrum tradit Herculi aram hanc statuisse. Sed de rebus Italiae Italis scriptoribus praesertim vetustioribus est credendum,

CAPUT XLVI.

Virgilii locus perpensus.

Cur Virgilius *lib.* VIII. [*vs.* 669.] in Clypeo Aeneae loquens dixit de Catilina?

—— —— Et te Catilina minaci
Pendentem scopulo, furiarumque ora trementem.

Quemnam ibi scopulum voluit intelligi? an scopulum tribunal innuit & judicium? propter L. Cassium Praetorem: cujus tribunal ob severitatem judicandi, reorum scopulum appellabant? de quo Valerius Max. [*lib.* III. *cap.* 7. *Exemp.* 9.] An per scopulum Apenninum intelligit? ubi cum suis copiis juxta Faesulas constitit Catilina, ut est apud Sallustium [*in Catil. cap.* 27.]? An saxum intelligit, quod poëtae ambitiosis fingunt imminere apud inferos? quod quidem de Tantalo legimus. Virg. VI. [*vs.* 602.]

Quos super atra silex jamjam lapsura, cadentique
Imminet assimilis.

Lucret. III. [*vs.* 993.]

Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus.

Claudianus *in Rufinum lib.* II. [*vs.* 506.]

——— ——— genus omne dolorum
In te ferre juvat. dubio tibi pendula rupes
Immineat lapſu.

Ac de hoc ſaxo Tantali meminit Euripides etiam [*in Oreſt. vſ.* 984.], & Pindarus [*Iſth. od.* 8. *vſ.* 21.], Hyginus [*fab.* 82.], Athenaeus *lib.* VII. *cap.* 3. & Cicero IV. *Tuſcul.* [*cap.* 16.] & I. *de Finibus.* [*cap.* 18.] Archilochus apud Pauſaniam Phocaicis. [*cap.* 31. *p.* 876.] & ſic Delphis pictus erat. Itaque immerito damnatur Tullius in hac re ab iis, qui deceptum eum in fabula hujus poenae Tantali: atque in eo ibi memoriae errorem arguunt. An vero damnatum Catilinam hac poena apud inferos voluit ſignificare, ut ſaxo alligatus perpetuo penderet de eo? Certe in evocatione animarum Lucanus *lib.* VI. [*vſ.* 793.] ad Virgilii verba alludit hoc carmine.

Abruptis Catilina minax, fractisque catenis.

Exercere ſtudioſorum ingenia nobis hic eſt viſum. Quod vero dicit, *Furiarumque ora trementem*, Ultrices Furias mortis filii, atque aliorum nefandorum facinorum intelligit. Quippe Catilina necato filio vacuam domum ſceleſtis nuptiis Aureliae Oreſtillae fecit. Fratrem interemit. cum virgine filia nefandiſſimam ſtupri conſuetudinem habuit. Plutarcho in Cic. [*Tom.* I. *p.* 865.] Salluſtio, [*in Catil. cap.* 15.] Appiano, [*Bell. Civ. lib.* II. *p.* 710. *Ed. Toll.*] Cicerone [*Orat.* I. *in Catil. c.* 6.] auctoribus.

CA-

CAPUT XLVII.

Facticia quae dicuntur verba. (a)

Adulari	Canum abblandientium.
Balare	Ovium.
Balbire	
Bilbire	Insonantium vitreis vasis, & concavis.
Biblire	
Baubare	Canum.
Baubari	
Barrire	Elephantorum Romanorum militum.
Bibere	A vocis sono.
Blacterare	Arietis.
Blaterare	Camelorum.
Blatire	
Boare	Boum.
Bombilare	Apum
Bubire	Butionum.
Bubulare	Bubonum.
Buccinare	Buccinae.

Ca-

(a) Animantium voces Graeci pariter atque Latini nominibus ab eorum sono formatis expresserunt: atque in iis colligendis officio suo non defuerunt Grammatici veteres. Inter Graecos videndus praeter alios est *Ammon.* in v. φωνεῖν, & duo Opuscula, alterum *Zenodoti*, alterum *Anonymi* cujusdam, περὶ φωνῶν ζώων, quæ ex *Cod. MSto* primus evulgavit Celeb. *Valkenaerius in Animadv. ad Ammon. Lib.* III. *cap.* 18. *p.* 229. & 231. Junge etiam *J. A. Fabric. Bibl. Graec. Lib.* 2. *cap.* 11. §. 4. Inter Latinos eminet Auctor Poëmatii, quod *Philomela* dicitur, olim *Ovidio* male tributum: ex quo plurima, quæ habentur hoc capite, derivavit *Matius*. Sed quum illud ex antiquissimis membranis emendatius protulerit *A. Schottus Observat. Lib.* II. *cap.* 52. eo lectorem remitto.

Cacabare	Perdicum.
Cachinnare	Ridentium.
Caurire	Panterarum.
Χαίρε	Pſittacorum.
Κλαγγάζειν	Gruum.
Clamare	A vocis ſimilitudine.
	Tubarum
Clangere	Anſerum
	Aquilarum.
Coaxare. Quaxare, Feſto	Ranarum.
Cornicari	Cornicum.
Crepare	Inflatorum diſruptorum. a vocis ſi- (militudine.
Crocare	
Crocire	Corvorum.
Crocitare	
Cucubare	Noctuarum.
Cuculare	Cuculorum.
Cucurrire	Gallorum.
Deſticare	Soricum.
Dintrire	Muſtelarum.
Drenſare	Cygnorum:
Felire	Pardorum.
Fervere	Aquae ab ejus rei ſimili ſonitu.
Follicare	Narium.
Fragor	Arborum.
Frangi	Lignorum.
Fremere	Leonum. & a vocis ſimilitudine.
Frendere	Dentium colliſorum.
Frigulare	Graculorum.
Fritinire	
Τερεττίζειν.	Cicadarum.
Τεττίζειν	
Fringutire	Fringillae avis.
Gallulaſcere	Pubeſcentium.

Gan-

Gannire	Canum Vulpium.
Garire	Avium
Gemere	Turturum Palumborum. & a vocis ſimilitudine Columborum.
Glacitare	Anſerum.
Glancitare	Catulorum.
Glocitare	Corvorum Onagrorum.
Glocidare Glocire	Gallinarum incubaturarum ovis.
Glotorare	Ciconiarum.
Gracillare	Gallinarum, cum cantant.
Gratitare	Anſerum.
Grillire	Grillorum.
Gringire	Anſerum
Gruere	Gruum.
Grundire Grunnire	Porcorum.
Hinnire & Hinnilitare	Equorum.
Hirrire	Canum rabientium.
Jugere	Milvorum, cum vocem emittunt.
Ὑπακρέκειν	Citharoedorum ſummiſſe canentium, dum aptant & intendunt chordas.
Jubilare	Ruſticorum.
Lallare	Infantium, cum mammam renuunt.
Latrare	Canum.
Lipire	Milvorum.
Μηκάζειν	Caprarum.
Minarrire	Palumborum.
Μινυρίζειν	Criſpantium vocem in canendo.
Mintrare	Murum.
Mutilare	Acredularum.

Mu-

Mugire	Boum Vitulorum.
Murmurare Murmurari Murmurillare	Aquarum leniter in decurrendo ſtrepentium.
Muſſare	Hominum occulte quid & preſſa voce loquentium, quod celatum velint.
Murmurare	Majoris ſoni, & proximi ad tumultum.
Mutire	Hircorum. Loquentium timide.
Nictere	Canum odorandis veſtigiis leviter gannientium.
Oblatire	Camelorum.
Ololygo	Ranarum.
Oncare	Aſellorum.
Orcare	Lyncum.
Pipilare	Paſſerum.
Pappare	Infantium edentium Infantium parentes appellantium.
Papiſſare	Infantium patres appellantium.
Parala	Droſtae avis.
Pipare	Plorantium Oſcorum lingua. Gallinarum. Accipitrum. Pullorum. Paſſerum.
Pipilare	Paſſerum.
Pipire	Pullorum Paſſerum.
Piſitare	Sturnorum.
Plauſitare	Palumbium.
Pulpare	Vulturum.
Pupillare	Pavonum.
Queri	Avium.
Quiritare	Verrium.

Qui-

Quiritare etiam	Urbicolarum ſive Urbanorum.
Quaxare	Ranarum.
Rancare	Tigrium.
Rictare	Leopardorum.
Ringere Ringi	Canum morſurorum, vel latraturorum.
Rhonchiſſare	Stertentium.
Rudere	Aſinorum.
Rugire	Leonum.
Saevire	Urſorum.
Sibilare	Serpentum.
Singultire	Gallinarum ducentium pullos.
Sclopus	Disruptorum.
	Strigum.
	Veſpertilionum.
Stridere	Funium.
	Valvarum.
	Metallorum ignitorum, dum in aqua refrigerantur.
Sorbere	A ſono vocis.
Suſurrare	Summiſſe loquentium.
Tac, ſive Tax	Ictus, id eſt, ſonus ex ictu.
Taratantara	Tubarum.
Τερεττίζειν Τεττίζειν Fritinire	Cicadarum.
Tetrinire	Anatum.
Tinnire	Metallorum, dum probantur pulſu.
Tintinire	Aurium
Titinnare Tintinnare	Pari avis Aurium Tintinnabuli.
Titiſſare	Paſſerculorum

Tity-

Titybiſſare	Hirundinum.
	Perdicum.
Tonthoriſſare	Murmurantium ſummiſſe, & querentium.
Θρεττανελὸ	Cithararum.
Triuſare	Hirundinum.
	Perdicum.
Τρίζειν	Veſpertilionum.
Trutilare	Turdorum.
	Turturum.
Τρύζειν	Palumborum.
	Columborum.
Tutu	Noctuarum.
	Leporum.
Vagire	Infantium.
	Hoedorum.
Vibriſſare	Criſpantium vocem in Canendo.
	Canum.
Ululare	Luporum. Ulularum.
Uncare	Urſorum.
	Regulorum.
Zinzilulare	Meropum.
	Prognes.

CAPUT XLVIII.

A. vocalis in vocativis quanta ſit.

Quoniam apud Poëtas varie poſitas eſſe ultimas vocativorum primae declinationis in *a* exeuntium, in illis dumtaxat nominibus, quae vel Graeca ſunt, vel ad Graecorum formam ſunt conſtituta, ſaepe invenimus, propterea danda eſt ratio, quare hic brevem, ibi vero longam Poëtae eamdem ſyllabam collocent. ne licentiae eſſe id vitium

tium fortasse quis arbitretur. Cum igitur longum invenerimus, *a*, in vocativis *Atrida*, *Anchisa*, & reliquis omnibus similibus, statim a nominativis in, *as*, *Atridas*, *Anchisas* derivabimus. Nam Dores nominativos in ης, solent in ας longum vertere. & pro Ἀμφιτρυωνίδης, Ἀγχίσης, dicunt Ἀμφιτρυωνίδας, Ἀγχίσας. quos Latini interdum sequuntur. Cum vero idem *a*, in vocativis legitur breve, erunt vocativi illi a nominativis in *a*, *Atrida*, *Thyesta* &c. Namque non pauca nomina sunt primi hujus flexus, quorum nominativi trifariam exeunt. Etenim *Atrides*, *Atridas*, & *Atrida* dictum invenies. quaedam exeunt in *as*, & *a*, tantum; ut, *Procas*, *Proca*. Cujusmodi exempla pauca quaedam afferam, Plautus *in Poenulo* [v. 4. 100.] *O Apella, o Zeuxis pictor.* a nominativo *Apellas* aut *Apella*. quin vero & *Apelles* dicatur, nemo dubitat. Hyginus *Fabula* XCIV. *Anchisam Assaraci filium Venus amasse dicitur.* a nominativo *Anchisa*. Lucan. II. [*vs*. 54.]

Hinc Dacus premat, inde Getes occurrat Iberis.

Horatius. [*Serm. lib.* II. *sat.* I. *vs*. 17.]

Scipiadam, ut sapiens Lucillius. haud mihi deero.

Proculdubio a nominativo *Scipiada*. Seneca *in Troadibus*. [*vs*. 703.]

Annosque dum recipiat, extendat suos
Laërta: sic te juvenis accipiat tuus.

Ovid. *Metamorph.* [VI. *vs*. 400.]

——— ——— *Marsya nomen habet.*

Idem XIV. *ejusdem operis*. [*vs*. 622.]

Jamque Palatinae summam Proca gentis habebat.

Virg. [*Aenëid.* VI. *vs*. 767.]

Proximus ille Procas Trojanae gloria gentis.

Ovid. III. *Fastorum*. [*vs*. 552.]

Et potitur capta Maurus Jarba domo.

Virg.

Virg. IV. *Aenëid.* [*vſ.* 36.]

Non Libyae; non ante Tyro deſpectus Jarbas.

Propert. *lib.* II. [*Eleg.* II.]

Non ita Dardanio gaviſus Atrida triumpho eſt.

Claudianus in Panegyrico *in Stiliconem.* [*lib.* III. *vſ.* 230.]

Ditabat rutilo quidquid Mida tangeret auro.

Fabius quoque *lib.* I. *cap.* 9. antiquos teſtatur omnia nomina a Graecis verſa in *a*, non in *as* extuliſſe: ut, *Hermagora*, *Pelia*, *Aenea*, *Anchiſa.* quam doctrinam poſtea etiam Priſcianus eſt ſecutus. *Laërtas* ergo dicitur, *Laërtes*, & *Laërta.* *Atridas*, *Atrides*, *Atrida.* de nominativis *Laërtes* & *Atrides* non exſpectat ſat ſcio quiſquam exempla. Quod *Laërta* & *Atrida* dicatur, probatum eſt auctoribus Propertio & Seneca. *Laërtas* autem pro *Laërtes*, & *Atridas* pro *Atrides* eodem nominativo caſu dici Doricorum eſt dialectus, ut admonuimus. Itaque apud Pindarum invenies ἑλλανοδίκας, & Ἀμφιτρυωνίδας, pro ἑλλανοδίκης & Ἀμφιτρυωνίδης. Ergo ab his nominativis in *as*, vocativi in *a*, longum exeunt. Cum vero vocativi breves erunt, eorum origo erunt nominativi in *a.* Nam nominativos in *es*, mittere vocativum in *e* longum, ut *Anchiſes*, *Anchiſe*, ne admonendum quidem eſt. Atque longorum vocativorum haec ſunt, quae nunc ſuccurrunt exempla. Ennius apud Cicer. II. *de Divinatione.* [*cap.* 56.] *Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.* Silius *lib.* XIII. [*vſ.* 897.]

Felix Aeacida, cui tali contigit ore.

Idem *eodem lib.*

Quam te Dardanida pulcherrime, mente ſerena.

Virg. III. *Aenëid.* [*vſ.* 475.]

Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.

A nominativis *Aeacidas*, *Dardanidas*, *Anchiſas.* Ser-

Servius quidem in versu Virgilii agnoscit *Anchisa* non esse vocativum Latinum: & recte quidem sentit. sed non belle se inde explicat. Atque haec de vocativorum extremis syllabis longis. sequentia exempla ad breves pertinent. Horat. *Serm.* [*lib.* II. *sat.* I. *vs.* 187.]

Ne quis humasse velit Ajacem Atrida vetas cur?

Seneca *in Agamemnone.* [*vs.* 933.]

Aggrediar: & te Oresta furabor libens.

Martialis I.

Tereos, aut coenam crude Thyesta tuam.

A nominativis *Atrida*, *Oresta*, *Thyesta.* Jam Aeolico, Boeotico, & Thessalico more nominativos hujusmodi prolatos esse a Poëtis, similes scilicet vocativis, notissimum est. Itaque saepissime est invenire Θυέστα, pro Θυέστης. *ἱππότα Νέστωρ*, pro *ἱππότης. μητιέτα ζεὺς*, pro *μητιέτης.* *a*, ultima vocali brevi. qualis etiam est in vocativis. Itaque *Oresta* & *Thyesta* apud Senecam & Martialem, etiam dici possent esse vocativi Graeci.

CAPUT XLIX.

Fabii & Virgilii locus restitutus.

Audax fortasse, ac temerarius videar, qui in scirpo nodum quaeram: & de quo omnes securi in utramvis aurem dormiant, ego solus ambigam: immo haud dubitem aliam ab ea, quae multis jam saeculis in Virgiliano versu est, lectionem invehere. Versus de quo loquor, hic est *lib.* XI. [*vs.* 405.]

Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus.

Hic si dicam, pro *mea*, *mis* legendum, exsibila-

bunt multi ſtatim, ſat ſcio. Sed fortaſſe acquieſcent, aut etiam plauſu excipient, cum intellexerint, qua ſemita in hanc viam venerim. Adducor autem duobus Fabii Quinctiliani locis, ut hic legendum, *mis*, contendam. prior eſt *lib.* VIII. *cap.* 3. ſic: *Cum ſint autem verba propria, ficta, trallata, propriis dignitatem dat antiquitas. Nam & ſanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat uſurus. eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice eſt uſus.* Olli *enim*, & quianam, & mis, & pone *pellucent*, & *aſpergunt illam, quae etiam in picturis eſt gratiſſima, vetuſtatis inimitabilem arti auctoritatem.* His verbis Fabius Virgilium uſum eſſe indicat vocibus illis vetuſtis, *olli*, *quianam*, *mis*, & *pone*. *Erythraeus* in *Virgilium*, [in Indice in voc. *olli*, & *quianam*] verba Fabii corrumpit legens pro *mis*, *mi.* quaſi vero *mi* antiqua vox ſit, & non uſitata tam Poëtis Epicis, quam Comicis, & reliquis. immo in Epiſtolarum ad Atticum archetypis ajunt ſemper *mi* pro *mihi* legi. ut ſileam millies legi apud Cic. *mi Attice*, *mi Volumni*, & ſimilia. Ac trium illarum, *olli*, *quianam*, & *pone*, exempla nemo ſane deſiderat. Si quis tamen expectet, haec ſunto. [*Aenëid.* I. *vſ.* 258.]

Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum.

[*Aenëid.* V. *vſ.* 13.]

Heu, quianam tanti cinxerunt aethera nimbi.

[*Aenëid.* II. *vſ.* 725.]

Pone ſubit conjux. ferimur per opaca locorum.

Mis vero ubi ſit uſus Virgilius, nullus ejus reperitur verſus. Itaque recte hic a me reponi tamquam poſtliminio reſtitutam vocem alter locus Fabii teſtatur *lib.* IX. *cap.* 3. *Alia commendatio vetuſtatis: cujus amator unice Virgilius fuit,*

Vel

Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit.
Quaenam quaeso vetustas in hoc versu est, si sic legas? ergo antiquum illum casum, *mis*, repone pro *mea*: & vetustatem venustam & commendabilem, antea loco supra citato ab eodem Fabio observatam statim agnosces. Non me latet Budaeum virum doctum in Comment. linguae Graecae [*pag.* 1034. *Ed. R. Stephani.*] male habere Fabium in hoc loco. Credidit quippe Budaeus, Fabium antiquitatem annotare in prima voce versus Virgiliani, quae est, *Vel.* in quo sane verbo vetustas nulla est, ut idem probat Budaeus. Sed certe Fabius, *Mis*, vocabulum intelligebat: ut ex priore Fabii loco evidenter constat. quae vox *Mis* omnino, expuncta illa altera subdititia, apud Fabium atque Virgilium in suum locum & possessionem quibusvis interdictis est restituenda.

CAPUT L.

Fabii locus purgatus. Idem a calumnia defensus.

Fabii locus est corruptus *lib.* VI. *cap.* 3. *Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus. natura non utique hoc est. quamquam & ridicula oporteat esse salsa. Nam & Cicero omne quod salsum sit, ait esse Atticorum. quia sunt maxime ad risum compositi. & Catullus cum dicit:*

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

non dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum. salsum igitur erit, quod non erit insulsum. Vult his verbis probare Fabius, *salsum*, proprie & sua natura non ridiculum significare. affertque verba Ciceronis & Catulli. quorum neuter *salsum* pro ridiculo posuit.

 Nam

Nam (inquit) Cicero non dixit omne id, quod falsum fit, Atticorum esse iccirco, quod Attici ad risum sint compositi. nec Catullus cum ait, *nullam in tanto corpore esse micam salis*, intelligit, nihil in tanto corpore ridiculum esse: sed profecto salsum est, quod elegans, urbanum & non insulsum est. Cum ergo haec sit Fabii mens, quam exposui, facile est ex sensu concipere, ubi sit error. Est autem ille in voce, *omne*, quae tollenda est: proque ea, *non*, negativa vox est substituenda. sic: *Nam & Cicero, non quod salsum sit, ait esse Atticorum, quia sint maxime ad risum compositi &c.* potest tamen & dictio illa, *omne*, servari. sed, *non*, vox negativa erit praeponenda: quod magis placet. hoc modo: *Nam & Cicero non omne, quod salsum sit, ait esse Atticorum, quia sint maxime ad risum compositi &c.* Substituimus etiam Ciceronis locum, unde id a Fabio petitum credimus. ut inde etiam animadversio nostra adjumentum inveniat. Ille igitur *lib.* II. *de Oratore* [*cap.* 54.] sic scribit: *Inveni autem ridicula & salsa multa Graecorum. Nam & Siculi in eo genere, & Rhodii, & Byzantii, & praeter ceteros Attici excellunt.* Nisi forte verius Quinctil. locum significat, qui est *in Oratore* [*cap.* 26.] his verbis: *Quibus exceptis sic utetur sale & facetiis, ut ego ex istis novis Atticis talem cognoverim neminem. Cum id certe sit vel maxime Atticum. Hanc ego judico formam summissi oratoris, sed magni tamen & germani Attici. quoniam quidquid est salsum in Oratione, id proprium Atticorum est. e quibus tamen non omnes faceti. Lysias satis & Hyperides: Demades praeter ceteros fertur: Demosthenes minus habetur, quo quidem mihi nihil videtur urbanius. Sed non tam dicax fuit, quam facetus.* Praeterea de Atticorum Urbanitate leges apud Lucianum *in dialo-*

go

go ad eum, qui dixit: Prometheus es in ſermonibus. [*cap.* 2.] Paullo ſupra illa Quinctiliani verba, quae attulimus, alter locus eſt, qui Oedipode aliquo, aut Delio natatore indiget: vel fortaſſe Hippocrate. acutiores in eo intendant diligenter aciem ingenii. Ego in praeſentia quam opem afferam, non habeo. *Quin illae ipſae, quae dictae ſunt ac vocantur, quas certis diebus feſtae licentiae dicere ſolebamus, ſi paullum adhibita ratione fingerentur, aut aliquid in his ſerium quoque eſſet admiſtum, plurimum poterunt utilitatis afferre. quae nunc juvenum vel ſibi ludentium exercitatio eſt.* Hic quando (ut dixi) juvare Fabium non poſſumus, admoneamus ejus ſtudioſos: injuſte facere Joannem Brodaeum Gallum; qui Quinctilianum in expoſitione Catulliani verſus, de quo ſupra dictum eſt, reprehendit *lib.* VI. [*cap.*12.] *Suarum annot.* his verbis: *Quinctilianus lib* VI. *cap.* 3. *Catullianum verſum citans,*

Nulla in tam magno corpore mica ſalis,

nihil in corpore ejus ridiculum exponit. Ego veniam praefatus nihil in corpore eſſe gratiae ac Veneris. Quaſi vero id Fabius ſcribat aut ſentiat. An non Fabii expoſitio clara eſt, cum ait? *Catullus cum dicit.*

Nulla in tam magno corpore mica ſalis.

non dicit nihil in corpore ejus eſſe ridiculum. ſalſum igitur erit, quod non erit inſulſum.

CAPUT LI.

Mediam in his vocibus syllabam, illius, ipsius, *& similibus brevem esse non longam.*

Tollenda est jam olim inueterata Grammaticorum opinio; qui in his dictionibus, *illius*, *ipsius*, *unius*, & similibus, tradunt mediam syllabam accentum habere, ut quae longa sit natura; quamvis poëtae interdum eamdem corripiant. Sed contra res est. quippe accentus illis genitivis in prima syllaba est; & mediam habent ex lege Latinarum vocalium ab aliis vocalibus exceptarum, natura brevem. Cujus tamen producendae licentiam saepe sibi poëtae vindicant. Probus quidem, Servius, & Quinctilianus *lib.* 1. *cap.* 9. atque alii, contra tradunt. Sed praeter legem, quam dixi, vocalium Latinarum, a nobis stat Tullius: cujus unius longe locupletissimi testis & magistri prior potiorque est sententia. qui *III. de Oratore* [*cap.* 47.] sic scribit: *Est autem Paeon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius judicium & certius, par fere Cretico, qui est ex longa, & brevi, & longa. ut Quid petam praesidi, aut exsequar? quove nunc? A quo numero exorsus est Fannius. Si, Quirites, minas illius.* Ecce quemadmodum Tullius vocem hanc, *illius*, Creticum esse aperte docet. qui Creticus est ex media brevi, & utraque extrema longa. Et Fannius orationes scripsit non poëmata. Orator enim fuit, ut aperte testatur Paterculus *in fine lib.* 1. *& initio* II. Ac ne quis fortasse cavilletur, Ciceronem intelligere tantum de primo pede, non etiam de sequentibus, id est, satis esse, ut in verbis Fannii: *Si, Quirites, minas illius*: primus pes, non

etiam

etiam ſequentes ſint Cretici: ſciat hic primum Ciceronem dixiſſe: *a quo numero exorſus eſt Fannius*. non, *a quo pede*. Numerus autem non uno, ſed pluribus pedibus conſtat. deinde in ſuperiore illo verſu.

Quid petam praeſidi, aut exſequar? quove nunc?

Quatuor ſunt perpetui Cretici: cum tamen in verbis Fannii tantum tres ſint. Quod autem numerus pluribus pedibus non uno conſtituatur, teſtes ſunt omnes, qui de numeris Oratorum conſcripſerunt. Ut tamen quaerendi moleſtiam adimam, non univerſorum, ſed ſolius Ciceronis teſtimonium recitabo ex *II. de Oratore*. *Non loquor* (inquit) *de uno pede extremo: adjungo, quod minimum ſit proximum ſuperiorem: ſaepe etiam tertium*. & tertio ejusdem operis [*cap.* 50.] *Duo aut tres ſunt fere extremi ſervandi & notandi pedes*.

CAPUT. LIII.

[*Cicero emendatus*.]

Epiſtola XXIII. *ad Tironem*, quae eſt *lib* XVI. epiſtolarum, quae familiares dicuntur, habet obſcuritates: quarum nonnullae inde oriuntur, quoniam res continent diverſis temporibus geſtas. quod in primis eſt advertendum. Duae autem epiſtolae diverſis temporibus ſcriptae in unam coierunt. Quod ſi dividantur, ut res & ratio poſtulat, non modica aperietur ad lucem admittendam feneſtra. Initium autem ſecundum epiſtolae inde ordiri placet. *Ad Bithynicum ſcripſi*. vel etiam inde. *De Servilio tu videris*. Id autem neceſſe eſſe facere, res ipſa loquitur. Nam prior ſcripta eſt vivente Caeſare: quod probat bonorum profeſſio, cujus ibi fit mentio. cujus profeſſionis faciendae neceſſitas lege Ju-

lia ipſo Julio Caeſare vivente erat impoſita. ut ex xxxiii. epiſtola *lib.* xiii. ad Atticum conſtat. Atque etiam videndum eſt, cum in eadem parte epiſtolae ſcribit: *Antonius*, *quid de lege egerit*, an intelligat legem de urbe augenda: quod quidem valde ſuſpicor. quae lex promulgata fuerat Caeſare & Antonio Coſſ. de qua etiam loquitur idem Cicero *in Epiſtola* xx. *&* xxxiii. *ejusdem* xiii. *lib. ad Atticum.* Quemadmodum autem hiſtoria cogit fateri, hanc priorem epiſtolam ſcriptam fuiſſe vivente Caeſare, ſic eadem hiſtoria & argumentum ipſum poſtulat, ut fateamur, poſteriorem ſcriptam fuiſſe Caeſare caeſo, atque Antonio nondum aperte bellum patriae inferente. quod oſtendit, cum de conſervanda inveterata Antonii amicitia, & de terroribus, quos Antonii furor atque audacia nonnullis jam, atque Attico inprimis incutiebat. Totam autem hanc rem melius & clarius intelliget, qui trium poſtremorum ad Att. librorum epiſtolas percurret.

CAPUT LIII.

Conradum corrupiſſe, non correxiſſe, quemdam in III. Tuſculana locum.

Non temere recepta ſcriptura repudianda eſt, nec facile audacibus in mutando correctoribus eſt aſſentiendum. Laudoque in hac parte eorum Typographorum prudentiam, qui in *III. Tuſculana* Cic. [*cap.* 6.] antiquam & receptam & ſine dubio veram lectionem retinuerunt, damnatam tamen a Sebaſt. Conrado in ſua Quaeſtura, quam ſane non ubique optima fide geſſit. Apponam Cic. verba; quae quoniam germanam lectionem

nem continent, mutari nullo modo debent. *Nec absurde Crantor ille: qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilissimus: minime (inquit) assentior his, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant. quae nec potest ulla esse, nec debet. Ne aegrotus sim, inquit: sed si fuerim, sensus adsit, sive secetur quid, sive avellatur a corpore. Nam istuc, nihil dolere, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Conradus autem inversiones quasdam inducit: quae nitorem & elegantiam sententiae miris modis foedant & distorquent. sic enim narrat. *De qua (indolentia) in manu scriptis libris sic Cicero scribit. Minime inquit, Crantor, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant: quae nec potest ulla esse, nec debet: nec aegroto etiam, inquit, nisi is, qui fuerat, sensus absit: sive secetur quid, sive avellatur a corpore. vel, ut in aliis libris legitur. nec aegrotis est, si is, qui fuerat, sensus absit.* Nescio ego Conradi libros. sed quos ipse vidi veteres scriptos, universi consentiunt. Tum elegantia orationis, & sententiae veritas lectionem Conradi improbant & convincunt. praeterea Plutarchus lectioni, quam nos defendimus, testimonium dicit in ea sive oratione, sive epistola, qua Apollonium consolatur, in principio [*Tom.* II. *p.* 102. *D.*] Cujus verba non appono. quoniam eadem sunt cum verbis Ciceronis: quippe a quo Plutarchus transtulit, ut multam partem totius illius commentationis.

Servandam etiam antiquam omnium codicum manuscriptorum lectionem in epistola secunda Asinii Pollionis ad Ciceronem *lib. fam. Epist.* X. [*Ep.* 32.] censeo in his verbis: *& illi misero quiritanti, civis Romanus natus sum, responderet.* ubi viri docti judicant, omnino expungendam vocem illam *natus.*

licet ab ipsis in omnibus scriptis libris, ut testantur, inventam. quod dicant, nusquam alibi legisse se, *civis Romanus natus sum.* sed tantum, *civis Romanus sum.* quasi vero apud priscos & bonos auctores nulla singularia sint cum verba, tum eloquutiones. quamquam quid respondebunt ad illum Fabii locum ex *lib.* v. *cap.* 10. *Divisio* (inquit) *ad probandum simili via vadet & ad refellendum. Probanti interim satis est unum habere hoc modo. Ut sit civis quis, aut natus sit oportet, aut factus. Neganti utrumque tollendum est, nec natus, nec factus.* Praeterea verbum illud, *natus*, indignissimam facti commiserationem amplificat, cum audiretur, civem natum a cive facto foedissimo supplicio affici. Denique, si sequenti epistola ejusdem Pollionis propter consensum omnium veterum librorum retinendum censent *Palmarer*, verbum nusquam alibi lectum: cur eamdem hic constantiam, praesertim rationibus fultam non infirmis, non probant? cur juris idem Attii, quod Titii?

CAPUT LIV.

[*Virgilius explicatus.*]

Mirari se mihi dixerunt nonnulli, cur Virgilius in versu bucolico [*Eclog.* VII. *vs.* 65.] dixerit: *Pulcherrima pinus in hortis*, cum pinus montana silvestrisque arbos sit. Ego vero & domesticam pinum invenio: quippe Vegetius *lib.* IV. *cap.* 15. optimam caedi ad fabricandas Liburnas materiam ex pinu domestica tradit. Pausanias quoque Eliacorum. II. sive *lib.* VI. [*cap.* 9.] de eadem pinu sic scribit: *Cur autem Pinus hortensis nucem ferat, & malum granatum mihi conjectura assequi non erat integrum.* Idem Phocaicis. [*cap.* 13.] ad Bisontes ferum animal

mal mansuefaciendum baccas pinus sativae adhiberi scribit.

CAPUT LV.

Locus Ciceronis defensus & declaratus.

Petrus Victorius *lib.* XII. *cap.* 17. *Variarum Lectionum*, corrumpit proculdubio locum *in Oratore* Ciceronis [*cap.* 44.] qui sic, ut ego apponam, ubique legitur nec profecto aliter legi debet. *Ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves, gravesve sententiae, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures: quarum est judicium superbissimum. Quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit conjungere: in quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas litteras tantopere fugerit, etsi id magister ejus Isocrates fecerat. At non Thucydides.* & paulo post. *Nobis ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis. indicant omnes poëtae, praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabant. ut Naevius. Vos qui accolitis Istrum fluvium, atque Algidam. & ibidem. Quam numquam vobis Graji, atque Barbari. At Ennius semel. Scipio invicte. & quidem nos. Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti. hoc idem saepius nostri non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent. Sed quid ego vocales? sine vocalibus saepe brevitatis caussa contrahebant. ut dicerent, multi' modis: vasi' argenteis: palmi' & crinibus: tecti' fractis.* Haec ego pluscula ex eo loco verba attuli, quod sperem fore, ut omnes sentiant per se ex citato Ciceronis loco, nihil esse immutandum. quamvis ubi legi-

legitur : *nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit conjungere:* Victorius pro *qui*, legat *quin.* ut sit, *quin vocales nolit conjungere.* Sensu omnino ex diametro voluntati & doctrinae Ciceronis contrario. cui lectioni nec superiora Ciceronis verba, nec sequentia ullo modo cohaererent. sensus enim est. Latini sic fugiunt asperitatem orationis, ut cum contingat, ut duo sint finitima verba, quorum prius in vocalem desinat, sequens a vocali item incipiat, (id enim hiulcam & asperam orationem facit) utramque vocem proferendo conjungant, non abjiciendo quidem vocalem ultimam praecedentis dictionis, sed dissimulando; quomodo loquitur Fabius, ut paullo post ejus verbis ostendemus. hujus rei exempla haec & alia ejusmodi sunto. cum nota Apostrophi. ut res melius intelligatur *Dix' ego*, *Far' age.* Porro hunc esse verum sensum, & hanc esse germanam lectionem, indicant sequentia haec paullo post verba: *Sed Graeci viderint. nobis ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur.* indicant & illa. *Sed quid ego vocales? sine vocalibus saepe brevitatis caussa contrahebant, ut dicerent, multi' modis: vasi' argenteis: palmi' & crinibus &c.* Atque hic Cicero *contrahebant* dixit, pro eo quod supra *conjungebant*, dixerat. quod nihil aliud est, quam facta synaloepha & ejecta vocali praecedentis vocis, unam ex duabus dictionibus pronunciando efficere. Id autem propterea, putidiuscule fortasse, exponendum & significandum duxi, ne quis a Strabaeo in fraudem ducatur: qui existimans Ciceronem de temporibus, id est de quantitate syllabarum illic agere, interpretatur verbum illud, *contrahebant*, *corripiebant.* tamquam diceret, Syllabam longam corripiebant. quo quid dici potest a Ciceronis mente alienius? Atque meam hanc expositionem & sententiam Ciceronis

sequi-

ſequitur & confirmat Fab. *lib.* XI. *cap.* 4. de pronunciatione ſic ſcribens: *Nam & vocales frequentiſſime coëunt: & conſonantium quaedam inſequente vocali diſſimulantur. utriusque exemplum poſuimus. Multum ille & terris.* & *lib.* IX. *cap.* 4. *Atqui eadem littera, quotiens ultima eſt, & vocalem verbi ſequentis ita contingit, ut in eam tranſire poſſit, etiam ſi ſcribitur, tamen parum exprimitur. ut, Multum ille. &. Quantum erat. adeo ut pene cujusdam novae litterae ſonum reddat. neque enim exprimitur, ſed obſcuratur.* Ergo inquit Cicero, non ſolum docti, ſed ruſtici ipſi ſic fugiunt hiatum & hiulcam orationem, ut conjungant verba proferendo, quotiens contingant vocalium concurſus, & Synaloephen (ut Grammatici loquuntur) duarum vocalium faciant. quae nihil aliud eſt, quam coëuntes inter ſe vocales. Quem vero ipſe hiatum fecit non excludendo ultimam in voce *Eteſiae*, in illo ſuo verſu.

Hoc motu radiantis Eteſiae in vada ponti.

ſtudio & dedita opera, ac cum judicio illud fecit: ut verſum Arati videretur etiam in hiatu hoc penitus expreſſiſſe. hiat enim & Aratus in ſuo verſu. [*in Phaenom. vſ.* 153.]

Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ.

Hunc eumdem hiatum aemulatus eſt & Lucretius in eodem verbo *lib.* VI. [*vſ.* 716.] quamquam alii aliter legunt.

Anni tempore eo, quo Eteſiae eſſe feruntur.

CAPUT LVI.

Horatii interpretes defensi. Luscinia cur Daulia.

In *Ode* XII. *lib.* IV. Horatii Glareanus male habet ibi interpretes, quod Atticum fuisse Tereum scribant, quem Thracem fuisse ipse contendit. Interpretes cum Atticum dixere, Graecum intelligunt, quippe qui Phocensis fuit. Atticae autem finitima Phocis fuit. Idque Thucydides *lib.* II. [*cap.*29.] aperte docet. *Nihilque Tereo illi attinet, qui Prognen Pandionis filiam ex Athenis duxit uxorem. Neque ex eadem ambo Thracia extitere. siquidem Tereus Dauliam, quae nunc terrae Phocidis vocatur, incoluit, tunc a Thracibus habitatae. qua in terra feminae facinus illud circa Ityn patraverunt, & a multis poëtarum in commemoranda Philomela, Luscinia avis Daulia celebratur. Et credibile est Pandionem tantulo distantem affinitatem ex filia propter auxilium mutuum maluisse, quam eam, quae tot dierum viam usque ad Odrysas distaret.* Pausanias etiam Phocaicis. [*cap.* 4.] *In oppido Daulide mulieres dicuntur Tereo apposuisse filium epulandum &c.* Idem Atticis. [*cap.*41.] *Non procul inde tumulus conspicitur Terei, qui Prognen Pandionis filiam uxorem habuit. Regnavit autem, ut Megarenses ajunt, Tereus in iis Megaridis partibus, quae Pegae, id est fontes appellantur. Sed ut mihi videtur, & certe adhuc conjecturae extant, in Daulide, quae supra Chaeroneam est, Tereus regnavit. olim enim barbari ejus, quae nunc Graecia nominatur, multas partes incoluerunt. ob flagitia vero, quae Tereus in Philomelam & mulieres in Ityn commiserunt, subigere eos non potuit. Atque ideo manus sibi ipse Megaris attulit, cui tumulum confestim excitarunt, & adhibitis pro mola calculis rem sacram* quot-

quotannis peragunt. Upupam praeterea avem ibi apparuisse asserunt. Mulieres Athenas pervenerunt. ibique dum mala deplorant, quae passae fuerant, quaeque ultionis causa ipsae regesserant, lacrymando contabescunt. Unam item in Lusciniam commutatam ajunt, alteram in hirundinem, non aliam ob caussam, ut puto, quam quod eaedem quoque aviculae miserabilem edunt cantum & lamentis similem. Strabo *lib.* VII. [*p.* 494.] tradit Tereum Daulidem Terrae Phocidis tenuisse. Idem *lib.* IX. [*p.* 648.] *Secumdum Delphos* (inquit) *Daulis, quam Dauliam posteri dixere, ubi Tereus Thrax imperium tenuit. Hicque quae de Philomela & Progne traduntur &c.*

CAPUT LVII.

Ciceronis locus declaratus. opera *quae sint.*

Operibus, non *opibus* lego in epistola Ciceronis *ad Coelium* X. [*lib.* II.] *Oppugnabam oppidum Pindenissum tantis operibus, tantoque negocio.* nec machinas intelligit, cum *operibus* dixit, ut scripserunt nonnulli. Sed vallis, fossis, cuniculis & ejusmodi oppugnatum, aut aliquibus eorum Pindenissum voluit accipi. Sic Livius *operibus* captos Vejos scribit, quos cuniculo captos constat. Sic enim *lib.* V. [*cap.* 22.] ait: *Postremo jam fato quoque urgente, operibus tamen, non vi expugnata est.* paulo autem supra [*cap.* 19.] dixerat: *Operum fuit longe omnium maximum ac laboriosissimum cuniculus, in arcem hostium agi coeptus.* & paullo post. [*cap.* 21.] *Nihil minus timentes, quam subrutis cuniculo moenibus arcem jam plenam hostium esse &c.* Saepeque in eo libro *operis* vocabulo utitur, de hoc cuniculo loquens. Sic reliqui boni auctores *opera* appellant hujus-

hujusmodi oppugnationum genera. Cicero ipse *ad Att. lib.* v. [*Ep.* 20.] de eadem historia. *Pindenissum &c. cinximus vallo, fossa, aggere maximo, vineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu, multis sauciis, incolumi exercitu negocium confecimus.* Paterculus *lib.* II. de Numantia. [*cap.* 4. §. 2.] *Circumdatam operibus Numantiam, excisamque aequavit solo.* Aemilius Probus. *In Miltiade* [*cap.* 7. §. 2.] *Copias e navibus eduxit. urbem operibus clausit. omnique commeatu privavit. deinde vineis ac testudinibus constitutis propius muros accessit.*

CAPUT LVIII.

Duo Ciceronis loca defensa & declarata.

Petrus Victorius *lib.* XVI. *Var. Lectionum* [*cap.* 21.] addendam putat negandi particulam his verbis Ciceronis *ex Oratione pro M. Marcello.* [*cap.* 10.] *Ingratus est, injustusque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum. ut jam ille sit melior, qui in acie cecidit, quam qui in caussa animam profudit.* Legit enim Victorius. *quam qui in caussa animam non profudit.* Sed omnino male. Existimat Victorius verborum eorum hanc esse debere sententiam. Meliorem fuisse, qui armatus & in acie periit, quam qui non periit. quae sententia non solum frigida est, sed a mente Ciceronis etiam, quantum excogitari potest, aliena. Nam dicit hoc Cicero: Meliores esse judicandos eos, qui armati contra Caesarem in acie perierunt, quam qui, postea quam victi fuerunt, paxque & securitas & patria illis est ab victore reddita, tamen ingrati sunt; & velut liberalitatem victoris

ctoris aspernati eum oderunt. Nihil autem est aliud profundere animam in caussa, quam pertinaciter caussam ad mortem usque probare: nec ejus partis, quam semel probaris, studium nisi cum vita deponere.

Idem *lib.* xv. *cap.* 11. cum Hieronymo Ferrario inculcat eamdem negantem dictionem in alio loco Ciceronis *Philipp.* x. [*cap.* 10.] quae quidem negatio addita elegantem sententiam confoderet. Ciceronis verba haec sunt: *Ita praeclara est recuperatio libertatis, ut ne mors quidem sit in repetenda libertate fugienda. quod si immortalitas consequeretur praesentis periculi fugam, tamen eo magis ea ugienda esse videretur, quo diuturnior esset servitus.* Illi, ut dixi, negativam vocem addunt ante eam dictionem, *tamen*, sic legentes: *Quod si immortalitas consequeretur praesentis periculi fugam, non tamen eo magis ea fugienda esse videretur, &c.* Sed quam insigniter decipiantur, perspicue intelliget, quicumque paullo attentius superiora, ac sequentia verba Ciceronis cum hac ab ipsis invecta lectione contulerit. Sensus autem est, ut ipsius Ciceronis verbis utar. aliae nationes servire non recusant: quoniam pericula mortis & labores libenter fugiunt, nec pro libertate sustinent de vita periclitari. Nos autem nostra omnia consilia & facta ad virtutem & dignitatem referimus. & mortem servituti anteponimus. adeo ut immortalitatem, quam omnes mortales appetunt, recusaturi simus, si ea habeat conjunctam cum perpetuitate vitae servitutem, idque tanto magis, quanto diuturnior servitus esset futura, immortalitati scilicet conjuncta. Porro pronomen, *ea*, ad immortalitatem, non ad vocem, *fugam*, est referendum. quam insulsa enim esset non solum sententia, sed etiam loquendi forma, si sic dicas? *tamen fuga magis fugienda videretur.*

CAPUT LIX.

Expositus Horatii versus. Turi deberi.

Male ominatur Horatius libro suo in ultima Epistola *primi libri Epistolar.* cum scribit [*v.* 13.]

Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam.

Fies (inquit) vilis, tuisque chartis tamquam emporetica utentur salgamarii: ex te fient tegmenta, & cuculli involvendis salsamentis, aut pipere, aut ejusmodi mercibus. *unctus* autem omnino legendum est, non *vinctus.*

Idem Horat. *ultima* epistola secundi. [*Ep.* 1. *in fin.*]

Deferar in vicum vendentem tus & odores.

Statius *lib.* IV. *Silvarum* [*Carm.* IX.]

Tu rosum tineis, situque putrem,
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut Tus Niliacum, piperve, servant.

Martial. *lib.* III. [*Epigr.* 2.]

Vel Turis, piperisque fias cucullus.

Quod autem Horatius & post eum Statius & Martialis libros turi maxime timent destinari, sumptum id a Graecis: qui (ut observarunt alii quoque) libros malorum poëtarum turi dicebant deberi, proverbii loco. ut est apud Athenaeum *lib.* IX. δειπνοσοφιστικῶν. [*p.* 374. *A.*] de Alexandride Comico loquentem,

C A-

CAPUT LX.

Quae nomina apud Graecos in ἰῶτα *&* ὖψιλὸν *exeant.*

Aristoteles in libro *de Arte Poëtica* [*cap.* 21.] tradit, tria tantum nomina in ἰῶτα terminare: μέλι, κόμμι, πέπερι. cur praeterit κίκι, κιννάβαρι, στίμμι, σίνηπι, & κῦφι? Idem in ὖψιλὸν quinque tantum numerat. πῶϋ, γόνυ, νάπυ, δόρυ, ἄστυ. Cur δάκρυ? Cur omittit Homericum μῶλυ? An quod fortasse peregrina ea universa sint? At etiam Athenaeus *libro* 11. *cap.* 28. observatione dignum scribit, quod nullum nomen neutrum sit apud Graecos, quod in ἰῶτα desinat, praeter μέλι. Nam (inquit) πέπερι, κόμμι, κῦφι peregrina sunt nomina.

CAPUT LXI.

Praecedentes consonantes posse sequentem vocalem brevem producere.

Vincentius Madius civis meus in Commentariis suis doctissimis in Poëticen Aristot. negat plures consonantes praecedentes posse vocalem brevem sequentem longiorem facere. At Moschopulus agit caussam Halicarnassei, quem Madius impugnat. Qui in eum versum [528.] operum & dierum Hesiodi.

Στρωφᾶται, βράδιον δὲ πανελλήνεσσι φαείνει,

Sic ait: Στρωφᾶται) ἀπὸ τοῦ στρέφω, στρωφάομαι, στρωφῶμαι· τὸ δὲ στρω, ὤφειλεν μὲν μικρὸν γράφεσθαι, ὡς τὸ φο, ἐν τῷ φορέω, φορῶ, ἀπὸ τοῦ φέρω. ἐπεὶ δὲ ἔ-

χει τὸ σ, τὸ τ, τὸ ρ, ὧν ὄπισθεν εἰ πεσεῖταί τι βραχὺ, ὑπ' αὐτῶν πάντως ἐκταθήσεται. & *quae sequuntur.*

CAPUT LXII.

Vermium quorumdam nomina. quidque rodant, aut ubi nascantur.

		Libros.
Blattae		Vestes.
		Alvearia.
		Alvearia.
Campae		Libros.
Erucae		Vestes.
		Caules.
		Olera.
Carpae		Oleas.
Cephalocrustae		Persicorum foliis involvuntur.
Cetrinae		Ficus.
Tineae		
		Frumenta.
Cies		Hordea.
		Ligna.
Cnipes		
Scnipes.	lege	Psenes.
Convolvoli.	lege	Volvoces.
Cosses		Ligna.
Cossi		
Curguliones		Frumenta.
Deces		Ligna virida.
Erucae.	lege	Campae.
Galbae		Esculos.
Gurguliones	lege	Curgul.
Involvoli.	lege	Volvoces.
Ipes		Cornua.

Scni-

Scnipes	Vites.
Ices	Vitrum.
Lumbrici	Inteſtina.
Midae	Fabas.
Mylacres	Farinam circa molas.
Phalangia	Ervum.
Pſenes	
Scnipes	Ficus.
Cnipes	
Pityocampae	Pinus.
Scnipes lege	Ipes.
Setes	Veſtes. Aurum.
Tarmetes	Carnem.
Termites Trypes	Ligna arida.
Thilphae	Chartas.
Tenthredines Terendines	Naves Veſtes Alvearia.
Taeniae ſive Tineae prima longa.	Inteſtina, nec ſunt Lumbrici.
	Veſtes.
	Libros.
Tineae prima brevi	Alvearia.
	Faciem.
	Ficus.
Tropes	Legumina.
Volucrae	
Volvoces	Palmites teneros.
Convolvoli	Uvas teneras.
Involvoli	Et foliis involvuntur.

CAPUT LXIII.

Cur Rhodus ab Horatio clara dicatur.

Horatius pluribus de caussis videri potest appellasse Rhodum claram, eo versu *lib.* I. *Carminum.* [*Od.* 7. *pr.*]

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mytilenen.

I. Una est, quod enata subito dicitur, sicut Delos, si Plinio credimus *lib.* II. *cap.* 87. Si Aristidi in libro *de Rebus publ.* & Pindaro εἰδ. ζ. ὀλυμπ. [*vs.* 104.] quod cum prius tecta undis & obruta fuerit, deinde apparuerit.

II. Altera, propter aeris & ferri fabricam, quam ibi Telchines (a quibus insula aliquando *Telchin* dicta est) invenerunt. Certe Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* 7. Rhodi tria millia signorum fuisse scribit.

III. Tertia, quod Rhodi floruerint eloquentiae & aliarum liberalium artium studia. Concessit Rhodum Cicero, ibique se Apollonio Molonis Alabandensis discipulo recoquendum tradidit. Delegit eam & Aeschines exilio suo.

IV. Quarta, quod ibi ob felicitatem insulae aurum aliquando pluisse tradit ex Pindaro Strabo *lib.* XIV. [*p.* 967.] quo tempore Pallas e Jovis capite enata est.

V. Quincta, quod Soli dicata fuerit, a quo & adoptata auctore Pindaro [*Olymp. od.* VII. *vs.* 27.] fuerit; & a quo nomen invenit. Ajunt enim Apollinem puellae cujusdam nomine Rhodae (Rhodon hanc & Rhodiam vocat Diod. *lib.* V. [*cap.* 55.]) amore captum insulam nomine illius appellavisse. Nam antea diversa habuit nomina. Quippe auctore Plinio [*lib.* V. *cap.* 31.] dicta

dicta fuit *Asteria*, *Aethea*, *Trinacria*, *Corymbia*, *Poeessa*, *Atabyrias*, *Macria*, *Oloessa*. adduntur ab aliis *Stachia*, *Telchin*. *Ophiusam*, etiam dictam tradit Aristides libro de Rebuspublicis a serpentum copia.

VI. Sexta, propter Jalysum insignem Protogenis picturam. quam ne perderet hostis Demetrius cognomento Poliorcetes oppugnationem solvit Rhodi. & propter illum admirandae magnitudinis Colossum, inter septem orbis miracula celebratum.

VII. Septima, propter praeclaras res mari ab Rhodiis gestas. floruit enim diu rei nauticae peritia & gloria. Ut sit Christianis aeternum futurum opprobrium, quorum ambitione & dissidiis factum est, ut tam clara (ut Horatiano verbo utar) tam nobilis (ut Catulliano) insula, tam firmum Christiani imperii propugnaculum patrum memoria Turcarum imperio cederet: de qua, ut ceteras commoditates sileam ab Strabone *lib.* XIV. [*p.* 964.] celebratas, in praesentia satis sit hoc ejus verbi referre: *Portubus autem, & viis, & moenibus & cetero ornatu tantum vincit ceteras urbes, ut nullam aliam illi parem, nedum meliorem dicere possimus.*

VIII. Octava, propter historiam, quam referunt Plinius *lib.* II. *cap.* 62. & Solinus *cap.* 21. tradentes Rhodi numquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur. quod & de Syracusis idem Plinius, [*ibid.*] & Cicero in Verrem [*lib.* V. *cap.* X.] scribunt, & de Alexandria Ammianus Marcellinus *lib.* XXII. [*cap.* 16.] Qui plura de hac insula cupit scire, adeat Diod. Sicul. *lib.* V. *cap.* 13. & *lib.* XX. [*cap.* 91. *&c.*] & Strabonem *lib.* XIV. [*pag.* 963. *seqq.*]

CAPUT LXIV.

[*Livius explicatus.*]

Livii locus eſt *lib.* xxi. in concione Scipionis ad milites. [*cap.* 41.] *Pacem cum victis fecimus. tutelae noſtrae deinde duximus, cum bello Africano urgerentur.* *Tutelae noſtrae eſſe*, nihil aliud ſignificat, quam nobis tuendos eſſe. Itaque bello Africano cum urgerentur, eos juvimus. ejusdem formae ferme dicendi eſt illa locutio *lib.* xxxiii. [*cap.* 20.] *Non eſt operae perſequi, ut quaeque acta in his locis ſint.* Belli autem hujus Africani, quo Romani Carthaginenſes juverunt, hiſtoriam lege apud Aemilium Probum in Amilcare. Idem *lib.* xxiii. [*cap.* 9.] *Si nihil ſancti, non fides, non religio, non pietas: audeantur infanda, ſi non perniciem cum ſcelere afferunt.* quorum verborum hic eſt ſenſus. Si te non deterrent turpia, ſaltem incommodis moveare. Si certum eſt polluere & prodere ſimul fidem vel teſſerae hoſpitalis, vel dexterarum, quas junximus, & religionem jurisjurandi ac pietatem patris, qui a filio impetrare honeſta non poteſt, ſaltem quod capis conſilium tutum ſit. quod tantum abeſt, ut ſit, ut etiam conjunctam habeat cum ſcelere certam perniciem. Nam de voce illa, *audeantur*, dubitari non debet quin Liviana ſit. Alibi ea uſus eſt Livius, *lib.* xxviii. [*cap.* 41.] *Periculi tandem quantum audeatur, quem fallit?* ſic meus liber ſcriptus habet (*a*). Idem *lib.* xxxix. [*cap.* 8.] *Multa dolo, pleraque per vim audebantur.* Uſus quoque eſt ab eo verbo participio *audendus* *lib.*

(*a*) Editiones habent, *adeatur.*

lib. xi. & *lib.* xvi. & xxxv. & xxxviii. Sic Fabius *lib.* ix. *cap. ultimo. Ut omnia credat audenda.* Sic Paterculus *lib.* ii. [*cap.* 56. §. 4.] *Antonius omnibus audendis paratissimus.*

Idem Livius *lib.* xli. [*cap.* 3.] *Tum demum nuncius ad tertiam legionem revocandam, & Gallorum praesidium, & simul ex omnibus locis ad castra recipienda, demendamque ignominiam rediri coeptum.* male quidem verbum illud, *coeptum est*, cum primo illo membro cohaeret. *Tum demum nuncius ad tertiam legionem revocandam, & Gallorum praesidium.* Sed figura ejusmodi est, qualem nonnumquam apud Virgilium & Hesiodum, Ciceronem, & alios bonos scriptores legimus: velut est. [*Aenëid.* ii. *vs.* 320.]

Sacra manu, victosque Deos, parvumque nepotem
Ipse trahit.

Neque enim recte, ad sacra & ad Deos, quos ferebat, verbum, *trahit*, accommodatur. simile est illud Cic. *in Oratore.* [*cap.* 8.] *Negat in eo esse positas Graeciae fortunas, hoc an illud, huc an illuc manum porrexerit.* in quibus verbis, *porrexerit*, verbum non apte respondet ad eas voces: *hoc, an illud.* simile est item illud Coelii ad Cic. *Epist. XI.* [*lib.* viii.] *Multa transi, inprimis ludorum explosiones, funerum, & ceterarum ineptiarum.* ubi verbum, *explosiones*, ad funera & ineptias male refertur. Quod autem Livius dicit, *ad Gallorum praesidium:* auxilia ejus gentis intelligit. credibile est enim Gallorum copias Romanis affuisse: quae tunc aliquo casu abessent ab exercitu. etenim paullo post sic scribit idem Livius. [*cap.* 5.] *M. Junius Consul transire in Galliam, & ab civitatibus provinciae ejus, quantum quaeque posset, militum exigere est jussus.* Sed horum auxiliorum ante ne mentio ulla apud Livium legatur, in caussa est liber ille ἀκέφαλος.

CAPUT LXV.

Tres Livii loci, unus emendatus, duo declarati.

Parva saepe res magnum habet momentum. Ecce unius syllabae mutatio locum restituit antea vicium habentem, eo nocentius, quo erat occultius. id est apud Livium *lib.* VII. [*cap.* 37.] *Confestim signa mota: relictisque impedimentis castrorum valido praesidio, raptim agituragmen.* Lego ego ex conjectura, ex Liviana dicendi formula, & ex rei natura, *Relictoque impedimentis castrorum valido praesidio.*

Existimatur alter locus apud eumdem Livium *lib.* VIII. [*cap.* 2.] a Glareano viciatus. Sed est integer, & sanus. *Et quamquam superiores certaminibus Latini erant, haud inviti, ne saepius dimicandum foret, agro hostium excessere.* Duae caussae reddi possunt, cur saepius Latini cum Samnitibus utile non putarent dimicare. Una, quod etsi victores ex levibus praeliis plerumque aut etiam semper abibant, tamen ipsorum quoque vires convellebantur: quotidieque copiae eorum carpebantur, & pauciores fiebant: quoniam & ipsis victoria sanguine suorum, quorum saluti praecipue erat consulendum, emebatur. nec tamen id ad summam victoriae proficiebat. Altera, quod hostem saepius in pugnam vocare, & cogere, nihil aliud prope est, quam peritiorem audacioremque eumdem facere. Itaque sapientissime judicatus est Lycurgus Spartanorum Legislator constituisse, qui prohibuit, saepius cum eodem hoste confligere. Quod saluberrimum praeceptum ab Agesilao neglectum regnum Spartae funditus evertit. & ipse Thebanos

nos frequenter praeliis lacessendo hostem adeo assidua exercitatione erudiit, ut tandem optima disciplinae didactra magistro reddiderit: acceptasque clades compensarit ἀυτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον.

Idem *eod. lib.* [*cap.* 38.] ubi locus nulla ope emendationis eget, sed declarationis. *Auxerat id maxime animos, quod ignari, loco iniquo, non hosti cessum, velut fugientes ac territos, terribiles ipsi secuti fuerant.* Quorum verborum haec est sententia. Sumpserant animos ex eo Samnites, quod crediderant Romanos territos metu nocte, quae praecesserat, locum quem ceperant, deseruisse, atque inde aufugisse. Sed aliter res erat. Dictator enim vitium suorum castrorum videns locum illum esse relinquendum statuit. Itaque cum inde discessit, non hosti cesserat, tamquam eum timens, cui animo & viribus par erat, sed loco iniquo (dativus casus est, *loco iniquo.*) cesserat, ne ex iniquo loco cum hoste esset ipsi pugnandum: neve militum virtuti damno esset vitium loci.

Sed plus, quam polliciti sumus, praestemus, & quaedam alia Livii loca explicemus. Ejus haec sunt verba *lib.* IX. [*cap.* 23.] *Quorum praeda onustum militem in Romana castra Dictator reducit, haud quaquam tam victoria laetum, quam quod praeter exiguam deformatam incendio partem, cetera contra spem salva invenit.* Reductus exercitus laetus erat quidem victoria parta, sed laetitiam illam augebat & cumulabat, quod salva ab incendio castra invenit; quae tota igne consumpta fuisse existimaverat. *Invenit*, enim verbum, non ad Dictatorem, cujus fuit strategema incendendi partem castrorum, sed ad exercitum referendum est.

Lib. X. [*cap.* 18.] *Ceterum eo magis profectum est, quod mature ventum erat &c.* Levis res est, in qua variant veteres libri, meus scriptus codex collocat

locat post vocem, *magis*, adverbium illud, *eo*, sic. *Ceterum magis eo profectum est, quod mature ventum erat.* Verum utrocumque modo legatur, erit idem sensus. Etenim vox illa, *eo*, non perinde est, ac *tanto:* sed significat *ob id.* ut sit, magis ob id profectum est, quod mature ventum erat, quam quod &c. Eodem *lib.* [*cap.* 31.] *Et parte alia in Aeserniacum, quaque Vulturno adjacent flumini, descendere.* hanc lectionem servat idem meus scriptus liber, sensu claro, & aperto, ut sit: in Aeserniacum, & cetera loca, quae Vulturno flumini adjacent.

CAPUT LXVI.

Virgilii versus expositus.

Quemadmodum exponatur *lutum croceum* apud Virgilium eo versu. [*Eclog.* IV. *vs.* 44.]

Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

omnibus notum est. Aliqui hypallagen putant ibi esse. dictumque a poëta *luto croceo*, pro, *croco luteo.* Alii *luto* per contractionem pro *luteo* dictum contendunt, & Glastum intelligunt. Alii *Lutum* integro, non contracto verbo, dici tradunt: & significare, quod dixi, Glastum, quam aliis & *Isatidem*, *Luteum*, *Luteam*, a Virgilio autem hic *Lutum* vocari scribunt. quamquam sunt etiam qui Glastum aliam esse a Luteo herbam putent. Sed nos nunc non id agimus. Ego in Virgilio *Luto* interpretor, *medicamento*, id est colore. ut *Luto Croceo* nihil aliud sit, quam *colore croceo.* medicamenta enim, quibus alius, quam est nativus color, inducitur, vel vicium aliquod emendatur aut tegitur, poëtae solent figurate nunc *venenum*, nunc *fucum*, nunc

nunc *lutum*, atque alio fortaſſe nomine appellare. Virg. [*Georg.* II. *vſ.* 465.]

Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.

Cn. Matius gentilis meus apud Gellium. [*lib.* XX. *cap.* 9.] *Jam tonſiles tapetes ebrii fuco, Quos concha purpura imbuens venenavit.* Martialis *lib.* III. [*Epigr.* 74.]

Reſina, Veneto nec reſecare luto.

Sed objiciunt mihi ſyllabam apud Virgilium, quam eſſe brevem in ea ſignificatione in voce *Lutum*, ſemper dicunt. Ego autem plerumque quidem, at non ſemper. Itaque non ſolum Virgilius hic, ſed & Claudius Rutilius *lib.* I. [*vſ.* 377.] eam producit.

Egreſſi, villam petimus, lutoque vagamur.

Quin contra: quae ſyllaba in *Luteum* pro Iſatide, & ejus colore longa eſt, a Tibullo etiam corripitur *lib.* I. [*Eleg.* 9. *vſ.* 52.]

Sed nimius luteo corpora tingit amor.

CAPUT LXVII.

Livii locus expoſitus.

In verbis Livii, quae apponam ex *lib.* VI. non multo ante finem [*cap.* 38.] nihil deſiderari puto. *Et quod uſque ad memoriam noſtram Tribuniciis Conſularibusque certatum eſt viribus, Dictaturae ſemper altius faſtigium fuit.* Integra enim eſt ſententia. Nec verba adminiculo addendae vocis ullius egent. Certatum (inquit) eſt quidem inter Tribunos & Conſules. Numquam tamen inter Tribunos & Dictatorem. quoniam faſtigium Dictaturae altius ſemper fuit, quam ut cum ea Tribunis certandi licentia, atque audacia fuerit. Quamquam autem hoc

hoc loco sic tradit Livius, tamen idem *lib.* VII. *paullo post principium* [*cap.* 3.] Tribunos contra Dictatorem insurrexisse aperte testatur. Sic enim de L. Manlio loquens ait: *Bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit. tandemque omnibus in eum Tribunis plebis coörtis, seu vi seu verecundia victus, Dictatura abiit.* Sed jam Livius caussam attulerat audaciae hujus. Etenim L. Manlius non Reipublicae gerendae, sed religionis solvendae, id est clavi figendi caussa dictus Dictator fuerat. Propterea minus audax eorum jure videri potuit licentia, cum in eum sunt coörti.

CAPUT LXVIII.

Virgilii versus expositi.

Torva leaena lupum sequitur: lupus ipse capellam:
Florentem cythisum sequitur lasciva capella:
Te Corydon o Alexi. trahit sua quemque voluptas.

Occultus & elegans in his versibus [*ex Eclog.* II. *vs.* 63. *seqq.*] sensus latet. licet primo ingressu prae se ferant reconditum nihil. idque hactenus adverterunt pauci. certe explicavit, quod sciam, nemo. Sciendum autem est, prope διαλογίστως totam extremam partem Eclogae hujus cantari. Nam hoc versu & sequente altero.

Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis,
Nec si muneribus certes, concedit Iolas.

Stultitiam suam agnoscens se incusat Corydon, tamquam male imprudenterque amores suos posuerit. habens praesertim rivalem potentiorem & propterea etiam gratiosiorem. illis deinde sequentibus,

Quem fugis ah demens. habitarunt Dii quoque silvas,

Dar-

Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces
Ipsa colat. nobis placeant ante omnia silvae.

Inconstans est, abblandirique iterum incipit. Sed paullo post quasi Alexim excusans, ac prope ex Alexidis persona sic inquit:

Torva leaena lupum sequitur. lupus ipse capellam.
Florentem cythisum sequitur lasciva capella.
Te Corydon o Alexi. trahit sua quemque voluptas.

tamquam dicat. Non mirum adeo & grave videri debet, si Alexis aures meis blanditiis & amoribus obturat, & me spernit. scilicet cognoscit liquido, meos amores non benevolentiam esse in se, sed meras insidias: blandirique me ob id, ut fallam. suam pulchritudinem, non se amari. denique intelligit, amorem meum non caritate, & amatoris amicitiam non ulla benevolentia, sed quadam expletionis aviditate, & quasi fame incitari: nec aliter se a nobis appeti, quam appetitur lupus a leaena, capella a lupo, cythisus a capella. Utque illa pernicie appetitarum rerum, cum potiuntur, suam famem explent, sic me amati dedecore nequitiam meam satiatam cupere. Sed quoniam totum hunc locum ex Phaedro Platonis scientissime mutuatus est Virgilius, ubi Plato tradit, quo modo dignosci possit amans a non amante, propterea expediet auctorem ipsum adire, cujus verba non apponam. quoniam tractatus ille longiusculus est. tantum adscribam versum poëtae nescio cujuspiam a Platone ibidem allatum, ut pateat, non sententiam solum, sed verba ac versum ipsum transtulisse Virgilium. Carmen igitur apud Platonem sic exstat. [*pag.* 241. *Ed. Serrar.*]

Ὡς λύκοι ἄρνα ἀγαπῶσι, ὥς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασαί.

C A-

CAPUT LXIX.

Columnarium quid sit apud Ciceronem.

C*olumnarium* est in quadam ad Atticum epistola. [*lib.* XIII. *Ep.* 6.] *De aquaeductu probe fecisti. Columnarium vide ne ullum debeamus.* Rhodogninus hic *Colonarium* legit. omnino male. Paulus Manutius, vir doctus, *Columnarium* servat: & accipit pro tributo, quod in singulas columnas penderetur. Quod probari non debet (*a*). primum alia hic est notio hujus vocis *Columnarium*, quam ipse accipit, ut

(*a*) *Colonarium* etiam habetur in MSto *F. Ursini.* Sed vulgata servanda videtur, quippe quæ vox etiam apud Caesarem reperitur *lib.* III. *de Bell. Civ.* cujus verba à *Manutio ad Cic.* citantur. Eam autem cum Viris doctis explicandam censeo de tributo aliquo quod pro columnis pendebatur, si illæ modum numerumve lege constitutum excederent. Atque id docere videntur verba, quæ sequuntur: *Quanquam mihi videor audiisse à Camillo, commutatam esse legem.* Junge *B. Barrienti Annotat. Sylvam cap.* 5. *in Tom. III. Fac. Crit. Gruteri*; qui tamen paulo aliter hoc verbum apud *Cicer.* interpretatur. Matii certe explicatio nullius est momenti : namque in loco *Vitruvii* ab eo citato, pro *columnaria* legendum crediderim *columbaria*: quæ vox cum proprie latibula columbarum significet, hinc ad varia transfertur. In antiquis enim marmoribus loculi ad ollas cinerarias adservandas *columbaria* appellantur. In re nautica ita dicuntur foramina, ex quibus remi eminent, teste Isidoro *Lib.* XIX. *Orig. cap.* 20. Vid. etiam *Scalig. ad Plauti Fragm. pag.* 1138. *Ed. Gronov.* In Architectura tignorum & asserum cubilia, quæ Græci Ὀπας dicunt, à Latinis *Columbaria* vocantur, ipso teste *Vitruvio Lib.* IV. *cap.* 2. ubi vide *Guil. Philandri Castilionii notas.* In hydraulica *columbaria* dicuntur foramina secundum axem, per quæ aqua in tympano haustorio organo concepta effluit; eodem *Vitruvio* Auctore *Lib.* X. *cap.* 9. Pluribus de variis hujus vocis significationibus egerunt *Turneb. Advers. Lib.* X. *cap.* 15. & *Lib.* XXVI. *cap.* 2. ac *R. Fabretti Inscript. Domest. cap.* 1. *p.* 9. Atque hinc quoque foramina illa

ut paullo poſt patebit. Deinde eo tempore, cum haec epiſtola eſt ſcripta, non modo hoc tam iniquum tributum in ſingulas ſcilicet aedificiorum columnas cives non pendebant, ſed omnino nullum. legimus enim cum apud Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* 3. tum apud Plutarch. *in Aemilio*, [*Tom.* I. *pag.* 275. *B.*] & Ciceronem *II. Off.* [*cap.* 22.] tantum ab Paullo auri argentique in aerarium devicto Perſe relatum fuiſſe, ut nullum tributum perſolvi a civibus opus fuerit uſque ad Hircii & Panſae conſulatum. Aperte idem Cicero hoc idem paullo ſupra eum locum, quem nominavimus, oſtendit *II. Off.* [*cap.* 21.] *Danda* (inquit) *opera eſt, ne, quod apud majores noſtros ſaepe fiebat propter aerarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum. Id ne eveniat, multo ante erit providendum. ſin qua neceſſitas hujus muneris alicui Reip. obvenerit: malo enim alteri, quam noſtrae ominari &c.* Non me latet Ciceronem ipſum apud Dionem *lib.* XLIV. [*p.* 254. *D. Ed. Leuncl.*] in oratione quam habet in Senatu poſt caedem Caeſaris de abolendis perpetua oblivione praeteritis injuriis, ſentire aliter his verbis: *Quis enim numerum inire poſſit ejus pecuniarum multitudinis, quam cum ſociis ademiſſemus, Deos deſpoliaſſemus, ipſi ſupra quam facultates noſtrae ferrent, contu-*

illa in aquæductibus, per quæ vis ſpiritus relaxatur, *columbaria* potius, quam *columnaria* dicta fuiſſe puto in eo Vitruvii loco, quem Matius profert, ex *Lib.* VIII. *cap.* 7. Niſi quis ibi cum *Beroaldo* ad *Sueton August. cap.* 40. legere malit *colluviaria.* In Onomaſtico Græco-Latino, quod habetur poſt Gloſſaria *Vulcanii*, *pag* 26. eſt. *Colluviaria*, *ὀχετοὶ.* Et favet ſane huic conjecturæ Codex Vitruvii MStus, qui in Academiæ Franequeranæ Bibliotheca ſervatur. Habet etenim ille *Colliviaria*, uti mihi indicavit Vir Summus P. *Weſſelingius*, quem præceptorem & ſtudiorum ducem me nactum fuiſſe ſemper gloriabor.

tulissemus, *contra nos invicem impendimus?* Sed hic orator, vel potius Dio, caussae inseruit. Quod si omnino fortasse ad unguem vera non fuere, quae Plinius, Plutarchus, & Cicero tradidere, quoniam Appianus *lib.* III. *Civilium bellorum* [*pag.* 912.] & alii tradunt eo tempore tributis exhaustam atque afflictam fuisse Italiam, tamen ad necessitatem tam iniquorum tributorum perventum numquam fuit.

Ego igitur apud Ciceronem intelligo, mandari ab Cicerone, sic faciendum aquaeductum, ut nullum necesse esset in aquaeductu columnarium aperire. vel etiam ne quidquam cuiquam pro hoc columnario deberetur, si forte per alienum fundum aquaeductus esset ducendus. Est autem *Columnarium* (quemadmodum probe intelliget, qui totum *caput* 7. *lib.* VIII. Vitruvii leget) spiramentum, & aestuarium, & quasi nares apertae in aquaeductibus: unde aqua profluens spirat: & vis spiritus, qui impetu decurrentis in clauso & in specubus aquae excitatur, relaxatur. Cujusmodi est videre Brixiae extra urbem in nobilibus illis fontanae aquae aquaeductibus, in quibus haec spiramenta, quae putei & columnaria appellantur, certis intervallis aperiuntur, ne conclusus aër cursum aquae moretur. Vitruvius, ut dixi, *lib.*VIII. *cap.* 7. *Etiam in ventre columnaria sunt facienda, per quae vis spiritus relaxatur.* Idem paullo supra. *Parietes cum camera in specu struantur: & ita perducantur, puteique ita sint facti, ut inter duos sint actus.*

C A-

CAPUT LXX.

Scyllas plures fuiſſe. De Progne, Proſerpina, & Circe.

In illo Virgilii verſu ex VI. *Ecloga*, [*vſ.* 74. *ſeqq.*]

Quid loquar, aut Scyllam Niſi? quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates. & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Servius atque alii disjunctivam particulam inculcant, ſic legentes:

Quid loquar, aut Scyllam Niſi? aut quam fama ſecuta eſt.

Quoniam apud Ovidium & alios legunt Scyllam Niſi filiam in avem Alietum, Scyllam vero Phorci in piſcem monſtrum marinum verſam fuiſſe (*a*). Sed varias fuiſſe poëtarum opiniones circa hanc fabulam Scyllae ſatis liquido teſtatur ipſe Virg. in Cyri [*vſ.* 48. *ſeqq.*] pluribus verſibus, quam ut debeant huc nunc transferri. Etſi autem in Cyri poëta ſequitur eorum opinionem, qui Niſi fuiſſe filiam eam Scyllam, quae in avem ſit mutata, [putant,] tamen hic aliud ſequi libuit. & propterea non neceſſe eſt vocem illam, *aut*, interponere. Sic Ovidius III. *Amorum Elegia* 12. [*vſ.* 21.] in monſtrum marinum verſam ſcribit:

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Et tamen *in Metamorph.* [*lib.* VIII. *vſ.* 148. *ſeqq.*] aliter tradit. ex libidine igitur Virgilius quoque modo hoc, modo illud ſequitur. Propert. *lib.* IV. in

(*a*) Conf. ſupra cap. XI. p. 85.

in Elegia de Tarpeja, in marinum monſtrum mutatam hanc Scyllam refert [*El.* 4. *vſ.* 37.]

Quid mirum, in patrios Scyllam ſaeviſſe capillos?
Candidaque in ſaevos inguina verſa canes?

Hyginus quidem variis in locis Scyllas plures fuiſſe ſcribit. Unam Pallantis & Styges filiam. [*in Geneal.*] Alteram Typhonis & Echidnae. quam, ſuperiorem partem mulieris, inferiorem alibi [*Fab.* 151.] canis, alibi [*Fab.* 125.] piſcis cum ſex canibus habuiſſe ſcribit. Tertiam filiam Niſi, quae in Cyrim piſcem, non avem, verſa ſit [*Fab.* 198.] Quartam Cratetis fluminis a Glauco adamatam, & veneficiis Circes canes ab ejus inguinibus natos, ac Ulyſſem deinde eſſe perſecutam. [*Fab.* 199.] Quamquam alibi [*Fab.* 125.] idem Hyginus Typhonis hanc fuiſſe filiam narrat. Quinctam Danäi, quae Proteum conſobrinum fratrem, Aegypti filium interemit. [*Fab.* 170.] Homerus & Didymus *Odyſſ.* XII. [*vſ.* 124.] Scyllam, quae ſocios Ulyſſis vexavit Phorcynis & Crataeidis, quae a Magis Hecate dicitur, filiam ſcribunt fuiſſe. Palaephatus [*cap.* 21.] Scyllam navem fuiſſe ſentit, qua Tirrheni, qui tunc piraticam faciebant, ita Ulyſſem ſint perſecuti, ut vix beneficio flantis venti evadere potuerit. At Virg. *in Cyri* [*vſ.* 69.] meretricum mores hoc monſtro cecinit deſignari. Ac ne huc omnia congeram, ad Commentatores Homeri lectorem rejicio, ubi monſtroſae formam Scyllae deſcriptam leget. Mythologiamque Fulgentii ſatius eſt ex ipſo [*lib.* II. *cap.* 12.], quam ex noſtra annotatione perdiſcere. Pauſanias Corinthiacis, poëtis longe veriſimiliora tradit his verbis. [*cap.* 34. *p.* 192.] *Scyllae proditione cum Minos Scyllaeum promontorium & Megara cepiſſet, Scyllam repudiavit, & Cretenſibus imperavit, ut e navi praecipitem darent, quae flu-*

ctibus

ctibus ad Scyllaeum eſt acta. ejus cadaver ab avibus marinis dilaceratum eſt. Fabulam quoque Terei, quam varie narrant? cum Heſiodo Ovidius [*Metam.* VI. *vſ.* 424. *ſeqq.*] & alii non pauci Tereum in Upupam mutatum comminiſcuntur. At Hyginus [*Fab.* 45] in Accipitrem. Apud Hyginum & Ovidium Philomela in Luſciniam, Progne in Hirundinem vertitur. at contra Heſiodus Prognen in Luſciniam, Philomelam in hirundinem transformatam canit. Plutarchus quoque VII. *lib. Sympoſ. Quaeſt.* [*Quaeſt.* 7. *pag.* 727. *D.*] & Ariſtoteles *III. de arte Rhetorica* [*cap.* 2.] ex Gorgiae ſententia Philomelam in Hirundinem mutatam tradunt. M. etiam Varro Prognen cecinit Luſciniam factam, cum ſic ſcribit. [*lib.* IV. *de L. L. p.* 21. *Ed. Stephani.*] *Luſciniola luctuoſe canere exiſtimatur, atque eſſe ex Attica Progne in luctu facta avis.* quam opinionem multi quoque alii ſunt ſecuti (*a*), quorum verbis citandis ſuperſedeo. Proſerpinam raptam in Sicilia ex Ovidio, Claudiano, & aliis cum Latinis, tum Graecis, ſciunt omnes. At in Creta Bacchylides. Juxta Oceanum mortuum in Inſula Cereris Orpheus. Quamquam idem Orpheus in hymno Typhonis contra canit. In Napis Demades. In Attica Phanodemus tradiderunt, ut eſt apud Scholiaſten Heſiodi [*ad Theogon. pag.* 303. *Ed. Heinſ.*]. In Peloponneſo autem apud Eraſinum Fluvium Pauſanias *in Corinthiacis* [*cap.* 36.]. De Circe eadem fere eſt concordia, & de Sirenibus. ut ſi quando apud aliquem ſcriptorem diverſa ab iis, quae

(*a*) Ita apud *Achill. Tatium Lib.* v. *p.* 283. in expoſitione tabulæ, in qua Terei hæc hiſtoria erat depicta. Ἀηδὼν καὶ ἔποψ, καὶ χελιδὼν, πάντες ἄνθρωποι, καὶ πάντες ὄρνιθες. Ἔποψ ὁ ἀνὴρ, αἱ δύο γυναῖκες. Φιλομήλα χελιδὼν, καὶ Πρόκνη ἀηδών.

quae apud alios legeris, invenias, aequi boni facere debeas quidquid occurrat: & in lucro ponere, quod antea ignoratum didiceris. non autem alium ex alio auctorem (quod faciunt nonnulli) emendes, id est, corrumpas: credens falsum & deceptum illum fuisse.

CAPUT LXXI.

Loca aliquot Virgilii illustrata.

Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus.

Alexander Aphrodisaeus *problemate* LXXVIII. quae ad hunc locum Virgilii [*ex Eclog.* IX. *vs.* 64.] faciunt, sic ait: *Cur, qui onera bajulant, cantantes ambulant? iidemque, qui trahunt? Quia modulatione rationalis anima oblectatur. quo fit, ut in eam conversa, minus ipsum sensum suscipiat. unde efficitur, ut tantopere onus ipsum non sentiat. hac ratione solve, cur in funeribus tibia ac tympana adhibentur, &c.*

Georg. I. [*vs.* 36.]

—— *Nam te nec sperent Tartara regem.*
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido.

ab Theognide sumpta est sententia. [*vs.* 1191.]

Οὐκ ἔραμαι κλισμῷ βασιληΐῳ ἐγκατακεῖσθαι
Τεθνεώς.

Umbra quoque Achillis *Odyss.* λ. [*vs.* 488.] Ulyssi, qui Achillem felicissimum dixerat, sic respondet:

Βουλοίμην κ᾽ ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ᾽ ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Ad quae carmina iterum respexit Virg. *lib.* VI. [*vs.* 436.] cum agit de iis, qui vitam perosi sibi mortem conscivissent.

quam

—— *quam vellent aethere in alto*
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Ibidem Virg. [*v∫.* 31.]

Teque ∫ibi generum Tethys emat omnibus undis.

Spon∫a venire in manum, & coëmere dicebatur, non autem ∫ocer aut ∫ocrus. ut nihil aut parum faciant ad ∫ententiam Virgiliani ver∫us, quae ibi Servius de coëmptione dixit. Itaque ego arbitror poëtam re∫pexi∫∫e ad hi∫toriam, quae e∫t apud Plinium *lib.* IX. *cap.* 16. *Sunt* (inquit) *& in hac parte Naturae auguria. ∫unt & pi∫cibus prae∫cita. Siculo bello ambulanti in littore Augu∫to, pi∫cis e mari ad pedes ejus exiliit, quo argumento vates re∫pondere, Neptunum patrem adoptantem eum ∫ibi Sex. Pompejo repudiato. tanta erat navalis rei gloria. ∫ub pedibus Cae∫aris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* eamdem hanc hi∫toriam pi∫cis ad pedes Augu∫ti ex marinis undis devoluti narrat Dio *libro* XLIX. *∫uarum hi∫toriarum* [*p.* 395. *Ed. Leuncl.*] ad quam ∫ine dubio Virgilius re∫pexit. Sed poëticis gratiis totam hanc adulationem venu∫tiorem, & magis la∫civientem fecit.

Ibidem Virg. [*v∫.* 34.]

—— *Ip∫e tibi jam brachia contrahit ardens*
Scorpius: & ju∫ta coeli plus parte reliquit.

ex hi∫toria Alexandri Magni petita haec adulatio. Q. Curtius *lib.* VIII. [*cap.* 5. §. 8.] *Hi* (*adulatores*) *totum coelum illi aperiebant. Herculemque & patrem Liberum, & cum Polluce Ca∫torem novo numini ce∫∫uros e∫∫e jactabant.*

Ibid. Virg. [*v∫.* 400.]

Immundi meminere ∫ues jactare maniplos.

Plutarch. *in libello de tuenda valetudine.* [*Tom. II. pag.* 129. *A.*] *Siquidem ab∫urdum fuerit corvos crocitantes, gallos canentes, & ∫ues jactandis maniplis in-*

sanientes (*ut inquit Democritus*) *diligenter observare his rebus ventum*, *aut imbrem imminere significantes.* *&c.*

In *Aenëidem* ejusdem. Qui cupiunt cognoscere, quam sibi indulserint in comminiscenda Trojani imperii ruina multi, adeant primum librum Herodoti, quamque Virgilius & Livius & Messalla de Aenea fabulosa scripserint, legere est apud Daretem Phrygium & Dictem Cretensem. Sed, ut hic quaerendi onere lectores levem, libet quaedam ex Dicte apponere de Aenea: quae fortasse paradoxa, & nullo modo ferenda eis videbuntur, qui de Italiae nobilitate actum putent, si Aeneam inde excluseris. tradit igitur ille, Aeneam ad rapiendam Helenam una cum Paride profectum fuisse, susceptoque bello summa contentione pugnasse, ne Helena Graecis repetentibus redderetur. Eumdem tamen detestatum Paridis facinus illud, cum Achillem violata fide in templo Apollinis interfecit, consilium inivisse cum Heleno & Antenore de prodenda Graecis patria. Qua re peracta invitatum a Graecis Aeneam, ut secum in Graeciam transfretaret, pollicentibus opes & regni partem cum Graecorum proceribus. tamen remansisse cum Antenore in patria. Sed patefactis insidiis, quas Aeneas post Graecorum profectionem Antenori fecisset, coactum esse aufugere. Antenoremque Trojae regem remansisse. Aeneam vero classe comparata in Adriaticum mare pervenisse, ibique Corcyram nigram (haec nunc Venetis *Cursula* dicitur) in Insula ejusdem nominis condidisse. Strabo vero *lib.* XIII. [*pag.* 906. *&* 907.] scribit Aeneam tradi ab aliis in Macedonia ad Olympum habitasse. ab aliis circa Mantineam in Arcadia Capuam condidisse. ab Homero autem *lib. Iliad.* XX.

[*vs*.

[*vs.* 306.] Trojae imperii successorem extincto Priamidarum genere remansisse, & natos natorum &c. his verbis:

> Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων.
> Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει.
> Καὶ παίδων παῖδες, τοίκεν μετόπισθε γένωνται.

alii legunt. [*teste ibid. Strabone*]

> Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο γένος πάντεσσιν ἀνάξει.

& de Romanis intelligunt.

CAPUT LXXII.

Mens, imago, imaginatio, figurare, species. & Virgilius expositus.

M*entem* pro desiderio poni observat Petrus Victorius *lib.* VII. *Lectionum Variarum.* [*cap.* 6.] a Virgilio eo versu *Georg. III.* [*vs.* 267.]

Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci &c.

Ego vero cum intelligam Veneris desiderium commune naturaleque omnium animantium, non equarum praecipuum esse, libentius ibi apud Virgilium *mentem* pro figuratione, imagine sive imaginatione & specie interpretor: quae in equis in aliquibus regionibus, veluti in Lusitania, & ubique in gallinis est praecipua, adeo, ut etiam si marem non habeant, hac figuratione tamen concipiant & pariant, Columella me in hanc sententiam impellente. qui *lib.* VI. *cap.* 27. sic scribit de equarum conceptu loquens: *Non dubium est, quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coëundi feminae, ut etiam si marem non habeant, assidua & nimia cupiditate figurantes sibi ipsae Venerem, cohortalium more avium vento concipiant. Quae enim Poëta licentius dicit:*

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.
Et mentem Venus ipſa dedit. quo tempore Glauci, & quae ſequuntur. Porro imaginem ſive imaginationem ſignificare figuratam ſibi ex nimio vel deſiderio vel metu, vel quopiam alio motu rem vel appetitam, vel formidatam, ſatis eſt duobus teſtibus probare. Virg. *lib.* VIII. [*vſ.* 556.]

Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major mortis apparet imago.

Plin. *lib.* XX. *cap.* 7. de lactuca loquens: *Semine trito ex vino poto & libidinum imaginationes in ſomno compeſcit.* Q. quoque Curtius *lib.* VII. [*cap.* I. §. 36.] non diſſimili figura *ſpecies* dixit: *Utinam prudentius eſſet ſolicita pro filio, & non inanes quoque ſpecies anxio animo figuraret.*

CAPUT. LXXIII.

Nuptiarum Thetidis hiſtoria.

Non alienum videtur, addere his meis commentationibus, quae de Thetidis nuptiis Dictes Cretenſis ſcripſerit. [*lib.* VI. *cap.* 7.] ne fabulam eſſe penitus credant. *Uti* (inquit) *inter cetera originem etiam nuptiarum Pelei cum Thetide Chironis filia, Chryſippo atque Arato narraverit. Qua tempeſtate multi undique Reges acciti domum Chironis, inter ipſas epulas novam nuptam novis ac magnis laudibus veluti Deam celebraverunt: patrem ejus Chirona appellantes Nerea, ipſamque Nereidem. Et ut quiſque eorum Regum, qui convivio interfuerant, choro moduliſque carminum praevaluerat, ita Apollinem Liberumve, & ex feminis plurimas Muſas cognominaverunt. Unde ad id tempus convivium illud Deorum eſt appellatum.*

CAPUT LXXIV.

Conjurator. συνωμότης. *& Virgilii versus illustratus.*

Συνωμότης, quem Plautus Trinummo (nisi fallit memoria) *Conjuratorem* appellavit (*a*), Athenis praefectus erat, qui in portu vel ad urbis portas advenas jurejurando cogebat profiteri nomen, patriam, & negocia, institutus a civibus civitatis securitati consulentibus. ne scilicet in urbem hostes viri imprudentibus Atheniensibus per simulationem alterius negocii ingrederentur. Hanc consuetudinem crediderim respexisse Virgilium *lib.* I. *Aenëid.* [*vs.* 417.] cum ait:

Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi exposcere caussas.

CAPUT LXXV.

Horatii versus declarati. Oculo irretorto spectare. respicere. eximere numero.

Redditum Cyri solio Phraätem
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum & Diadema tutum
Deferens uni propriamque Laurum,

Quis-

(*a*) Respicit *Plautum in Trinummo Act.* IV. *sc.* 2. *vs.* 30. ubi ita scribitur: *Census cum juratori, recte rationem dedi.* verum eo in loco per *juratorem* intelligi Censorem, Pop. Romani magistratum, docuerunt Viri Docti: imprimis *Gronov. Observ. Lib.* IV. *cap.* 3.

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Duo sunt exponenda in his versibus Horatii, ex *II. Carminum.* [*Od.* 2. *vs.* 17. *seqq.*] Cur redditum dicat Cyri solio Phraätem, & quid significet, *oculo irretorto spectare.* ac quod ad Phraätem attinet, verbis Justini Historiam referemus ex *lib.* XLII. [*cap.* 4. & 5.] *Sed fatum Parthiae fecit, in qua jam quasi sollemne est Reges parricidas habere, ut sceleratissimus omnium, & ipse Phraätes nomine, Rex statueretur. Itaque statim, quasi nollet mori naturaliter, patrem interfecit. fratres quoque* XXX. *trucidat. Sed nec in filiis cessant parricidia. Nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset, qui nominari Rex posset, adultum filium interfici jubet. Huic Antonius propter auxilium adversus se & Caesarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit. Sed graviter multis praeliis vexatus, a Parthis refugit. Qua victoria insolentior Phraätes redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, & ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur.* hactenus Justinus. Hic postea amicitiam cum Augusto fecit, ut se ab insidiis civium & domesticorum redderet firmiorem. Itaque ut Strabo *lib.* XVI. [*pag.* 1085.] tradit, volens ac securitati suae a suis filiis prospiciens per speciem obsidum quatuor filios & uxores eorum ac liberos Augusto ablegavit. Quod vero ait, *solio Cyri*, non poëtice dictum est, sed ex more Persarum. Itaque Darius optabat, si Diis de se durius statuere sit decretum, neminem alium quam Alexandrum in solio Cyri sedere. apud Persas etiam capitale fuit, quemdam in solio Cyri sedisse.

diſſe. poſſet autem etiam de Phraäte filio intelligi, quem Tiridates fratrem fugiens raptum Auguſto donaverat. Sed Auguſtus patri aliquanto poſt repetenti eumdem ſine pretio remiſit. qua liberalitate invitatus Rex ſpolia de Craſſo & Antonio relata ultro remiſit. Hanc hiſtoriam praeter Juſtinum & Plutarchum in Antonio tradit Dio *lib.* XLII. [*cap.* 5.] L. [*pag.* 456. *B.*] & LIII. [*pag.* 519. *B.* & *lib.* LIV. *pag.* 525. *E.*] Quod autem dicit:

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Significat eum eſſe beatum, quem cupiditas opum non vellicat: qui viſos auri acervos praeterit, ne reſpiciens quidem. Nam qui reſpectat, arguit invitum ſe divelli ab ea re, quam reſpicit. Cicero *pro Sextio.* [*cap.* 55.] *Sed quid ego Populi Rom. animum virtutemque commemoro, libertatem jam ex diutina ſervitute reſpicientem?* Salluſtius *de Jugurtha* [*cap.* 35.] *Sed poſteaquam Roma egreſſus eſt, fertur eo ſaepe tacitus reſpiciens dixiſſe: Urbem venalem, & mature perituram, ſi emptorem invenerit.* Paterculus *lib.* II. [*cap.* 18. §. 2.] de quodam Germano. *Reverſus in naviculam, ſine fine reſpectans Caeſarem, ripae ſuorum appulſus eſt.* Herodianus *lib.* VI. [*cap.* 4.] de Alexandro Rom. Imperatore. *Contra Artaxerxem Perſarum Regem Roma proficiſcitur, reſpectans identidem & lachrimans.* Livius *lib.* XXX. [*cap.* 20.] de Annibale excedente ex Italia. *Raro quemquam alium patriam exilii cauſſa relinquentem magis moeſtum abiiſſe ferunt, quam Annibalem hoſtium terra excedentem. Reſpexiſſe ſaepe Italiae littora, & Deos hominesque accuſantem. Spectare* igitur *acervos oculo irretorto* eſt, ultro & non invitum carere acervis: mentis robore divitias conculcare: nec de hac animi conſtitutione atque altitudine cupiditate opum dejici:

con-

contemnere opes: & contemptu rerum divitem beatumque esse. neque enim eget, qui nihil concupiscit. Porro *eximere numero beatorum*, est, infelicem constituere. ne te fallant, qui aliter exponunt.

CAPUT LXXVI.

Sisyphi fabula.

Sisyphum tradunt notissimo omnibus supplicio affectum esse, quod Deorum consilia hominibus prodiderit. Homeri Scholiastes *lib.* I. *Iliad.* [*vs.* 180.] quod raptum Aeginae Asopo patri indicaverit. Theognis [*vs.* 702. *seqq.*] hunc sapientissimum fuisse scribit. & reditum ex Inferis a Proserpina dulcedine orationis impetravisse.

CAPUT LXXVII.

Neleum pro Hylaeo apud Virgilium legendum.

Hylaeum a Theseo non ab Hercule interemptum scimus ex versu Virgilii *lib.* II. *Georg.* [*vs.* 457.]

Et magno Hylaeum Lapithis cratere minantem.

quam rem observat quoque Servius in eos versus ejusdem Virgilii *lib.* VIII. [*vs.* 293.]

—— *Tu nubigenas invicte bimembres*
Hylaeum, Pholumque manu. tu Cressia mactas
Prodigia. —— —— ——

Ergo aut Virgilius confundit fabulas, quod saepe faciunt poëtae. aut (quo maxime inclinat animus) legendum est pro *Hylaeo*, *Neleum.* cujus lectionis auctorem habeo & ducem Hyginum *fabula XXXI.*

sic

ſic ſcribentem: *Herculem occidiſſe Neleum Hippocoöntis filium cum decem filiis, quod is eum luſtrare noluerit tunc, cum Megaram Creontis filiam uxorem ſuam & filios Theremachum & Ophitem interfecerat.* Porro Pholum non interemptum ab Hercule, ſed contra pro Pholo, a quo erat Hercules benigno hoſpitio acceptus, certamen contra vim & injuriam Centaurorum ſuſcepiſſe Herculem, quos univerſos interfecerit, aperte ſcribit Diodorus *lib.* v. [*cap.* 12.] Ubi Pholum contactu ſagittarum ſanguine hydrae illitarum periiſſe ſcribit. Sed haec alii quoque fortaſſe obſervarunt. Val. Flaccus *lib.* 1. [*vſ.* 336.] ab Aeſone interimi facit Pholum.

—— —— O, ſi mihi ſanguis,
Quantus erat, cum ſignifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus haec compeſcuit auro.

Sed poëtae ſic ſibi indulgent, tuncque ſibi maxime placent, cum mentientes contraria contrariis implicant. Praeterea Cretenſem Taurum, cum quo Paſiphäe concubuit, quemque Hercules ex Creta vivum Mycenas adduxit auctore Hygino *Fabula XXX.* idem Hyginus & Diodorus *lib.* v. *cap.* 5. ab Theſeo interfectum in Marathone refert, *non ab Hercule*, ut canit Virgilius, cum dicit: *Tu Creſſia mactas Prodigia.* Cum quo etiam facit Pauſanias Eliacis [*prioribus cap.* 10. *pag.* 400.] qui connumerandis Herculis aerumnis Taurum in Gnoſo ab Hercule occiſum ſcribit. Fuit quoque alius Taurus Cretenſe monſtrum, de quo his verbis Pauſanias *Atticis.* [*cap.* 27. *pag.* 66.] *Conſecrarunt & aliud* (*Athenienſes*) *Theſei facinus. de quo haec narrantur. Cretenſium agrum cum alibi, tum circa Tethrinem fluvium taurus populabatur: ferae enim plus terroris olim quam nunc hominibus incutiebant. Ut Leo ille Nemaeus, & Parnaſius, & Dracones paſſim in Graecia.*

Aper

Aper item tum Calydonius, tum Erymanthius. & in Corinthiaca regione Cromnyonia ſus. ita ut dicerentur quaedam terra emergere, quaedam Diis ſacrae, quaedam item ad puniendos homines miſſae. Cretenſes autem taurum hunc a Neptuno in terram ipſorum immiſſum affirmant, eo quod Minos cum maris Graeci imperium obtineret, nullo prae reliquis Diis inſigni honore Neptunum affecerit. Hunc itaque taurum ex Creta in Peloponneſum veniſſe perhibent. & Herculi inter duodecim aerumnas (ut vocant) hic quoque annumeratur. Ut vero in campos Argivorum eſt dimiſſus, per Iſthmum Corinthiacum fugit in Atticam. Atque inde ad populum Marathonium perveniens cum alios in quoſcumque incidit, tum Minois filium Androgeum confecit. Minos vero (non enim perſuaderi poterat, Athenienſes in filii caede plane eſſe extra culpam) inſtructa claſſe opes eorum uſque adeo afflixit, ut ſeptem virgines totidemque pueros in Cretam ad Minotaurum, qui Gnoſi in Labyrintho habebatur, ex pacto mittere cogerentur. Taurum Marathonium poſtea Theſeus in arcem egiſſe, & Minervae mactaſſe fertur, id quod a populo Marathonio dedicatum eſt. Et *lib.* IX. Strabo [*pag.* 611.] *In Marathone Theſeus taurum Marathonium interfecit.* Nec alienum videtur admonere plures quidem fuiſſe Oechalias. ut eſt apud Strab. *lib.* VIII. [*pag.* 522. 538. & 553.] & IX. [*pag.* 669.] & X. [*pag.* 688.] alia enim fuit in Theſſalia, alia in Boeotica, alia in Arcadia, quae & *Andania*, alia in Aetolia apud Trachinem, alia apud Triccem. Sed dubitari idem Strabo ait, quam Hercules Euryto victo deleverit. praeſertim cum Theſſalica & Boeotia utraque Regem habuerit eodem nomine Eurytum. Quomodo autem Eurytum Oechaliae Regem per inſidias Hercules occiderit, & item alterum Eurytum bicorporem viribus adeo praeſtantem, ut non aper-

aperto certamine ausus sit eum Hercules aggredi, lege Scholiasten Homeri *lib.* v. [*vs.* 392.] & XI. [*vs.* 708.] *Iliad.* & Diodorum Siculum *lib.* IV. *cap.* 5.

CAPUT LXXVIII.

Versus Virgilii expositi.

Cur Virgilius *lib.* VIII. [*vs.* 298.] de Hercule loquens:

Nec te ullae facies, nec terruit ipse Typhoeus.

eum non horruisse aspectum Typhoei tradit? praesertim cum apud Athenaeum legamus *lib.* IX. *cap.* 15. Herculem Jovis & Asteriae filium in Libyam proficiscentem a Typhone interemptum fuisse. Jolaum autem illi cothurnicem attulisse: Herculemque nidore refectum reuixisse? Ego ad fabulam arbitror Virgilium respexisse, quam scribit Hyginus *Fab. CXVII.* his verbis: *Dii in Aegypto* (inquit) *cum Typhonis immanitatem metuerent, Pan jussit eos, ut in feras bestias se converterent, quo facilius eum deciperent. quem Jovis postea fulmine interfecit. Pan Deorum voluntate, quod ejus monitu vim Typhonis evitarant, in astrorum numerum relatus. & quod se in capram eo tempore converterat, inde Aegoceros est dictus, quem nos Capricornum dicimus.* Ergo Virgilius animi fortitudinem & firmitatem in Hercule commendat. quem, cum ad educendum ex Erebo Cerberum illuc descendisset, conspecta ibi umbra Typhoei ab reliquis omnibus Diis formidati, nihil commovit nec terruit. Sicque egregie respondetur Servio, qui nodum ibi explicandum proposuit. Typhonem vero & Typhoeum eumdem gigantem fuisse, admonuisse est satis, docere supervacuum.

CAPUT LXXIX.

Neptunus Aegaeus. Virgilii verſus declaratus.

Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nerëidum matri, & Neptuno Aegaeo.

In hoc verſu Virgilii ex III. *Aenëid.* [*vſ.* 73.] Servius confuſiſſimum inducit verborum ordinem ſic ſcribens: *Ordo eſt. in mari medio Aegaeo colitur tellus Neptuno & Nerëidum matri, id eſt Doridi, gratiſſima.* Ego *Neptuno Aegaeo* ſimul jungo, ut ſit: *Neptuno Aegeo.* id eſt *Neptuno*, qui & *Aegaeus* dicitur: ſicut etiam dicitur, *Phoebus Apollo.* Nam Pherecydes ipſum Neptunum appellatum fuiſſe dicit *Aegaeum.* & mare quod *Aegaeum* vocant ab eo affirmat *Aegaei* nomen inveniſſe. Strabo *lib.* IX. [*pag.* 621.] de Euboea loquens Neptuni Aegaei templum laudat. *Ad tractus vero* (inquit) *hujus ripam, Aegas jacere dicunt in Euboea ſitas. in quibus locatum eſt Aegaei Neptuni templum, cujus mentionem ſuperius fecimus.* Ita autem exponi debere, ut nos ſentimus, nec Servii interpretationem eſſe admittendam, docet nos ipſemet Virgilius de eadem Delo in Cyri [*vſ.* 475.] loquens eodem repetito verſu, ſic:

Linquitur ante alias longe gratiſſima Delos
Nerëidum matri, & Neptuno Aegaeo.

Ecce hic nullam eſſe vocem, cum qua nomen illud, *Aegaeo*, poſſit jungi, praeter quam cum *Neptuno.* Porro non perpetuo vera eſt ea Grammaticorum regula tradentium, Dactylum in heroico verſu neceſſario praecedere, cum Spondaeus quinctam ſedem occupat. teſtimonio eſt cum ille, quem modo citavimus, verſus.

Ne-

Nereïdum matri, & Neptuno Aegaeo.
tum ille alter ejusdem poëtae. [*Aeneïd.* VII. *vs.* 634.]
Aut leveis Ocreas lento ducunt argento.
Et ille Catulli *in Argonaut.* [*sive Epithal. Thetidis & Peleï vs.* 3.]
Phasidos ad fluctus, & fines Aeaetaeos.
& ille Arati. [*Phaenom. vs.* 893.]
Ἀχλύϊ, βοῤῥαίῃ ὑπὸ καρκίνῳ ἠγηλάζει.

Ut autem Pherecydes ab Neptuno Aegaeo dictum voluit Aegaeum mare, sic alii ab Aegeo Thesei patre, ut est apud Suidam. [*in* Αἰγαῖον πέλαγος.] Strabo *lib.* VIII. [*pag.* 592.] ab Aegis, non iis, quae sunt in Achaia Peloponnesi, sed iis, quae sunt in Euboea. Alii ab Aega Aeolidis promontorio, quod Canam seu Canas etiam dixerunt: ut est apud Strab. *lib.* XIII. [*pag.* 914.] Plinius *lib.* IV. *cap.* II. & Solinus *cap.* XV. ab Aega scopulo verius quam Insula, inter Tenedum & Chium dictum tradunt. Varro *lib.* VI. *de Ling. Lat.* [*pag.* 69. *Ed. Stephan.*] *Aegeum dictum ab insulis, quod in eo mari sic scopuli vocantur, a similitudine caprarum,* αἶγες.

CAPUT LXXX.

Graecos aliter metiri quasdam syllabas in Romanis vocibus, quam Latini faciunt.

Non mutuanda est a Graecis scriptoribus mensura in dictionibus Latinis. Haud enim in hac parte saepenumero fideles sunt duces. Congerere huc possem probatissimorum poëtarum exempla sexcenta. Sed contenti erimus paucis. satis est enim rem indicare. ῥήγουλος, φόρουλοι, λέντουλος scribunt Polybius, Appianus & Diodorus, media

diphthongo: quae tamen apud nos eſt brevis. Sic Ταρκηνίους & κεντηρίας, id eſt, *Tarquinios* & *centurias* antepenultima longa per η, quam nos corripimus. Virg. VI. [*vſ.* 815.]

Vis & Tarquinios reges, animamque Superbam.

Horat. *in Poëtica.* [*vſ.* 341.]

Centuriae ſeniorum agitant expertia frugis.

Neque etiam perpetua eſt ea regula, quam a Priſciano mutuatam, ſuppreſſo tamen nomine, quidam contra doctiſſimum virum ſcribens nuper pro ſua venditavit, cum ſcribit, Graecos in nominibus Latinis convertendis in ſuam linguam, ſicubi *u* brevis ſit, efferre per ὀμικρόν. Ubi vero *u* longa ſit, ου diphthongum adhibere. Id arguunt nomina ſupra dicta, *Regulus*, *foruli*, *Lentulus.* in quibus *u* media ſyllaba brevis, a Graecis tamen per ου diphthongum ſcribitur. Arguunt *Lucius*, *Lucanus.* in quibus prima quidem longa eſt, ſed a Graecis in ευ diphthongum, non in ου mutatur. dicunt enim Λεύκιος, Λεύκανος. Quin *Intubum*, & *Romulus*, Romana nomina, & alia plurima his ſimilia per ὑψιλὸν ſcribunt. ἴντυβον, & Ῥώμυλος. Nec item in vocibus Graecis impoſuerunt ſibi Latini poëtae neceſſitatem ſequendi veſtigia ſemper, & menſum Graecorum. Horatius *in Epod.* [*Od.* IX. *vſ.* 16.] penultimam in *conopeum* brevem ponit.

Sol aſpicit conopeum.

Quod & Propertius fecit. [*lib.* III. *Eleg.* IX. *vſ.* 45.]

Foedaque Tarpejo conopea tendere ſaxo.

Et tamen Graecis κωνωπεῖον eſt, diphthongo in penultima. propterea Juvenalis eos eſt ſecutus *Satyra* VI. [*vſ.* 80.]

Et teſtudineo tibi, Lentule, conopeo.

Κρηπῖδας Graeci dicunt primis duabus longis. at Perſius. [*Sat.* I. *vſ.* 127.]

Non

Non hic, qui in crepidis Grajorum ludere gestit.
Sic Horatius *Satyra* III. *lib.* I. [*vs.* 127.] Nisi forte quis a Latino verbo *Crepo*, quam a Graeco deductum malit. ne omnia Graecis debeamus. *Asia* Nymphae nomen est *in Theogonia Hesiodi* [*vs.* 359.] prima brevi.

Κρισίη τ' Ἀσίητε, καὶ ἱμερόεσσα Καλυψώ.

Virgilius tamen haud dubitavit mensuram Graeci poëtae repudiare. [*Georg.* IV. *vs.* 343.]

Atque Ephyre, atque Opis, & Asia, Deïopea.
quo in versu illud ὅδου πάρεργον advertendum est, *Asiam* & *Deïopeam* duarum diversarum Nympharum esse nomina: ne fortasse absentia copulae aliquem in fraudem trahat. Nam & Hyginus in Theogonia utriusque meminit. *Thalia* apud Hesiodum Musae, Gratiae, & Nymphae nomen est. Sed cum Musae poëta meminit, θαλείαν scribit cum ει diphthongo. [vid. *Theog. vs.* 77.] Cum vero est Gratiae & Nymphae mentio, per ἰῶτα semper brevem profert. ut *in Theogonia.* [*vs.* 245.]

Κυμοθόη, Σπειώ τε, Θόη, Θαλίη τ' ἐρόεσσα.

Virgilius cum prope Hesiodi versum verteret, Graecum tempus non servavit. [*Georg.* IV. *vs.* 338.]

Nesaee, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.

CAPUT LXXXI.

Defensa quaedam figura.

Verba, quae apponam, sunt ex quadam mea epistola: *A quo mens aliena semper fuit, iis vitiis affinem audent praedicare.* Damnata est haec periodus ab nonnullis, tamquam Soloecum habens. verum immerito. est enim figura cum insignis & pulcherrima, tum principibus scriptoribus non se-

 mel

mel usurpata. poteram hanc eorum calumniam silentio praeterire, quemadmodum tunc feci, cum primum sum admonitus, immo vero & reprehensus. Sed quoniam molesti esse pergunt (ut audio) & modestiam nostram in conscientiam ducunt, exemplis aliquot doctissimorum virorum prolatis, visum est faciendum, ut me a calumnia vindicarem. Virg. Bucol. [*Eclog.* II. *vs.* 71.]

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus, mollique paras detexere junco.

Aliquid, quorum. Idem *Aenëid.* VIII. [*vs.* 426.]

His informatum manibus, jam parte polita
Fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo.

Fulmen, quae plurima. Cic. ad Q. Fratrem. [*lib.* I. *Ep.* I. *sect.* 8.] *Cyrus ille &c. quos libros &c. nullum est enim praetermissum officium diligentis & moderati imperii. eaque sic coluit. &c. Cyrus, quos libros.* item. *officium, eaque sic coluit.* Idem *I. de Nat. Deorum.* [*cap.* 7.] *Nullius Philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, vacaret locus. Nullius Philosophiae, earum.* Terentius *Heautont.* [*Act.* II. *sc.* IV. *vs.* 13.]

Vobis cum uno simul ubi aetatem agere decretum est viro,
Cujus mos maxime est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant.

Uno viro, hi. Idem *Andria.* [*Act.* I. *sc.* I. *vs.* 28.]

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli &c.
Horum ille nihil egregie praeter ceteros.

Quod, horum. Idem *Eunucho.* [*Act.* I. *sc.* II. *vs.* 87.]

Quaesivi. eunuchum porro dixti velle te,
Quia solae his utuntur reginae.

Eunuchum, his. Idem *Hecyra.* [*Act.* III. *sc.* I. *vs.* 28.]

Faciunt: nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,

Cum

Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicissimus.

Quibus, eadem de caussa. Idem *Eunucho.* [*in Prologo princ.*]

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quamplurimis, & minime multos laedere,
In his poëta nomen profitetur suum.

Quisquam, in his. Idem ibidem. [*Act.* IV. *sc.* I. *vs.* 6.]

—— —— *quia illa, quae cupiebat*
De sorore ejus indicare, ad eam rem tempus non erat.

Illa, quae cupiebat indicare, ad eam rem. Idem ibid. [*Act.* I. *sc.* I. *vs.* 19. *seqq.*]

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Ego ne illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo.
Haec verba mehercule una falsa lacrymula,
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
Restinguet. —— ——

Quod, haec verba. Idem ibid. [*Act.* II. *sc.* I. *vs.* 19.]

Di boni, quid hoc morbi est? adeon' homines inmutarier
Ex amore, ut non cognoscas eumdem esse. &c.

Homines, eumdem. Idem *Hecyra.* [*Act.* II. *sc.* II. *vs.* 12.]

Celare te iras. si quid est peccatum a nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando vobis corrigemus.

Si quid, ea. Idem *Andria.* [*Act.* IV. *sc.* I. *vs.* 2.]

Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent ut commoda? ah.

Cuiquam, ut gaudeant. Cic. *ad Dolabellam.* [*lib.* IX. *Ep.* 14.] *Convenio neminem, &c. quin omnes &c. Neminem, omnes.* Q. Curtius *lib.* IV. [*cap.* I. §. 21.] *De quibus ante dictum est, hortum intrant. Hortum,*

de quibus. Idem *lib.* VII. [*cap.* 2. §. 32.] *Qui forte taedium laboris erant questi per litteras, hanc seorsim cohortem a ceteris &c. Cohortem, qui questi erant.* Livius *lib.* IV. [*cap.* 4.] *Et quod nondum factum est (multa enim nondum sunt facta in novo populo) ea ne si utilia quidem sint, fieri oportet? Ea quod.* Atque haec sint satis, quamvis plurima alia nullo negocio possim congerere. possim & in quibus generum facta est mutatio exempla afferre, quale est illud Terent. *Eunucho.* [*Act.* V. *sc.* IV. *vs.* 48.]

Ego abeo intro. tu isti narrato omnem rem ordine,
ut factum siet.

Sed quoniam haec & hujusmodi, similia potius sunt, quam eadem, propterea operae huic parcam.

CAPUT LXXXII.

Cur Cicero de Appio loquens conniventes illius oculos dixerit.

Quaesitum a me est, cur Cicero in oratione de Aruspicum responsis [*cap.* 18.] de Appio Caeco loquens dixerit contra Clodium. *Conniventis illos oculos abavi tui. Connivere* enim de videntibus, non caecis dicitur. respondi existimare me, ob hanc caussam conniventem ab Tullio Appium esse vocatum, quod traditum sit, non re vera Appium fuisse luminibus captum, sed caecitatem simulavisse, ejusque opinionis auctorem habere me Diodorum Siculum; cujus haec sunt verba *lib.* XX. [*cap.* 36.] ὁ δ' Ἄππιος τῆς ἀρχῆς ἀπολυθεὶς, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς συγκλήτου φθόνον εὐλαβηθεὶς, προσεποιήθη τυφλὸς εἶναι, καὶ κατὰ οἰκίαν ἔμενεν. porro haud in magno ponam discrimine, *conniventis* ne *oculos*, an *Appii conniventis* dicas.

CAPUT LXXXIII.

Annotatus Livii locus. Justi dies.

Sunt duo apud Livium libro ab U. C. primo loci in eadem caussa diversi: ut uter ex altero emendandus sit, an vero uterque sit integer, non satis statuam. prioris haec sunt verba [*cap.* 22.] *Tantisper Romani & res repetiverant priores, & neganti Albano bellum in trigesimum diem indixerunt.* at aliquot paginis post [*cap.* 32.] alterius exempli haec sunt verba: *Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus & triginta (tot enim sollemnes sunt) peractis, bellum ita indicit.* Etsi autem nonnulli ex posterioribus descriptis prope iisdem Livii verbis tradidere ipsi quoque XXXIII. dies bello indicendo legitimos fuisse, tamen eorum auctoritas non est apud me tanti, ut non libentius huc inclinem, utrobique *triginta* legendum esse. Impellitque me in hanc opinionem legitimum tempus alicujus rei capiendae ex edicto Praetoris possessionis; qui item triginta dies fuere. ut patet ex oratione pro Quinctio. [*cap.* 8.] Festus quoque Pompejus. *Justi* (inquit) *dies dicebantur triginta, cum exercitus esset imperatus, & vexillum in arce positum.* Lego etiam apud Agellium *lib.* XV. *cap.* 13. & item *lib.* XX. *cap.* I. itidem triginta dies statutos esse iis, quae aeris alieni confessi judicatique sint. Justosque ait appellatos, velut quoddam justitium, id est, juris inter eos interstitionem quamdam, & cessationem: quibus diebus nihil cum his agi jure possit. ut credam etiam totidem repetitis rebus, non autem plures, cum hostibus fuisse Justos dies. Verum haec opinio, non judicium esto.

CAPUT LXXXIV.

Creare Magistratus. Rogare. Senatusconsultum facere. Condemnare.

Quod potestas creandi magistratus penes populum fuit, iccirco dubitavit vir doctus amicus meus, quid esset, quod apud Livium cum alibi saepe, tum *lib.* VI. *circa principium* [*cap.* 1.] legitur his verbis: *Interregnum iniit P. Cornelius Scipio iterum: & post eum M. Furius Camillus iterum. is Tribunos militum Consulari potestate creat.* respondi ego, perinde esse, *Camillus creat*, ac, Camillo habente comitia populus creat. de qua re ne quis ambigat, apponam ejusdem Livii verba *eodem lib.* [*cap.* 5.] unde id esse verum constat. *Interreges* (inquit) *deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus. Hic demum Tribunorum militum Consulari potestate comitia habuit. L. Papirium, Gn. Sergium, L. Aemilium iterum, L. Licinium, M. Menenium, L. Valerium Poplicolam iterum creat.* Idem *lib.* X. [*cap.* 47.] *Comitia consularia L. Papirius habuit. creavit Consules Q. Fabium M.* (sic enim ex lapidibus Capitolinis legendum, non *Maximi*) *filium Gurgitem, & D. Junium Brutum Scaevam.* Atque quod in his locis citatis *Creare* est, apud eumdem quoque alicubi dicitur, *Rogare.* cujusmodi in praesentia occurrit exemplum ex *lib.* VIII. [*cap.* 13.] *Priusquam comitiis in insequentem annum Consules rogarent, Camillus de Latinis populis ad Senatum retulit.* pro, haberentur comitia rogandis & creandis Consulibus. & *lib.* III. [*cap.* 65.] *Qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum X. Tribunos plebis faceret.* Dicitur etiam

etiam eleganter ſimili figura, *facere ſenatusconſultum*, pro, aliquo habente vel referente & conſulente Senatum, ſenatusconſultum fieri. Coelius *lib.* VIII. *epiſtolarum* quae dicuntur *familiares*, ad Cic. [*Epiſt.* 8.] *Senatum haberent, ſenatusque conſultum facerent.* Cic. *Philipp.* II. [*cap.* 36.] *Reliquis diebus in Capitolio praeclara ſenatusconſulta feciſti.* Livius *lib.* V. [*cap.* 50.] *Omnium primum, ut erat diligentiſſimus religionum cultor, quae ad Deos immortales pertinebant, retulit, & ſenatusconſultum fecit.* quo in loco Sigonius vir doctiſſimus ſcribit, in vetuſtis libris legi, *Senatusconſultum fit.* Similis eſt & ille loquendi modus. *Damnare*, vel, *condemnare aliquem*, pro, contra reum ſententiam ſecundum ſe ab judicibus referre. Sueton. *in Tiberio.* [*cap.* 8.] *Reum majeſtatis apud judicem fecit, & condemnavit.* Aſconius *in Orationem pro Scauro.* [*pag.* 1013. *Ed. Graev.*] *Horum alterum Caeſar accuſavit, nec condemnavit, alterum M. Scaurus accuſavit & damnavit.* Quod autem initio dixi, magiſtratuum creandorum poteſtatem penes populum fuiſſe, ſummum imperium excipio, id eſt, Dictaturam. Dictator enim, qui ſtatim Magiſtrum equitum tamquam Collegam adoptans dicebat, non a populo, ſed ab Conſule dicebatur. Itaque legimus apud Livium *lib.* XXII. [*cap.* 8.] haec verba: *Et quia & Conſul aberat, a quo uno dici poſſe (Dictator) videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium, aut litteras mitti; nec Dictatorem populus creare poterat, quod numquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum, & Magiſtrum equitum M. Minucium Rufum.*

CAPUT LXXXV.

Livii Locus declaratus.

Livius *libro ab U. C. Quincto* [*cap.* 9.] ſic ſcribit: *Quod ad vos attinet, Tribuni plebis, minasque veſtras, nae ego libenter experirer, quam non plus in his juris, quam in vobis animi eſſet. ſed nefas eſt tendere adverſus auctoritatem Senatus.* Glareanus fatetur ingenue, non percipere ſe loci hujus ſenſum. quem ego eſſe hunc opinor. rectene an ſecus, docti aeſtimabunt. Niſi ego auctoritati Senatus omnino conceſſum velim, qui ante legitimum tempus comitia Tribunorum militum habenda eſſe cenſet, qui Tribuni primo quoque tempore magiſtratum ineant, obſtarem ego vobis: & ſuſciperem libenter contra vos, Tribuni plebis, certamen. nec paterer ante ſollemnem ineundis magiſtratibus diem cogi per vos Collegas meos, in quos nullum vobis eſt jus, honore abire. quem continuare ad Idus Decemb. ſollemnem juſtumque ineundo magiſtratui diem debent. Suſciperem (inquam) contra vos certamen, ut declararem, & minas veſtras iniquas, contraque jus eſſe: id enim ſignificant verba illa: *quam non plus in his juris.* proptereaque a me nihili fieri, nec animum vobis eſſe meliorem quam cauſſam. cauſſa & minae veſtrae, quas Collegis meis intentatis, ob id iniquae ſunt, quoniam Tribunis plebis in Tribunos militum nullum eſt jus, nullum imperium. Etſi autem terroribus minisque obſtrepitis, tamen ferocitas iſta verborum animo & viribus carerent, me contra annitente. Quod igitur dicit Livius, non plus in minis veſtris juris eſt, quam in vobis animi, valet perinde ac ſi di-

dicat: juris habetis nihil, animi tantundem, etiamsi ferocem facitis. Quamquam autem haec vera sunt, nullaque fuit Tribunis plebis in Tribunos militum potestas, tamen ut ante legimus *lib.* IV. [*cap.* 26.] id juris jam ante usurpaverant, cum coëgerunt T. Quinctium Cincinnatum & Cn. Julium Mentonem Consules senatui dicto audientes esse, additis minis, si adversus consensum amplissimi ordinis ultra tenderent, in vincula se duci jussuros. Arbitror omnes tenebras discussas esse, nec quidquam ad lucem hujus loci desiderari amplius posse.

CAPUT LXXXVI.

Alter Livii locus declaratus.

Livius *lib.* I. [*cap.* 28.] sic scribit: *Et aream ad aedem in Capitolio Jovis, quam voverat bello Sabino, jam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci occupat fundamentis.* In quae verba Glareanus sic: *Vide, ut haec verba conveniant cum his, quae postea de Superbo est dicturus. Itaque Pometinae manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere.* Ego nec lapsum memoria Livium, nec tradi contraria censeo. Sed anceps usus hujus vocabuli, *Fundamentum*, in fraudem traxit Glareanum. Etenim non tantum pro initiis aedificiorum primis, & tamquam basi *Fundamentum* ponitur, ut est accipiendum in Livii verbis, quae posterius sunt allata, sed etiam pro scrobe jaciendis fundamentis excavato, & substructionibus (sic enim etiam a Vitruvio *lib.* V. *cap.* 3. tales scrobes *substructiones* appellantur) ut priore loco Livius accepit. Qua in signifi-

gnificatione, exempla sunt apud eumdem, quem dixi Vitruvium gravissimum scriptorem, & in proprietate verborum servanda religiosissimum. ille igitur *lib.* I. *cap.* V. inquit: *Fundamenta sic sunt facienda, uti fodiantur (si queat inveniri) ad solidum. & in solido (quantum ex amplitudine operis pro ratione videatur) crassitudine ampliore, quam parietum, qui supra terram sunt futuri, ea impleantur quam solidissima structura.* Idem *lib.* V. *cap. ult. Inter septiones fundamenta fodiantur.* Ipse quoque Livius paullo supra ea verba, quae attulimus. [*cap.* 55.] *Caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse.* Porro Cornelius Tacitus *lib.* XIX. [*Histor. lib.* III. *cap.* 72.] eamdem Capitolii fundamentorum historiam tradit.

CAPUT LXXXVII.

Praetor. Praetor maximus. Praetorium.

Praetoris nomine olim non solum Consules intelligebantur, ut est apud Livium *lib.* III. [*cap.* 55.] post eversam Decemvirorum dominationem, & apud Cic. *III. de Legibus* [*cap.* 3.] his verbis: *Regio imperio duo sunto. iique praeëundo, judicando, consulendo Praetores, Judices, Consules appellanto.* Sed etiam cuicumque paret exercitus, eodem nomine censebatur. Idque satis testantur vocabula haec, *Cohors praetoria*, *Porta praetoria*, *Navis praetoria*, *Praetorium.* Sic *Praetor maximus* summum maximumque magistratum significat. Livius *lib.* VII. [*cap.* 3.] *Ea religione adductus Senatus Dictatorem clavi figendi caussa dici jussit. Dictus L. Manlius Imperiosus L. Pinarium Magistrum equitum dixit. Lex vetusta est priscis litteris verbisque scri-*

ſcripta, ut qui Praetor maximus ſit, Idibus Septembribus clavum pangat. & paullo poſt ibidem. *a Conſulibus poſtea ad Dictatores, quia majus imperium erat, ſollemne clavi figendi translatum eſt.* Rodulphus autem Agricola, neſciens Conſulem ab antiquis etiam Praetorem dictum, inſigniter lapſus eſt *lib.* I. ſuo de Inventione. ubi de Nomine id eſt ἐτυμολογίας. loquitur: ubi etiam Ciceronem extra aleam ingeniorum collocatum ita immerito vexat, ut ipſe in re apertiſſima & clariſſima allucinatur. verba Agricolae quae ad Praetoris appellationem attinent, haec ſunt: *Ad haec, ut quaedam interpretationes conveniant, ut toga a tegendo, & dux quia ducat, & quia regat Rex: ita pleraque aut in aliquo non conveniunt, aut diſcrepant omnino. Praetorium a Praetore dici manifeſtum eſt. tamen & in caſtris, ubi Conſul tendebat, & in civitatibus item, ubi jus reddebat, dicebatur Praetorium.* praetereo, quam bene *Praetorium* exponat, cum dicit, *ubi Conſul in civitatibus jus reddebat.* quo quid dici poteſt inſcitius? quaſi vero exercerent judicia Conſules (excipio prima Reipub. tempora, usque ad creatum Praetorem, qui ob id creatus fuit, ut in urbe jus diceret, quod hactenus fuit Conſulum munus. ut eſt apud Livium *initio lib.* VII. [*cap.* I.]) Ut *tabernaculum* Tribunorum, *Papilio* militum, Vegetio auctore [*lib.* III. *cap.* 8.] & *Praetorium* Latine loquentibus non eſt baſilica, non forum, ubi jus reddebatur, & judicia exercebantur. ſed tentorium ejus, cui exercitus paret, ut tabernaculum Tribunorum fuit, & Papilio militum Vegetio. Itaque non fuit tabernaculum id eſt Praetorium in urbe, quoniam exercitus eſſe in urbe non poterat. & ei, cui parebat exercitus, id eſt, qui cum imperio erat, eſſe in urbe non licebat: ingreſſoque urbem ſtatim imperium

rium finiebatur. Idque adeo verum est, ut comitia centuriata, quae instar exercitus erant, & urbanus exercitus dicebatur, extra urbem, id est, in campo Martio haberentur. Libet addere Festi verba: *Praetoria* (inquit) *porta in castris appellabatur. qua exercitus in praelium educitur. quia initio Praetores erant, qui nunc Consules, & ii bella administrabant. quorum tabernaculum quoque dicebatur Praetorium.*

CAPUT LXXXVIII.

Livii locus expositus.

Insignis annus (Livii verba sunt *lib.* v. [*cap.* 13.]) *hieme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viae clausae, Tiberis innavigabilis fuerit.* & paullo post. *Tristem hiemem sive ex intemperie coeli, raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de caussa gravis pestilensque omnibus animalibus aestas excipit*, & paullo post. [*cap.* 14.] *Priore anno intolerandam hiemem prodigiisque Divinis similem coörtam, proximo non prodigia modo, sed jam eventus, pestilentiam agris urbique illatam haud dubia ira Deûm.* Glareanus uno eodemque anno contigisse haec hiemis & aestatis mala videtur existimasse, quae Livius duorum annorum fuisse aperte scribit. Sed fallitur Glareanus. Quippe Idus Decembres (ut paullo ante dixit Livius) tunc, cum haec mala & prodigia contigerunt, ineundo magistratui Tribunis militum sollemnes fuerunt. Porro a principio hiemis, quae incipit M. Varroni *lib. de Re rustica* I. *cap.* 28. ex A. D. III. Idus Novembris (nam aliorum scita libens ac sciens hic praetereo) ad Idus Decembres intercedunt XXXIII. dies, qui spectant ad annum priorem P. Licinii,

P. Man-

P. Manlii, & Collegarum. Quorum in extrema parte anni, id est per eos XXXIII. dies, quos diximus, Livius hiemem gelidam ac nivosam fuisse tradit. qui XXXIII. dies ut fuerint hiemis principium, erat tamen finis anni eorum, quos dixi, Tribunorum militum, P. Licinii, P. Manlii, & Collegarum. Proxima aestas sequentis anni est, spectatque ad annum M. Veturii, L. Titinii, & Collegarum. Sic duo anni insignes fuere. prior hieme gelida & nivosa, Tribunis militum P. Licinio, P. Manlio, & Collegis. proximus gravi pestilentique omnibus animalibus aestate, M. Veturio, L. Titinio, & Collegis Tribunis militum. Non negem quidem reliquam hiemis partem, id est, principium anni M. Veturii, L. Titinii, & Collegarum fuisse etiam ipsam gelidam & nivosam. Sed astuto Patres duorum annorum incommoditatem queruntur, ut graviorem invidiam ex diuturnitate malorum moveant iis, per quos honoribus vulgatis, communicatisque cum plebe, auspiciisque, & discriminibus gentium sublatis, Deorum ira esset irritata.

CAPUT LXXXIX.

Asconium Paedianum vel non natum, vel saltem infantem fuisse, cum obiit Virgilius.

Tradunt nonnulli (*a*), interrogatum aliquando ab Asconio Paediano Virgilium poëtam, quidnam

(*a*) In his est Servius, qui se ex ipso Asconio hæc proferre ostendit, *ad cit. Virg. versus*, ubi ita scribit. *Asconius Paedianus dicit, se Virgilium dicentem audisse, in hoc loco se Grammaticis crucem fixisse, volens experiri quis eorum studiosior inveniretur &c.*

nam ſignificare voluiſſet eo aenigmate in Bucolicis: [*Eclog*. 3. *vſ*. 104.]

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)
Tris pateat coeli ſpacium non amplius ulnas.

reſpondiſſe, in eo verſu ſe crucem fixiſſe Grammaticis, in qua ſe torquerent. Sed dubitari jure poteſt, an Virgilium viderit, aut ejus aetate vixerit Aſconius. idque ex verbis ipſius Aſconii, quae ſunt *in Comment. ad Orat. pro Scauro.* [*pag.*1013. *Ed. Graevii.*] *Poſſidet* (inquit) *eam nunc Longus Caecina, qui Conſul fuit cum Claudio.* Hic autem annus conſulatus Longi Caecinae fuit primus Imperii Claudii. & Aſconius aliquot annis poſt, ut verba Aſconii ſignificant, commentarios illos ſcripſit. Virgilius autem obiit, Euſebio auctore, anno XXV. Imperii Auguſti, Cn. Sentio Saturnino, Sp. Lucretio Cinna Coſſ. ut inter mortem Virgilii, & primum annum Imperii Claudii, cui in conſulatu collega fuit Longus Caecina, interfuerint anni LXII. Et (ut dixi) aliquot annis poſt conſulatum Longi Caecinae commentarios illos ſcripſit Aſconius. Atque adeo fortaſſe poſt exceſſum Claudii. Nam ſi eo vivente ſcripſiſſet, cum aliquo procul-dubio honore verborum Imperatorem Claudium appellaſſet. Ut omnino non potuerit Aſconius cum Virgilio (niſi forte ex cunis, quod ridiculum eſt) tam familiarem ac ſerium ſermonem habere.

CAPUT XC.

Virgilii locus expositus aliter, quam sit a Plinio intellectus.

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites corylum sere: neve flagella
Summa pete, aut summas defringe ex arbore plantas.

Plinius *lib.* XVII. *cap.* 14. existimavit versu postremo Virgilii ex *II. Georgic.* [*vs.* 300.] tradi commune praeceptum de surculis ad inserendum ex qualibet arbore petendis. suntque haec Plinii verba: *Virgilius ex cacuminibus inseri vetat.* Verum poëta non de qualibet arbore, sed de vite tantum ibi sentit. tribus enim illis versibus, quos apposuimus, de vitibus plantandis, & de flagellis loquitur, quae ex cacumine & summa parte ad plantandum peti prohibet. Cujus praecepti ratio haec est, quod ultra septimam gemmam semina petita haud feracia sint. quemadmodum etiam testatur Constantinus, sive quisquis fuit auctor libri illius, *lib.* IV. [*Geoponicorum*] Περὶ ἐγκεντρισμοῦ ἀμπέλων. [*cap.* 12.] Ἀπὸ δὲ (inquit) ἑνὸς κλήματος ὑπὲρ δύο ἐπίπηγας τέμνειν εἰς ἐγκεντρισμὸν οὐ προσήκει. τὸ γὰρ μετὰ τοὺς πρώτους ἑπτὰ ὀφθαλμοὺς ἄγονον, καὶ ἀχρεῖον. Porro Virgilii versu illo

— — *Neve flagella*
Summa pete: aut summas defringe ex arbore plantas.

aut τὸ αὐτό ἐστι, aut *flagella* ad plantandum, *plantas* vero ad inserendum referemus. Nam (ut alibi quoque monuimus) *planta* pro surculo ad inserendum accipitur. ut apud poëtam. [*Georg. lib.* II. *vs.* 79.]

Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces
Plantae immittuntur. — —

Poteſt & alius eſſe ſenſus Virgiliani verſus, ſi (quemadmodum nonnulli libri veteres habent) *ſumma*, legas. ut ſit, *ex ſumma arbore.* Sane Theophraſtus *lib.* v. φυτῶν αἰτίων. & Columella longa diſputatione *lib.* III. [*cap.* 10.] prohibet, malleolos & ſurculos de ſumma arboris parte peti: mediam, quam *numeroſam* idem Columella appellat, potiſſimum probans, partem hanc maxime genitalem judicans.

CAPUT XCI.

Luſtrum quadriennii modo, modo quinquennii ſpacium ſignificat.

Etſi docti noſtra tempeſtate viri de Luſtro longius tractaverunt, tamen viſum eſt nobis quoque breviter oſtendere, *Luſtrum* apud probatos auctores pro ſpacio modo quatuor, modo quinque annorum poni. Ovidius *III. Faſtorum* [*vſ.* 163. *ſeqq.*] pro quadriennio utitur.

Jam decies ſenos tercentum, & quinque diebus
Junxit, & e pleno tempora quarta die.
Hic anni modus eſt, in Luſtrum accedere debet
Quae conſumatur partibus una dies.

Ecce *Luſtrum* pro annis quatuor. etenim quarto quoque anno ex quatuor diei quadrantibus dies intercalabatur. Idem tamen poëta *II. Amorum* [*Eleg.* 12. *vſ.* 9.] pro integro quinquennio poſuit.

Pergama cum caderent bello ſuperata biluſtri.

nam de decennali obſidione Trojae ambigit nemo. quod diſerte Plautus Bacchidibus [*Act.* IV. *ſc.* IX. *vſ.* 2. *ſeqq.*] ſignavit his verſibus:

Quom Priami patriam Pergamum, Divina moenitum manu,
Cum mille numero navium, decumo anno poſt ſubegerunt.

Apud

Apud Livium quoque *lib.* IX. [*cap.* 33.] Lustrum est quinquennium. *Qui quinquennalem ante Censuram, & longinquitate potestatem dominantem, intra sex mensium & anni coëgisset spacium.* & non multo post. [*cap.* 34.] *Triennium & sex menses ultra quam licet Aemilia lege, Censuram geram.* dixerat autem supra [*cap.* 33.] *Appius Claudius Censor circumactis decem & octo mensibus, quod Aemilia lege finitum Censurae spacium temporis erat.* Quinquennalis igitur Censura docet etiam Lustrum fuisse quinquennale spacium. Nam peracto censu Lustrum condebatur.

CAPUT XCII.

Verres gentile nomen, non cognomen. Agnomen.

Probatur mihi omnino sententia doctorum virorum tradentium, Gentilia Romanorum nomina in *ius* terminare. qualia sunt *Porcius*, *Aemilius*, *Junius*, *Julius*, *Vipsanius*, & cetera gentium nomina. Dubitant illi in C. Norbano, & M. Perperna, *Norbanus* & *Perperna* fuerintne gentilia nomina, an potius cognomina: sed quorum gentis nomen nobis sit ignotum. De Verre tamen, quem quidam infirma conjectura ex Corneliorum gente fuisse autumant, dubitari non debet, quin Verres gentile & proprium nomen sit. Diserte enim id Cicero *IV. in Verrem* [*cap.* 25.] affirmat his verbis: *Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim. Verumtamen, quantum intersit, videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, quin non modo in Sicilia, verum etiam Romae in judicio audiret. ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde Praetori*

annulus fieret. *Nimirum ut hic nomen suum comprobavit, sic ille cognomen.* Vide, quam aperte & diserte Cicero scribit, *Verres* nomen esse, *Frugi* vero cognomen. Quod si e Corneliorum gente Verres fuisset, taciturusne id fuerat in tam longis actionibus Cicero? uberem inde ad vituperandum Verrem materiam habiturus? quod ab tam nobili & illustri gente, qualis Cornelia gens fuit, obrutus tantis scelerum facinoribus Verres esset procreatus? Atque hic locus postulare videtur, ut quid de voce *Agnomen* censeam, proferam. quae rejicitur a nonnullis ad scholas Grammaticorum tantum & Jurisperitorum. Sed quamquam apud Ciceronem *II. de Inventione* [*cap.* 9.] vox haec, *Agnomen*, addita & supervacanea videri jure potest, aliquot de caussis, quae locum attentius perpendenti facile cuilibet succurrent, tamen ob id ex Albo Latinorum verborum expungi non debuit. Quippe Ovidius ea est usus *III. de Ponto ad Cottam*, [*El.* 2. *vs.* 107.]

Adjectique probant genitiva agnomina Cottae.

CAPUT. XCIII.

Livii locus emendatus.

In Livii *libro* v. [*cap.* 39.] ubi de Gallorum accessu ad urbem agit, post insignem acceptam ad Aliam cladem, locus corruptus est: qui tamen parvo negocio restitui potest. *Exploratoribus missis circa moenia, aliasque portas, quaenam hostibus in perdita re consilia essent.* Ego lego: *Circa moenia, aliasque partes.* vel *circa moenia atque portas.* vel *circa moenia, aliasque urbis partes.*

CAPUT XCIV.

Scyphus Herculis.

Herculis ſcypho hauſto periiſſe Alexandrum tradunt Plutarchus [*in Alexand. pag.* 706. C.] Diodorus Siculus [*lib.* XVII. *pag.* 252. *Ed. Weſſel.*] & Q. Curtius [*lib.* X. *cap.* 4. §. 18.] qui ſit autem Herculis ſcyphus quaeritur. Ego exiſtimo propinationem fuiſſe, in celebri ſolemnique apud Reges antiquos epulo, cum Reges ipſi poculum libantes, nominabant, cui honoris cauſſa eſſent tradituri. tradituri (inquam) non ſolum quod reliquum eſſet vini, ſed phialam ipſam auream aut argenteam (in his enim propinabant) eidem, cui propinaviſſent, donabant. Quod docet Suidas in vocibus σκύφοι, προπίνειν, & φιλοτησία. quae paullo poſt ſubjiciemus. Quotum autem hoc eſſet poculum, id eſt tertio, an ſexto, an alio epoto poculo propinaretur, curque potiſſimum Herculis diceretur, amplius dico. neque enim cauſſa adhuc ſatis mihi liquet. Neque enim nobis ſatis ſuam ſententiam probant illi, qui tertium hoc poculum fuiſſe ſcribunt, quod Heroibus nuncuparetur. Quippe convivium illud Alexandri adeo intemperantiae fuit plenum (quemadmodum legere eſt apud Arrianum, & alios) ut ultra tertium poculum ſit potatum. In eo enim convivio diei noctem (verba haec ſunt Juſtini [*lib.* XII. *cap.* 13.]) conjunxit pervigilem. traditque Plutarchus, poſtera nocti die potando adjuncta, uno ſpiritu hauſto Herculis, προπιόντος τε Scypho Alexandrum dolore ſtatim eſſe correptum. quod etiam teſtatur Diod. [*loc. cit.*] his verbis: *Invitavit eum Medius quidam Theſſalus, unus ex amicis, apud ſe ut*

coenaret. ubi cum multo ſe vino oneraviſſet, & poſtremo magnum Herculis repletum poculum exhauſiſſet, repente velut validiſſimo ictu percuſſus eſſet, graviter ſuſpirans edidit clamorem ingentem. Athenaeus *lib.* x. *cap.* 9. In convivio hoc apud Medium affuiſſe convivas viginti. omneſque Alexander provocavit, ab univerſis pariter accipiens. Si ergo viginti convivas ipſe provocavit, ſi ipſe ab eiſdem pariter provocatus accepit, ſi diem nocti poſteram potando conjunxit, ſi multo mero ingurgitatus jam & ſaburratus, ut ſic dicam, Herculis hauſit Scyphum, quo epoto & ipſe doluit, & convivium eſt ſolutum, ſatis ſigni eſt, tertium id non fuiſſe poculum. Sed Suidae verba audiantur. Σκύφος. ποτήριον. καὶ σκύφον ἡρακλέους προπιόντος τε ἀπνευςὶ πιὼν ἔσχε κακῶς. προπιόντος τε, ἀντὶ προτιμῶντος. Sumpſit autem ab Plutarcho Suidas verba haec *ex Alexandri vita.* Idem Suidas. Προπίνειν. οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς ἐπιτελοῦντες ἑορτὴν πάνδημον, ἐν φιάλαις χρυσαῖς ἢ ἀργυραῖς κιρνῶντες ἐδέχοντο μὲν παρὰ τοῦ οἰνοχόου αὐτοὶ, ἀπέπινον δὲ μικρὸν τῆς κύλικος, ὡς συμβόλου ὄντος τούτου φιλίας πολλῆς. καὶ τότε παρείχοντο ᾧ ἂν ἐβούλοντο καὶ τὴν κύλικα. καὶ ἐκαλεῖτο προπίνειν· ἡ δὲ ἡμέρα φιλοτησία. Idem. Φιλοτησία. ἡ φιάλη, ἡ διδομένη ἐν τοῖς πότοις. ἐν γὰρ τοῖς συμποσίοις φιλοφρονούμενοι ἀλλήλους, ἐπεδίδοσαν οἴνου κύλικα, ἣν φιλοτησίαν ἐκάλουν. ὡς Ὑπερίδης φησὶ, καὶ Ἄλεξις, καὶ Ὅμηρος. δειδέχατ' ἀλλήλους. καὶ αὖθις. ἐγχείτω τίς τούτῳ φιλοτησίαν. καὶ φιλοτησίαν προπίνειν ἐςὶν, ἡνίκα τὶς ἐν ἀρίςῳ ἀπὸ τῆς δοθείσης αὐτῷ φιάλης πίων μέρος, τὸ λοιπὸν παράσχῃ φίλῳ, καὶ τὴν φιάλην χαρισάμενος. Pindari quoque interpres (*a*) ait προπίνειν proprie eſſe. ἅμα τῷ πώματι καὶ τὴν φιάλην χαρίζεσθαι. Athenaeus libro ante

(*a*) Reſpicit Scholiaſten Pindari ad Olympion. *Od.* VII. *in princ.* cujus haec ſunt verba. προπίνειν ἐςὶ κυρίως, τὸ ἅμα τῷ κράματι τὸ ἀγγεῖον χαρίσασθαι.

te citato scribit Scyphum hunc bicongium fuisse. quo iterum hausto, & poculum ex manibus ipsius Alexandri excidisse statim, & ipsum in pulvinar decubuisse, & postea periisse, Dionysio ei id nunciante. quoniam ejus patriam Thebas excidisset. Itaque posset aliquis fortasse non male Scyphum Herculis interpretari, magnum & capacissimum praesertim, quod idem Athenaeus *cap.* 6. *lib.* XI. tradit Herculem majoribus poculis delectatum, adeo ut poculo, quod prius Solis fuisse dicitur, scribat Pisander *lib.* II. Heracleae, Herculem Oceanum navigasse: quam rem & Pherecydes scripsit. & in proverbium prope abiit, ut immensa & enormia quaeque Herculea sive Herculana dicerentur. An etiam, quod veteres interdum epulo facto Herculi decimam bonorum donabant, hoc Herculis & Honorantis poculum, decimum dicemus fuisse?

CAPUT XCV.

Varronis locus emendatus & declaratus. Strix. Stria. Stiria. Porca. Lira. Sulcus.

P*orca* & *Lira* in re rustica eamdem rem significant. Columella *lib.* II. *cap.* 4. *Liras rustici vocant easdem & porcas.* Idem tradit & *lib.* XI. *cap.* 3. de Ulpico loquens. Varro quoque *libro de re Rustica* I. *cap.* 29. *Qua aratrum vomere lacunam striam facit, Sulcus vocatur. quod est inter duos sulcos terra elata, dicitur porca, quod ea seges frumentum porriciat. sic quoque exta Deis eum dabant, porricere dicebant.* Advertendum autem est, an in his Varronis verbis mendum sit, quod valde suspicor. ego pro *Striam*, *Strigem* reponendum existimo. differunt autem inter se hae duae vicinae scriptura &

ſitu voces, *Strix* & *Stria*. *Strix* eſt enim cavum ſive canaliculus, ſive ſemifiſtula (ut ſi enodem arundinem a ſummo ad imum findas) ſive lacuna & tamquam excavatus ſulcus: ut videmus in columnis, quae *Striatae* dicuntur. Vitruvius *lib*. x. *cap*. xv. *Canaliculi, qui Graece* ϛϱὶξ *dicitur, longitudo foraminum XIX.* *Stria* vero pars eſt eminula & protuberans inter duas ſtriges. ut qui in re ruſtica *ſulcus* proprie vocatur, in columnis *ſtrix* ſit. & ut ſtrix ad ſulcum ſive lacunam, ſic ſtria ad liram ſeu porcam proportionem habet. quod ſi apud Varronem *lacunam ſtriam* legas, ut hactenus lectum eſt, contraria inter ſe duo committentur: quaſi humile altum dicas. Quamquam (ut quod ſuſpicor libere enunciem) vocem illam, *lacunam*, in verbis Varronis ſupervacuam puto. ſuſpicor enim eam tamquam declarationem verbi illius, *ſtrigem*, ab aliquo docto homine in libri margine ſcriptam fuiſſe; quae poſtea ab imperito librario in verſum ſit traducta. profecto aut ſupervacanea eſt, aut τὸ ἀυτὸ eſt. Sed quod diximus de ſtrige & ſtria, uno exemplo Vitruvii confirmandum eſt, ex *lib*. III. *cap*. 3. *Columnarum ſtriges faciendae ſunt XXIV. ita excavatae, ut norma in cavo ſtrigis cum fuerit conjecta, circumacta ita anconibus ſtriarum dextra ac ſiniſtra angulos tangat.* *Strigae* praeterea, Feſto auctore, ſunt ordines rerum inter ſe conjuncte collocatatarum, a ſtringendo dictae. in quo ſenſu accipi puto a Columella *lib*. 11. *cap*. 19. ubi de foeno loquitur. *Siccatum coarctabimus in ſtrigam, atque ita manipulos vinciemus.* Scriptoribus de Limitibus & menſuris Frontino, Hygeno, & Ageno *Striga* aliud quoque eſt, quod hic nihil facit. *Stiria*, quae eſt apud Virg. *III. Georg.* [*vſ.* 366.]

Stiriaque impexis induruit horrida barbis.

ni-

nihil huc confert. nisi forte a *Stiria*, *Striam* per contractionem vocis factam quis censeat. Jam *Striges* infaustas noxiasque aves tradi omnes sciunt.

CAPUT XCVI.

Vicus Tuscus. Varronis locus emendatus.

Vicus Tuscus regio Romae fuit, a Tuscis quidem nomen sortita. Sed de tempore dissentiunt inter se auctores, quorum verba referam. Livius *lib.* II. [*cap.* 14.] de bello, quod Aruns filius Porsenae contra Aricinos infeliciter gessit, loquens: *Ita in medio prope jam victores caesi Etrusci. pars perexigua, duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes & fortuna & specie supplicum delati sunt. Ibi benigne excepti, divisique in hospitia. Curatis vulneribus alii profecti domos nuntii hospitalium beneficiorum. multos Romae hospitum urbisque caritas tenuit. his locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum Vicum appellaverunt.* Dionysii Halicarnass. verba non apponam, quoniam cum Livio faciunt. Propertius *lib.* IV. *Elegia* II. [*vs.* 49. *seqq.*]

At tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis,
Unde hodie Vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

Varro *lib. de Lingua Lat.* I. [*pag.* 14. *Ed. Stephan.*] cum Propertio facit inquiens. *Coelius mons a Coelio Vibenno Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Tatium Regem (sic enim legendum est, non Latinum Regem, ut nunc passim legitur* (a) *) Hinc post Coelii obitum, quod nimis munita*

(a) Stephani Editio rectius habet: *Sabinum Regem.*

ta loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. ab eis dictus Vicus Tuscus, ubi est templum Vertumni. Festus Pompejus. *Tuscus Vicus Romae est dictus, quod ibi habitaverunt Tusci, qui recedente ab obsidione Porsena remanserunt.* Fabius Pictor *lib.* II. (a) *Coeliolus: & ab eo tota arcus area, septem collibus sublatens, Tuscis data. & sacrificio Jovi Vertumno facto, egestisque paludibus habitabilis reddita, ac Vicus Tuscus dictus.* Servius in eum Virg. versum *lib.* v. [*vs.* 560.]

Tres equitum numero turmae, ter dena vagantur.

Unde (a Tuscis) quidam venit cum exercitu: cui recepto jam Tatio pars urbis est data: a quo in urbe Tuscus dictus est Vicus. Cornelius Tacitus *lib.* IV. [*Annal. cap.* 65.] *Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse. quod satis silvae frequens fecundusque erat: mox Coelium appellatum a Coele Vibenna, qui dux gentis Etruscae cum auxilium appellatum ductavisset, sedem eam acceperit a Tarquinio Prisco, seu quis alius Regum fuit. nam scriptores in eo dissentiunt. cetera non ambigua sunt, magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse, unde Tuscum Vicum e vocabulo advenarum dictum.*

CAPUT XCVII.

Virgilii ac Plinii Locus declaratus.

Ubi de insitione Virgilius loquitur *lib.* II. *Georg.* [*vs.* 73. *seqq.*] nondum, quod sciam, recte totus ille locus est explicatus. Poëtae versus hi sunt:

Nec

(a) Habetur ille inter scriptores ab Annio Viterbiensi confictos. vid. supra ad *cap.* XIX. *pag.* 114.

Nec modus inſerere, aut oculos imponere, ſimplex.
Nam qua ſe medio trudunt e cortice gemmae,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces.
Plantae immittuntur. —— ——

Ergo ut lucem accipiant verſus Virgiliani, principio eſt ſciendum, duo eſſe inſerendarum arborum genera: Inſitionem (nam nomen generis ad ſpeciem transfertur) & Inoculationem. Inſitio pluribus modis fit: veluti cum calami in fiſſum immittuntur truncum; aut inter corticem & lignum includuntur; aut per terebram, ſive illa Gallica, ſive popularis ſit. idque fit, cum perforatur truncus terebra, & in foramen diligenter ramentis aut ſcrobe purgatum ſurculos inſerimus, & circumlinimus cera vel luto; aut cum duo inter ſe coagmentantur & colligantur rami diverſarum arborum media ablata utriusque rami parte, qua coagmentandi ſunt; aut cum ſemen ipſum in cortice includitur, vel inter corticem & lignum inſeritur; aut ſi quis eſt alius hujus generis modus. Inoculatio item & ipſa non ſimplex eſt. id eſt non uniusmodi, neque unius generis eſt: id enim ſignificat apud Virgilium hoc in loco illud verbum, *ſimplex*. non autem *facilis*: ut putant quidam in ſuis commentariis in Horatium. Et Servius ipſe in interpretatione loci hujus toto errat coelo. Non igitur Inoculatio uniusmodi eſt. Etenim duplici modo fit. Inoculatione ſcilicet & Emplaſtro. quamquam hic non me latet, tradi a Columella [*lib.* v. *cap.* xi. §. 1.], Inoculationem a nonnullis Emplaſtrationem etiam nominari. Verum de ratione Inoculandi & Empla-

plaſtrandi, ne librum alienis verbis oneremus, petes a Theophraſto, [*de Cauſis Plantar. lib.* I. *cap.* 6. & 7.], Plinio [*lib.* XVII. *cap.* 14.], Columella [*loc. cit.*] & aliis, quae voles. Quod autem ad Virgilii verba intelligenda pertinet, hoc eſt. Cum inſerendi ratio duplex ſit, Inſitio & inoculatio: ipſe inſerendi & item inoculandi modus non unus eſt. Sed plurifariam inſeritur & plurifariam inoculatur. idque ſignificat Virgilius cum ait:

Nec modus inſerere, atque oculos imponere, ſimplex.

Et poëta quidem non exiſtimavit ſibi omnes utriusque Inſitionis & Inoculationis formas perſequendas. Sed Inſitionis unam tantum rationem tradit: cum ſcilicet in fiſſum truncum ſurculi immittuntur: quam rem exponunt extrema ea carmina.

Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantae immittuntur.

Inoculationis item unam rationem exponit. cum ſcilicet aperimus in arbore, in quam inſerere volumus, oculum exciſo cortice ademptoque fiſtula ſutoriae ſimili (ſunt haec verba Plinii ex *lib.* XVII. *cap.* 14.) illucque, id eſt in oculum apertum, gemma (Plinius *ſemen* dicit, ſed idem intelligit) eadem fiſtula, ſublata ex feraci arbore, de qua inſerere volumus, includitur. totaque haec res illis primis verſibus intelligitur.

Nam qua ſe medio trudunt e palmite gemmae,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huic aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.

Quod autem dicit.

—— —— *anguſtus in ipſo*
Fit nodo ſinus. —— ——

Plinius ibidem verbis Virgilii obſcuris obſcuriorem

mul-

multo affert interpretationem. ait enim: *Virgiliana* (*inoculatio*) *quaerit ſinum in nodo gemmae expulſi corticis, gemmamque ex alia arbore includit.* Quorum Plinii verborum cum ſententiam aperuerimus, etiam Virgilii verſus erit explicatus. eſt autem haec: oculus ille, & lacuna, quem *ſinum* Virgilius vocat, factus exempto cortice, oculus (inquam) qui in trunco inſerendae arboris fiſtula illa, quam diximus, aut alio ferramento aperitur, in qualibet trunci parte aperiri poteſt, etiamſi in loco, ubi gemma non ſit, id fiat. At Virgiliana inoculandi ratio vult, omnino ut gemma excludatur: & *anguſtus ſinus*, id eſt, parvus oculus ſive cavitas & lacuna oculi inſtar fiat in nodo, a quo nodo gemma germinat: & in excluſae gemmae locum alia ex arbore, de qua voles inſerere, gemma implaſtretur & includatur. Poſſis etiam in verſu Virgilii *ſinum* exponere, *laxitatem*. ſcilicet cum non demitur cortex ex inſerenda arbore: ſed in cortice inſerendae arboris mucrone acuti cultelli inciſura, & quaſi rectum fit vulnus, ac linea. diductoque & aperto conſiderate utroque labro vulneris, id eſt, laxato utrinque cortice, in apertum ſinum germen, id eſt, gemmam de feraci arbore acceptam includimus. Atque hac ratione nunc inſeri video Medicas malos. Hanc ego puto eſſe ſententiam utriusque Virgilii & Plinii: ſecuturus tamen libenter, ſi quis meliorem attulerit. Palladius non infeliciter Virgilii verſus eſt aemulatus. [*lib.* xiv. *de R.R. vſ.* 43.]

Aut virides oculos extremi gemma liquoris
Accipit, & lento ſtringitur uda ſinu.

Quam porro hodie rationem inoculationis ſive Emplaſtri frequentant longe omnium elegantiſſimam, maximeque facilem, quaeque raro fallit, cum lignum

gnum remittit corticem menſe Junio & Quinctili (deſiderat enim haec inſitio aeſtivos calores) haud ſcio ſatis, an fuerit antiquis cognita. fit autem hoc modo. Luxatur leviter & demitur cum ſuis gemmis ex novello ramuſculo cortex integer longitudine duorum aut trium, ſaepe etiam plurium, digitorum, velut fiſtula & vagina: induiturque in delibratum paris craſſitudinis novellum ramum arboris, in quam inſerere velis, ſenſim & conſiderate; ne ſcilicet fiſtula, dum induitur, ulla ex parte rimam faciat, & rumpatur; aut replicata rugas contrahat. Si ramus minor erit, quam fiſtula, tunicae, quam induis, laxitas coire, & coagmentari, ac coaleſcere non patietur. Si amplior, tunica rumpetur induendo. Itali hunc Inoculationis modum *ad Corniculum*, ſive *ad Sibiolum* vocamus. (Galli enim Ciſalpini Caenomani maxime fiſtulam *Sibiolum* dicunt.) Porro Inoculationi nomen inditum eſt ab oculo, id eſt, ab lacuna illa & ſinu, quem in trunco inſerendae arboris aperimus eo modo, quem diximus. Vel etiam ab oculo, qui eſt in ramis praegnans, turgens, erumpensque ex tunica corticis germinatio. Cavitas porro, unde gemma emergit, a Plinio in arundinibus inguen eleganti trallatione appellatur. *Oculus* autem, *germen*, *ſemen*, *gemma*, *mamma*, ſaepe ſynonyma ſunt ſcriptoribus rei ruſticae: ſicut *ſurculus*, *planta*, *calamus*, *&* *ſemen*. Cujus rei exempla petes ex Catone, Varrone, Virgilio, Columella, & Plinio, Addam hoc parergon. nonnullos in Theodorum Gazam nimis eſſe iniquos judices, damnantes eum indicta cauſſa: quod Theophraſti librum vertens περὶ τῶν φυτῶν, *de Plantis* dixerit, & non *de Stirpibus*. quaſi vero non & antiqui ſic ſint locuti. Juvenalis. [*Sat.* III. *vſ.* 227.]

In

In tenues plantas facili diffunditur haustu.

Virg. IV. *Georg.* [*vs.* 114.]

—— —— ipse feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.

CAPUT XCVIII.

De potestate consonantium duarum pluriumve vocalem brevem sequentium.

Muta praecedens, & liquida subsequens etsi saepe intendunt vocalem praecedentem brevem, ut in hoc versu Virgilii. [*Georg.* III. *vs.* 345.]

Armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram.

tamen non eaedem prohibent, quin eadem brevis vocalis naturam suam possit servare. ut in hoc altero ejusdem poëtae versu. [*Aenëid.* IV. *vs.* 138.]

Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum.

Sic & apud Horat. *II. Carminum.* [*Od.* IV. *vs.* 6.]

Forma captivae dominum Tecmessae.

Ubi minime assentior iis, qui alteram consonantium in verbo *Tecmessae*, elidendam scripsere. Idem *Carmin.* [*lib.* IV. *Od.* III. *vs.* 20.]

Donatura cygni, si libeat, sonum.

Sic Polygnotus in quodam carmine apud Pausaniam Phocaicis (*a*), quod Delphis pictum fuisse scribit, secundam brevem habet. plurimaque hujusmodi fa-

(*a*) Respicere videtur Epigramma quod est apud *Pausan. in Phocaic. cap.* 28. Ibi tamen secunda syllaba in Πολύγνωτος longa est.

facile eſt reperire apud Graecos. Neque vero ſolum muta praecedens cum ſubſequente liquida ſaepe non juvat vocalem praecedentem brevem, ut non ſervet naturam ſuam, & brevis remaneat, ut diximus, ſed aliquando duae liquidae, interdum duae mutae, nonnumquam liquida praecedens mutam idem efficiunt. id eſt non obſtant, quominus praecedens vocalis brevis eſſe brevis perſeveret. quod auctoritatibus probamus, quoniam res eſt animadverſione digna. Atque duarum liquidarum haec ſunt exempla. Ovid XIII. *Metamorph.* [*vſ.* 430.]

Biſtoniis habitata viris. Polymneſtoris illic.

Homerus *Odyſſ.* π. [*vſ.* 347.]

Τηλεμάχῳ ὁδὸς ἤδε· φάμεν δέ μιν μὴ τελέεσθαι.

Ubi μιν corripitur, etiamſi altera liquida ſtatim ſequatur. Propertius. [*lib.* III. *El.* XI. *vſ.* 55.]

Et Scelus accepto Thracis Polymneſtoris auro.

Silius *lib.* VIII. [*vſ.* 329.]

Ecce inter primos Theramneo a ſanguine clauſus.

Horatius *Ode* I. *lib.* I. [*vſ.* 33.]

Euterpe cohibet, nec Polymneïa.

Sic enim commodius eſt ad ſyllabae & carminis rationem legere, quam quomodo multi aliter tradiderunt. Atque in hoc genere apud Graecos pluſcula exempla reperiuntur. Duarum vero mutarum ſequentia ſunt exempla. Homerus *Batrachomyomachia.* [*vſ.* 45.]

Ἀλλ' ἐπὶ λέκτρον ἰὼν ἄκρον δάκτυλον καταδάκνει.

Idem *Odyſſ.* IV. [*vſ.* 83.]

Κύπρον, Φοινίκην τε, καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθείς.

Martialis *lib.* V. [*Epig.* II.]

Sar-

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Jaspidas uno.

Musaeus [*vs.* 312.] idem sibi sumpsit in semivocali & muta.

Δὴ τότε Λείανδρος περ ἐσθήμενος ἐλπίδι νύμφης.

in quibus locis δάκτυλον primam, Αἰγυπτίους secundam, *Smaragdos* mediam, ἐσθήμενος primam brevem habent, licet positio duarum mutarum, aut semivocalis & mutae sequatur. saepeque reperias in κέκτημαι, πέπλαμαι, & in aliis similibus vocibus primam brevem apud eosdem Graecos. quibus (quod magis mirere) contingit interdum per summam, ne impudentem dicam, licentiam diphthongos ipsas corripere. Sed non est operae praesentis id nunc ostendere. itaque ad rem redeamus. Horatius Musaei imitatione *lib.* II. *Carminum.* [*Od.* VI. *vs.* 18.] semivocalem & mutam & ipse nihili fecit eo carmine.

Jupiter brumas, & amicus Caulon.

Sic enim legit Servius in eum Virgili versum [553.] ex III. *Aeneïdos.*

Caulonisque arces, & navifragum Scylacaeum.

& quidem docte. ut arrogantissimus sit Glareanus, qui hac de caussa indoctissimum eumdem Servium appellat, contendens hoc Horatii carmen *Caulonis* vocem suspicere non posse. quasi vero non Aratum Horatius non in simili, sed in eadem licentia auctorem habeat. Cujus est hic versus [202.]

Ὀρφνῇ ἑσπερίη κρώζει πολύφωνος κορώνη.

quasi & poëtarum exempla, quae supra retulimus simillima eum similitudine non defendant. quasi (ut nullum aliud refugium, ut nulla alia anchora sit) s, abjici non possit. ut sit, *amicu' Caulon.*

Tres porro (hoc enim sit parergon) fuere Aulonis nomine urbes. Una in Peloponneso, auctore Pausania Messeniacis [*cap. ult.*]. Altera in Dalmatis: ex cujus & Apolloniae ruinis coaluit, quae nunc *Vallonia* dicitur. Tertia in Italiae Magna Graecia: quam Virgilius, Servius, & Horatius *Caulonem*, Pausanias *Eliacis II.* [*cap.* III. *pag.* 459.] *Cauloniam* vocant. dicitque idem Pausanias, huc deductam fuisse coloniam ab Achaeis bello Pyrrhi, id est, Tarento everso. Strabo *lib.* VI. [*pag.* 401.] *Post Sagram* (inquit) *Caulonia extat, prius Aulonia dicta.* ut sive *Aulon*, sive *Caulon* apud Horatium legas, utrumque justa reprehensione carere possit & debeat. Ennius, ut est apud Varronem *lib.* VI. [*pag.* 72. *Ed. Stephan.*] idem fecit.

Subulo finitimas propter astabat aquas.

Et haec hactenus, quantum quidem ad duas liquidas, & ad mutas duas, sive semivocalem & mutam pertinet. Quod vero liquida praecedens mutam sibi eamdem potestatem vindicet, ut praecedenti vocali brevi nullum tempus acquirat, haec, quae statim afferentur, exempla probant. Homer. *Iliad.* ω. [*vs.* 370.]

Ἀλλ' ἐγὼ οὐδέν σε ῥέξω κακὸν, καὶ δέ κεν ἄλλον.

ubi ξω κακὸν, dactylus est, licet sequatur κ. Dionysius *de Situ orbis.* [*vs.* 914.]

Καὶ Τρίπολιν λιπαρὴν, Ὀρθωσίδα τε, Μάρανθόν τε.

ubi media syllaba in Μάρανθον corripitur. Homer. XI. *Odyss.* [*vs.* 261.]

Καὶ ῥά ἔχεν δύο παῖδας Ἀμφίονά τε, Ζῆτόν τε.

in quo versu prima in voce Ἀμφίονα, brevis est. *Iliad.* XXII. [*vs.* 363.]

Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα, καὶ ἥβην.

tri-

tribus ſequentibus conſonantibus in ἀνδρότητα, nihil primam brevem praecedentem vocalem juvantibus. Idem XXII. *ejusdem operis.* [*vſ.* 84.]

Τῶν μνῆσαι φίλον τέκνον, ἄμυνε δὲ δήϊον ἄνδρα,

Ubi φίλον ſequente τ poſteriorem corripit. eſt enim dactyli tertia. Orpheus *Argonaut.* [*vſ.* 86.]

Παρθενίης ἀταρποὺς ἐπιήρατον ἡρώεσσιν.

media in verbo ἀταρποὺς correpta (*a*). Atque in univerſis his mutam liquida antecedit.

CAPUT XCIX.

Cotiſo Daciae Rex. Galbam Sulpiciae gentis fuiſſe non Sergiae. Tacitus emendatus.

Daciae, quae nunc ex magna parte *Tranſilvania* appellatur, Rex fuit Cotiſo: quem Cornelius Lentulus Auguſti legatus in Pannonia profligavit. auctores Eutropius, Florus, Paterculus. De hoc Cotiſone intelligit Horatius eo carmine. [*lib.* III. *Od.* VIII. *vſ.* 18.]

Occidit Daci Cotiſonis agmen.

Dio aliquot locis [*lib.* XXXVII. *pag.* 53. *C. lib.* XXXIX. *pag.* 94. *E.* & 120. *C.*] Galbae mentionem faciens *Ser-*

(*a*) Sequutus hic ſum, ut & alibi ſemper, ubi cauſæ momentum inde pendebat, ſcripturam, quam *Matius* in citandis veterum Auctorum teſtimoniis uſurpat. Interim heic loci monendum puto, plurimos ex Arato, Homero, Dionyſio Periegete, Orpheo, &c. prolatos hoc capite verſus in hodiernis, & melioribus illorum auctorum editionibus aliter legi, & ita quidem, ut parum ex iis probari poſſit, quod volebat *Matius.* Atque id unicuique conferenti facile patebit. Nobis enim per ſingula ire, non vacat.

Servium Galbam eum appellat. recte. *Servius* enim frequentissimum fuit Sulpiciorum, & praesertim Galbarum praenomen. Itaque apud eumdem Dionem inscite faciunt, qui expuncto legitimo *Servii* praenomine, substituunt ejus loco *Sergium*. quod praenomen non est, sed gentile nomen, ex qua gente etiam fuit Catilina. Galbae vero ex Sulpiciorum gente fuerunt, non Sergia, testibus lapidibus Capitolinis, Suetonio [*in Galba cap.* 3.] & Aurelio Victore [*de Caesar. cap.* 6.], librisque manuscriptis, inprimisque Caesaris. apud quem initio *III. Comment. Servium Galbam*, non *Sergium* legimus. Itaque apud Cornelium Tacitum *lib.* XVIII. [*Histor. lib.* II. *cap.* 48.] locus ad hanc eamdem rationem est corrigendus. ubi Othonem sic inducit loquentem. *Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. post Julios, Claudios, Servios* (*sic enim legendum, non* Sergios, *si modo Tacitum ab nota ignorantiae vindicatum volumus*) *se primum in familiam nomen imperii tulisse.* At, dicet aliquis, Tacitus superiores Imperatores nomine gentilicio indicavit. C. Caesarem & Augustum *Julios*, Tiberium & reliquos tres *Claudios* appellando. Cur & de Galba intelligens non *Sulpicios* dixit potius, quam *Servios*? id est, cur potiorem habuit rationem praenominis in Galba significando, quam gentilis nominis? respondeo. notior fuit praenomine Galba, quam nomine. scriptoresque eum, gentis nomine suppresso, *Servium Galbam* dicunt. Etenim nonnulli fuerunt cognominibus notiores. quales fuere Quinctilius Varus, Claudius Drusus, Aemilius Lepidus. Itaque *Lepidianas ferias* legimus *epistola* XI. *ad Atticum lib.* XVI. *Drusianam fossam* apud Tacitum *lib.* II. [*Annal. cap.* 8.] *Varianam cladem* apud universos ejus historiae scriptores tam

Lati-

Latinos, quam Graecos. Alii nominibus. ut Pompejus, Clodius, Lollius. propterea (ut de postremo tantum exemplum petam) Tacitus *lib.* 1. [*Annal. cap.* 10.] *Lollianas clades* nominat eodem loco, quo *Varianas.* has ab cognomine, illas ab nomine. Alios praenomina reddebant notiores. ut Appium ejus, quem modo nominavi, fratrem. Itaque de utroque saepe scribens Cicero, raro aliter hunc quam Clodium, illum quam Appium vocat. quam rationem respiciens, ad eumdem Appium Pulchrum scribens [*lib.* 11. *Ep. ad famil. Ep.* 7.] ab Appio *Appietatem* quasi familiae nominationem deduxit his verbis. *Ullam Appietatem, aut Lentulitatem, valere apud me plus existimas?* Otho ipse, qui fuit ex gente Salvia, cujusque sunt verba, quae supra attulimus ex Tacito, insignior fuit cognomine quam nomine. & ob hanc caussam dicit se nomen imperii tulisse in familiam suam, non in gentem. fuit enim gente (ut diximus) Salvius, familia Otho. cognomen autem familiam, nomen vero gentem respicit.

CAPUT C.

Brasica. Rhaphanus. Ciceronis locus defensus. & locus Horatii expositus.

Graeci interdum appellatione Rhaphani Cramben intelligunt. iidem contra nonnumquam Cramben, id est Brasicam pro Rhaphano accipiunt. afferrem locos nobilissimorum auctorum, qui id fecerunt, nisi id ab aliis etiam pridem esset observatum & traditum. Latini quoque aemulati (consulto, an secus, non statuo) sunt in

hac viciſſitudine Graecos, proculdubio enim apud Plinium *lib.* XVII. *cap.* 20. quae leguntur de antipathia Rhaphani cum vino & vitibus ad caules ſpectant. contra Cicero *II. de Nat. Deorum* [*cap.* 47.] Braſicam pro Rhaphano poſuit in his verbis. *Quin etiam (vites) a caulibus braſicisque, ſi prope ſatae ſint, ut a peſtiferis & nocentibus, refugere dicuntur.* In quem locum ſcribentem in ſuis in eum librum annotationibus doctiſſimum virum memoria fefellit. cui, quod braſicae nomen (haec enim ſunt ejus verba) Caules complectitur, ideo legendum videtur pro *a caulibus*, *a lauris.* memoria (inquam) nil aliud eum fefellit. eſt enim vir plurimae non ſolum ſcriptionis, ſed etiam lectionis, obſervationis, & doctrinae. Ego nihil mutem, niſi auctoribus vetuſtis ſcriptis libris. Rhaphano vero, cum proprie accipitur, non pro braſica, eadem ne ſit cum vitibus & vino antipathia, quae caulibus, Democrito ac Pythagorae conſiderandum & inquirendum relinquo. An vero braſicae nomen ex Graeca voce *Crambe*, quae, ut dixi, modo caulem, modo rhaphanum apud Graecos exprimit, etiam Cicero ſecurius adhibuerit, ego, qui cum omnibus antiquis, tum vero tanti viri manibus honorem habeo, non ſatis ſcio. nec ſi ſciam, dicere auſim.

In epiſtolam Horatii *de Arte Poëtica* [*vſ.* 357. *ſeqq.*] in Annotationibus ſuis in Columellam Petrus Victorius & eum ſecuti, qui poſt eum ſcripſere in eundem poëtam, docti viri exponunt illud, *Quandoque*, in verſibus, qui ſubjungentur, pro *Quandocumque*, vel, *ſi quando.* contrario omnino ſenſu, quam ego afferam, & quam Horatius, ut opinor (opinor enim, doctioribus judicium

re-

relicturus) voluit significare. Sed versus Horatii ut interpunguntur ac leguntur a Victorio cum ejus expositione sic habent.

Sic mihi qui multum cessat fit Choerilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror: idemque
Indignor quandoque bonus dormitat Homerus.

Quae enim pusilla res videtur, non suo loco posita interpunctio corrumpit elegantissimum sensum, & tantas tenebras offundit, ut in eo loco explicando plurimi nihil viderint: eaque doctum sensum, & magnum Homeri laudatorem, de principe ipso omnium poëtarum dixisse crediderint, quae profecto numquam somniavit. Quemadmodum enim si forte aliquid eruditum, elegansque protulit Choerilus malus poëta, ut portenti simile dicit se Flaccus mirari: ita etiam aegre ferre ac stomachari, sicubi negligentior visus est Homerus, qui tamen excusatione non careat: opere enim in longo fas est obrepere somnum. &c. Ego pace tua dicam Victori, numquam sensum hunc somniavit Horatius, quem tu affers. immo, ut horum versuum sententia cum proxime antecedentibus concordet, sic sunt interpungendi & explicandi, ut verbum hoc, *indignor*, ad superiora verba, non autem ad sequentia accommodetur. hoc modo.

Quem bis terque bonum cum risu miror, & idem
Indignor.

hic consistendum est. deinde per subjectionem sequentia addantur, quasi aliquis Horatio severe nimis agenti cum Choerilo objiciat: quid? an non & Homerus interdum dormitat? non negem (respondet objectioni Horatius) nonnumquam & Homerum dormitare. Verum opere in longo fas est obrepere somnum. Huncque esse germanum sensum verborum & mentis Hora-

tii multo ante vidit Fabius *lib.* x. [*cap.* 1.] his verbis. *Et labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum. nonnumquam fatigantur. cum Ciceroni dormitare Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus videatur. magni enim sunt, homines tamen.* quin ipse Horatius alibi, nempe ultima epistola *lib.* 1. [*vs.* 52.] clare pronunciat, & in Homero esse aliquid, quod reprehendi possit, cum dicit:

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?

Atque per haec responsum est verbis illis Victorii. *eaque doctum poëtam & magnum Homeri laudatorem de principe ipso omnium poëtarum dixisse crediderint, quae profecto numquam somniavit.* Quod vero verbum illud, *Indignor*, nullo modo ad Homericam virtutem referri possit, id est, non hunc sensum vere esse posse. ita miror cum risu Choerilum, si quando bis terve bene dicit, sicut indignor, quotiescumque, sive si quando Homerus dormitat, (quasi dicat, numquam dormitat, ergo non indignor.). ne ipse quidem Victorius ibit inficias, si modo in mentem revocando cogitabit vim verbi hujus *Indignari.* Quippe *Indignari* auctore & magistro Aristotele in libris *de Arte Rethorica* est dolere, aegre ferre, stomachari ex indigni alicujus felici fortuna. non autem ex calamitate. id est, Indignatio est aegritudo in immerito felices, non in immerito infelices. Atque si is esset sensus, quem Victorius putavit, dixisset Horatius: Miseret si quando bonus Homerus dormitat: non autem, indignor, quoniam calamitas esset Homerum labi & dormitare. & dolere damno alicujus immerentis est affectus misericordiae. quae quidem misericor-

dia,

dia, est aegritudo suscepta ex miseria alicujus immerito laborantis. Quae cum ita sint, fateamur aliter versus esse interpungendos, & sensum eorum hunc esse. Adeo malus est poëta Choerilus, ut si forte bis terque bonus fuerit, rideam admirans tamquam rem novam & illi inusitatam. atque ego idem indignor tam malo & indigno poëtae hanc felicitatem immerito contigisse, ut bis terque bonus fuerit. Et ecce splendide apparet elucetque vis & proprietas verbi, *Indignor.* scilicet in immerita felicitate Choerili. Suo etiam sibi gladio confoditur Victorius, cum versum hunc in fine sic legit. *Quem bis terque bonum cum risu miror, idemque Indignor.* nam si legendum sit, ut ipse scribit, *idemque* non autem, *& idem*, fateatur necesse, verbum, *Indignor*, ad superiora verba, atque ad Choerilum referri, non ad sequentia, nec ad Homerum pertinere. mensus enim syllabae prioris in verbo, *Idem*, cogit hunc ordinem esse. quem bonum bis terque cum risu miror, & indignor idem. id est eumdem Choerilum. brevitas enim syllabae prioris facit neutri generis esse. nam masculino genere longa est.

Quod vero attinet ad ea verba, *Cum risu miror*, doctissime dictum id est ab Horatio. risus enim ex admiratione rei inusitatae & novae oritur. sicuti quilibet cum fructu & voluptate discet, qui doctissimum libellum Vincentii Madii, civis mei, *de Ridiculis* leget. Quaedam vero esse in Homerico opere, quae vix a risu reprehensioneve tueamur, declarat illud totiens vel ad stomachum inculcatum, & a Martiale pridem exagitatum, [*lib.* 1. *Epig.* 45.] τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. praeterea illam in Ulysse viro vigilantissimo, providentissimo,

mo, & qui immortalitatem recuſaverat, ſemel ut Ithacam patriam videret, negligentiam ſecuritatem & profundiſſimum ſoporem quis ferat? quis ab abſurditate defendat auctore Ariſtotele libro de Arte poëtica ad finem? niſi abſurdum hoc aliis bonis poëta excellentiſſimus mitigans obſcuraviſſet.

F I N I S.



JOANNIS MARII MATTII,
Brixiani,
VIRI ERUDITISSIMI,

OPINIONUM
LIBRI TRES.

In quibus plurima Loca
AUCTORUM LATINORUM
ET GRAECORUM
hactenus a nullo tractata, aut non recte exposita explicantur; aut conrupta emendantur.

ADCESSERUNT
ALIQUOT CARMINA.
Cum brevi libello de Orthographia.

AD INLUSTRES
ARNUTIOS MEDICES,
Musarum patronos.

INLUSTRIBUS
CAESARI, JORDANO,
E T
MARCELLO ARNUTIIS,
MEDICIBUS,
EQUITIBUS.

JOANNES MARIUS MATTIUS

S. P. D.



mari a quam plurimis, nobilissimi Arnutii, & odia hominum effugere praeclarum quiddam & optabile esse, & jucunditatis plenum fatentur uno consensu & praedicatione omnes. Redduntur etiam rationes, quibus via conmonstratur, quo modo offensionem vitantes benevolentiam conligere, & conlectam sartam & tectam toto vitae curriculo conservare cum laude queamus. Quas rationes scribens ad homines sapientes, & omni omnis doctrinae atque historiarum suppellectile egregie instructos huc congerere consilium non est. Hoc tantum dicam. Etsi cantari ubique audimus, Difficilia esse, quae pulchra (amicitia autem quid pulchrius? quid etiam conducibilius?) tamen judicare me, ad amorem istum conparandum, nullam viam reperiri posse pulchriorem, nec compendiariam magis Beneficentia & Gratia. Quam utramque virtutem

si

si quis unquam adamavit, certe hic a nobis cultam fuisse omni tempore in familia vestra universi norunt & praedicant. ut mirandum non sit, si cari toti civitati sitis, & omnes vos in oculis ferant. egoque κωμικὸς μάρτυς *testimonium apud omnes tribuere possum. Nemo vos beneficio, nemo reddítione gratiae vicit. Macti hac animi sublimitate Arnutii. Virtutes induistis virtutum nobilissimas, pulcherrimas, & liberalissimas, virescentes semper, & semper florentes, & feraces. Aliae fortasse apud alios frequenti, & nimio partu defetiscuntur, & deficiunt. hae apud vos foetae semper, & fecundae sunt; effoetae numquam, & numquam steriles. Pariunt illae vobis, quam quaerere omnes sapientes debent, rerum humanarum omnium nobilissimam, formosissimam, & beatissimam possessionem, felicitatem sine invidia. Majores vestri hanc vobis ad gloriam straverunt viam. vos vestra vestigia in eorum exemplis hereditario jure firmiter inprimitis. Proponatur quilibet ex antiquis vestris: universi inlustri aliquo facinore & honore insignes, prope digito monstrabunt ad virtutem & gloriam parandam viam.*

Nobilitatem tradunt viri in sapientia principes ab antiquitate, opibus, & virtute constitui. Tribus his facultatibus ante conditam Alexandriam vos, Arnutii, decentissime floruistis. Nam satis historiarum monimentis constat, quo tempore Imperator Fridericus Aenobarbus totam Galliam Cisalpinam gravissimis tributorum exactionibus, & armis infestam haberet, a conjuratis civitatibus jugum inpotentissimi dominatus indignissime ferentibus Brixia, Cherio, Cremona, Dertona, Hasta, Mediolano, Parma, Placentia deductam huc fuisse coloniam Alexandriam: loco tunc quidem vacuo, sed si incoleretur, ad retundendos Ticinensium, & Marchionis Montisferrati impetus, qui partibus Friderici studentes

dentes finitimarum civitatum libertatem jacturam suam putabant: & ad celeriter inter se foederatorum copias conjungendas atque alendas inter duo navigabilia flumina Burmidam & Tanarum opportunissimo. Initio enim conditae urbis vicus Burgolium nondum a radice vicini collis ad fluminis Tanari ripam, e regione urbis, qua parte illa Zephyrum spectat, deductum erat, satis, inquam, constat, cum voluntariorum ex vicinis oppidis, quos coeli clementia, soli feracitas, & studium defendendae atque ornandae novae urbis invitabat: tum evocatorum ex enumeratis supra urbibus ingentem manum huc convenisse. In his fuere Arnutii fama adhuc ita testante: qui translatis huc opibus, quae illis non tenues fuerunt, ex patria sua Brixia urbe cum juventutis numerosae & firmissimae, & ad audenda nobilissima quaeque facinora semper promptissimae, tum virtutum omnium ad belli pacisque subsidium & ornamentum necessariarum matre & altrice, in nova urbe de pristina existimatione & opulentia deperdiderunt nihil. immo omni tempore aucti virtute, & opibus: florentes prole, honoribus, & amicis: muniti propinquorum, & adfinium fide: celebres gratia, & hospitiis nobilissimorum hominum, ad has & reliquas virtutes, quas commemorare non est ocium, addiderunt humanitatem, hilaritatem, cultum, & magnificentiam plane imperatoriam & regiam. Id testantur veteres abaci & mensae auro atque argento exornatae; parietes peregrinorum peristromatum ornamentis intecti, ampla in suburbio, & alibi latifundia; aedium urbanarum atque villarum magnificae exstructiones, cuilibet magno Principi recipiendo adcommodatissimae: quae hospitiorum necessitas saepe illis contingit. Namque haud fere quisquam, aut legatus, aut Cardinalis hac iter facit, quin recta ad Arnutios devertat propter caussas dictas ante, & propter fa-

R *mi-*

miliaritates, quas prope ubique ſed maxime Romae habent cum Pont. Max. & tota Romana aula: & praecipue cum Florentinis Medicibus, cum quibus jam inde a Leone & Clemente, etiam antequam ad fauſtiſſimum Pontificatus Max. gradum illi conſcendiſſent; ipſis tanta interceſſit arctiſſimae conjunctionis neceſſitudo, ut coöptatos in familiam ſuam Arnutios voluerint cognomenta atque inſignia gentis ſuae in omnem poſteritatem referre. Itaque in ſcriptis publicis & privatis Arnutii Medices adpellantur: & utriusque familiae ſigno tabularum, quas in contrahendo conficiunt, fidem firmant & ſanciunt. Locus hic erat recenſendis illis: qui cum aliis virtutibus, tum maxime literarum & militiae gloria floruerunt. Verum meditantem atque adcedentem jam ad cauſſam numerus obruit. qui deterrens ab incoepto quaſi monet, ut profundam iſtam nimium, & plane Herculea ad exhauriendum ope indigentem Camarinam omnino non moveam. Attamen territus nihil ſum. quin mihi ipſe animum ad opus conficiendum & complendum feci: ne partem conſtituendae nobililati principalem, & quae in ea familia praecipue culta ſemper fuit, aut culpa negligentiae omiſſam, aut memoriae infirmitate praeteritam, aut alius vitii crimine neglectam calumnientur aliqui; in alienis perpendendis ſcriptis ſeveri aſperique nimium exactores. Paucos aliquot (nam univerſos polliceri percenſere audaciae eſſet inconſiderati & judicio carentis hominis) adtingam. Ergo in militaris diſciplinae ſcientia & uſu tradunt varii Annales, inſignes fuiſſe in gente Arnutia Manfredum, Gulielmum, Rainezonum, Lanfranchellum, Paganum, Nicolaum, Jacobum. Quorum omnium nomina adhuc leguntur relata in publicis tabulis nobiliſſimae Juſtitiae (ſic enim concilium illud adpellabant) Societatis. quae frequentia & ſplendore conlegarum per annos ab ortu D. N.

cir-

circiter cIↄ. ccc. *celeberrima fuit*, & *florentissima.*

Antonius Arnutius paulo post ea tempora in magno excellentium civium numero dilectus a Senatu populoque Alexandrino ad tollendas inter Monferatenses, & cives suos controversias, post multas acresque disceptationes, tandem honestissimis conditionibus comite Gulielmo nobili jurisperito ex antiquissima Lamboriciorum gente: quae in hac civitate semper civilis scientiae (ut interim sileam qui in militari arte excelluerunt) seminarium, & fons fuit; unde perpetua continentique serie per sex aetates ex unis aedibus sex inlustres jureconsulti ad hunc Alexandrum Lamboricium, item eximium juris peritum, qui nunc floret, manarunt, saluberrimam pacem conciliavit. Properantem ad finem morantur subirati & prope indignantes Guido & Johannes Luchinus Arnutii: quorum prior in bello Brixianorum contra Henricum VII. Imperat. post multa egregia facinora pestilentia obiit. Alterum non fortuna, sed animi altitudo & conscientia meriti sui, quae sperare digna virtute jubebat, proxime ad sublimiores in aula Romana honores extulit. Hic praeter vetustam nobilitatem, subsidio scientiae juris & legum, & ornamentis omnium liberalium artium fultus, dedit se in familiaritatem Leonis & Clementis Medicum, multo antequam bono literatorum fato utrique D. Opt. Max Tyara Pontificio caput redimiret in qua sublimitate conlocatus Leo ultro evocatum ad se Joannem Luchinum, pristino amore simul cum potentia aucto, sic conplexus est, ut juberet bono laetoque animo esse, & a se sperare atque optare officia atque auxilia omnia, quibus dignitatem & opes suas honestari atque amplificari posse judicaret. Nec minus re quam verbis liberalis fuit. Namque cum jam Decanatus, & postea Archipresbyteratus in maximo fano Alexandriae dignitate

Luchinus esset insignitus, ab eodem Pontifice Leone Medice statim Protonotarius, & Relator (Referendarium dicunt) utriusque signaturae renunciatus est. appellatusque Familiaris, & relatus inter Barones, & Principes participantes maximorum quorumcumque bonorum & dignitatum. Gubernator Parmae & Placentiae praefuit. Praesidens etiam constitutus est Piceni cum titulo & potestate Legati a latere, id est cari, amici, familiaris, & tamquam a latere numquam discedentis. Admissus est in familia Medicea ipse, & omnes in infinitam posteritatem filii, & nepotes ejus, ut Arnutii Medices adpellarentur: & insignia familiae Medices gestarent: anuloque cum Mediceo symbolo firmarent quodcumque sancire ipsis videretur esse opportunum & necessarium. Dataria demum dignitate decorato restabat solus purpurei galeri apex. eo jam ipsi ab eodem Leone destinato ne potiri posset, obstitit sceleratorum audax & immane facinus. Nam dum Quaesitor missu jussuque Leonis quaestionem Perusiae in Paullum Bajonum habet, ab iis, qui, si caussa esset dicenda, conscii sibi videbant suorum scelerum audaciam impune ipsis non futuram, veneno sublatus in ea urbe, cum summo acerboque Max. Pont. totiusque aulae, ac bonorum omnium dolore & luctu interiit.

Jam ante hic Joannes Luchinus Datarius adeptus erat a Summo Pont. sibi & posteris gentilibus suis facultatem sistendi & nominandi Archipresbyteri, & unius Canonici in templo Maximo Alexandriae. Utriusque hujus Sacerdotii reditus tenues tunc erant. Joannes Luchinus sui patrimonii diminutione angustias utriusque sublevavit.

Idem Pontifex ablata Abbatia D. Petri in Burgolio a Monachis D. Benedicti, ejus Abbatiae Sacerdotio Petrum Martyrem Arnutium Joannis Luchini fratrem Protonot. Apost. ornavit, addita facul-

cultate nominandi Flaminis: quam facultatem etiam ad posteros pervenire volebat. Sed interea mortuo, ut dictum est, Joanne Luchino, negocio, cujus jam erant jacta fundamenta, fastigium inponi non potuit.

Jacobus Maria Arnutius eorumdem Joannis Luchini & Petri Martyris frater J. U. Consultus Protonot. Apostolicus & Decanus templi Max. Alexand. Archipresbyterque Oviliarum cum facultate plurium etiam non simplicium Sacerdotiorum obtinendorum, magnae fuit vir existimationis, & nominis.

Carolus quoque V. ejus nominis Imperator noluit eumdem esse suae liberalitatis expertem. Comitem Palatinum, & Equitem, Aulicum, Familiarem ipsum, & fratres posterosque cum universis dignitatum atque honorum nominibus adpellavit.

Joannes Luchinus Junior ad juris civilis, & aliarum virtutum prudentiam, in quibus sua tempestate paucos pares habuit, addidit scientiam & usum administrandorum maximorum negociorum, & inprimis Reipublicae. Itaque electus a patria magnis gravibusque de rebus missus legatus ad Carolum V. Imp. rediit impetratis omnibus, de quibus missus erat, rebus.

Quis J. C. Jacobum Mariam juniorem satis digne commendet? cujus fores quotidie tritae erant frequentia consultorum, & clientium, deducentium & reducentium? Alii aucupes sunt gratiae & favorum popularium: vulgique studia arte omni semper inbiantes venantur: sibique in crebris occursationibus atque adsectationibus nimium quantum placent. Ille pertaesus ventorum istorum, & quietioris securiorisque vitae adpetens, ab excellentissimo Senatu, cum aliter se exsolvere non posset, vacatione omnis publici forensisque muneris summa contentione tandem impetrata, totum se in meditatione

religiosorum Christianorumque officiorum tradit, sed in medio cursu florentis aetatis animam Deo reddidit, relinquens non suis solum, sed omnibus bonis luctum & memoriam sui nominis sempiternam.

Vix umquam quemquam videris aequiore, atque adeo laetiore animo excedentem e vita Petro Martyre Arnutio juniore. Illi laboranti circumsistebant amicitiae & propinquitatis necessitudine conjunctissimi, ut vel animum facerent ad ferendam communis fati necessitatem, vel spem salutis promittentes languorem sublevarent. universis agebat tanta mentis & orationis aequabilitate & constantia gratias, ut nisi intestinum ulcus remediis nullis curari posse medici domesticos docuissent, magnitudinem morbi altitudine sapientiae ab illo sperarent vinci posse. Ille porro perfunctus omnibus Christianis ritibus, expiataque admissarum culparum solemnibus officiis & piaculis conscientia, hortari, qui aderant omnes, coepit ad religionem & pietatem omnem omni cura, cogitatione, mente, atque animo imbibendam & colendam: praedicabat nullum obsidem, nullum pignus consequendae salutis aeternae habere mortales certius religione. Ea duce, ea comite, non solum dum hic sumus, dum vitam hic inter nostros agimus, omnia prospere cedere, sed post obitum etiam ab illa sublimes in beatorum sedes tolli. Praedicabat gloriari esse fas nemini in felicitatibus humanis, sed universa accepta referenda Deo esse. Cum haec (inquiebat) vobis cano, eadem mihi ipse praedico, quae, utinam, mihi prosint ad promerendum clementiam Dei. Quod ingenuus, quod nobilis natus sim, quod eductus & eruditus liberaliter, quod venerim in clientelam atque amicitiam summorum Principum, quod me amarint Cardinales multi, praesertim Medices, & Bonelli: quod carus fuerim Pontifici Pio V. quod Joannem Franciscum fratrem in re familiari bene

con-

constituta, & in Reip. administratione cum laude egregie sancteque versantem relinquam: quod fratris filios Jordanum & Marcellum a Xisto V. ter Opt. ter Max. Pont. Equitum Lauretanorum titulis & insignibus, cum honorifico subsidio pecuniae ad tuendam tanti honoris majestatem auctos honestatosque videam, universa summo Deo accepta refero. Sed haec de Petro Martyre sint satis. Veniamus ad alios viventes, quos piaculum sit silentio praeterire. Antonius Arnutius tres habet fratres, Caesarem, Bartholomaeum, & Nicolaum. Hic curam rei familiaris gerit. Antonius & Caesar, uterque Protonotarius Apostolicus, ab ineunte aetate religioni se dediderunt: cui comitem adjunxere cognitionem juris & legum. quas utrasque per se honestissimas partes virtutibus morum sic inlustraverunt, ut omnia Justitiæ, Prudentiæ, Constantiæ, & Moderationis munia ita scite condiverint, ut nec in justitiam ulla ullius severitatis, nec in prudentiam astutiae, nec in constantiam contumaciae, nec in modestiam diritatis suspicio umquam inciderit Itaque cuncti praedicant, Archidiaconatus, quo nitet Antonius, & Archipresbyteratus, quo fulget Caesar, dignitatem melius conlocari nusquam alibi potuisse. Hos honores illis ad sublimiora decora atque ornamenta gradus esse augurantur omnes: egoque in primis: qui gloriam & felicitatem alumnorum meorum meam puto. Bartholomaeum Jureconsultum sua excellens virtus, & in judicando sanctitas facit, ut Ferdinandus Velascus Celtiberiae magnus Comes, & in Italia Philippi Regis Imperator, ac Mediolanii, & totius provinciae Mediolaniensis Prorex & Gubernator eum semper habeat occupatum Praefecturis & Magistratibus administrandis. nuncque Dertonae Quaesitor & Capitalium rerum judex severitatem muneris recta jurisdicundi sapientia moderatur & temperat.

Multa quidem restant, quae de hac honesta familia vestra dici possent & deberent: sed & meae multae occupationes vobis non ignotae, me excusabunt. Vosque confido pro aequanimitate vestra praetermissorum veniam Mattio vestro liberaliter esse condonaturos. Superest, ut hos tres libros meos Opinionum, quos in lucem nunc primum exeuntes vobis commendo, in fidem clientelamque vestram, quod spero vos libenter esse facturos, recipiatis. Valete VI. *Kalend. Maj.* cIↃ. IↃ. IIC.

I N

IN
JOANNIS MARII MATTII
OPERA,
VICTORII MUTII
CARMEN.

Quos hortos cernis, quaeso, ne temne, viator,
Traxerit huc casus, duxerit aut ratio;
Si ratio, prudens, si te fortuna, beatus
Hesperidum pomis hinc potiora feres.
Irriguum viden' hic tu duplice flumine campum,
Gleba olim triplex ubere qui vigeat?
Ingresso tibi jam liceat perpendere cuncta,
Ferreque de cunctis omnia, quae placeant.
Omnia cum tuleris, nihil at de corpore toto
Dempseris (en artem) talia campus habet:
Tu sed enim fructus carpas ne dente maligno,
Vel flores laedas, gramina sacra cave;
Custodes opifex sapiens nam quattuor agris
Misit, quo nullus damna pudenda ferat,
Quorum quisque Arnutius, alto ex sanguine quisque,
Unanimes omnes, singulus atque potens:
Quin & quinctus adest Glinus vir maximus unus
Majorum factis, clarus & ipse suis.
Nullum permittent campis hi laedere quicquam,
Ipsos dum ignotos omnia ferre sinent.
Mattius haec latis de multis (perlege) chartis
Transtulit, orna animum providus ipse tuum.
Quae vitam spectant, quae mores, eloquium, artes
Summas, hoc libro condidit exiguo:
Vel Latium teneat te, docta vel Attica tellus,
Cecropis hic, alta hic moenia Martis habes.

GULIELMINI SCHIAVINAE,

SACERDOTIS, CANONICI MAXIMI TEMPLI ALEXANDRIAE,

AD ARNUTIOS MEDICES


CARMEN,

IN LIBRUM OPINIONUM JOANNIS MARII MATTII.

Ut tradunt veterum ſcripta: Terentium
Juverunt ſapiens Laelius, & fera
Qui victa retulit nomen ab Africa:
Urbis Romuleae cum novus incola
Calcaret Latiam ſcenam humili pede.
Nec vates (fuit ut pectore candido)
Soccis conticuit praebitam opem ſuis
A tantis Ducibus militiae & domi.
Ergo ſi modici ſubſidii memor
Euterpe Libyci Muſa Terentii
Inſigni meritos laude beat viros,
Quantum, obſecro, bonis ARNUTIIS tribus
Omnes Caſtaliae debuerint Deae?
Quorum conſilio, quorum ope nobilis,
Et rubris Arabum dignus odoribus,
Nunc prodit liber hic? & nitidum caput
In dii radios exſerit aetheris?
Macti, Macti animis eſſe Sodalium
Chors vos docta jubet. veſtra animum viro,
Laus Amphryſiacis empta laboribus
Addat: quo properet promere cetera,
Quae mens tanto homini parturit inclyta.

Hoc

Hoc nymphae patrii Tanarides ſoli,
Virtus veſtra id avet, poſtulat, exigit.
Sic Rex aetherei vos foveat poli.
Sic vos perpetuis auctet honoribus.
Sic poſt ſera levis funera ſcandat in
Juſtis pollicitum Spiritus aethera.



HERCULES QUINCTIANUS

Benigno Lectori.

Amantissimis te verbis oro, quisquis es, humanissime lector, ut, si quid unquam libenti animo fecisti, si quid, quod tibi profuturum speraveris, si quid tandem meditatus sis, quod perfectum te juverit; hunc, quem manibus sumpsisti, librum libentissime, atque studiosissime perlegas: spero enim fore, ut intelligas, neque me unquam meis typis mandasse quidquam, quod studiosis hominibus plus in hoc genere scribendi utilitatis afferret, neque te inter recentiores libros quemquam legisse, qui te vel majori varietate oblectaret, vel uberiori utilitate juvàret. Veros namque comperies hortulos illos, quos superiori carmine per elegantem metaphoram irriguos, amoenos, fructiferos ingeniosus & facundus Victorius Mutius descripsit. Nam doctissimus Mattius ad ingenuas artes lucidandas, ditandas, ornandas praeter multa ex foecundo suo ingenio deprompta plurimos locos in variis artibus, variisque scriptoribus, vel à librariis corruptos, vel obscuros, vel dubios, partim a nullo usque ad hunc diem notatos, partim perperam expositos notavit, emendavit, atque illustravit; permulta varia, nova, eademque utilissima in hunc librum congessit non secus, ac gnavi, diligentesque agricolae soleant ad divitum praepotentumque virorum hortulos conserendos quicquid suavissimorum pulcherrimorumque fructuum quoquo modo inveniri possit vel ex remotissimis regionibus comportare, quo nihil ad suavitatem, nihil ad amoenitatem possit desiderari. Sed, ut quam primum suavissimos hosce fructus degustes, degustatisque te expleas, haud te pluribus moror. Vale.

JOAN-

JOANNIS MARII MATTII

Brixiani,

OPINIONUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Archiatrus, Exarchiatrus, Exiatrus. Locus Hesychii emendatus & expositus.

*ibro* x. *Cod.* de Excusationibus munerum: *Titulo* XLVII. *lege* VI. extat epistula (*a*) Imperatoris Constantini Aug. ad Volusianum. cujus initii haec sunt verba: *Medicos, & maxime Archiatros, vel Exarchiatris, Grammaticos professores, & alios liberalium literarum Doctores, una cum uxoribus & filiis, necnon & rebus, quas in civitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civilibus, vel publicis, immunes esse praecipimus.*

Jacobus Cujacius [*ad L. cit. Tom. II. Oper. pag.* 756.] maximus aetate nostra jurisperitus, Archiatros exponit, qui in aula Principis curant. Exarchiatros autem, qui dimissi sunt ex Palatio, sive comitatu. In Comment. vero ad Pandectarum Titu-

(*a*) Imo vero extat ea in titulo *Cod. De Professoribus & Medicis*, qui est LII. Libri x.

tulum *de Excusationibus*, Archiatros adpellari scribit, Romae tantum & Constantinopolis Medicos: quasi Principales Medicos.

Quod ad Archiatros pertinet, utraque Cujacii interpretatio eadem est & recta. Principales enim Medicos intelligit (ut etiam nonnulli alii faciunt) Medicos principis: non autem principes, excellentes, coryphaeos, ceterisve praefectos: quales sunt, quos vulgo nunc *Protophysicos*, aut *Protomedicos*, voce ex Graeco Latinoque vocabulo conflata, vocant. Ἀρχιάτρος (inquam) est τοῦ ἄρχου ἰατρὸς: non ut in Ἀρχιερεὺς, Ἀρχέτυπος, & in reliquis ejusmodi vocibus: quae primum seu principem sacerdotem: & primum exemplar, primamque formam significant. Quod quidem vidit etiam vir doctus Joannes Brodaeus extremo suarum Adnotationum libro. [*lib.* VI. *cap.* 30.] Haud ita pridem legi apud novum scriptorem, cujus nomen memoria excidit, tradentem, in Epistula medica a quodam Vindiciano, quem auctorem non mihi contigit legere, Aesculapium Archiatrum ob excellentiam fuisse adpellatum. Apulejus quoque eumdem Aesculapium medicorum principem praedicat, excepto tamen Hippocrate. Quod ad vocem *Exarchiatris* pertinet, nequaquam Cujacii interpretationi adquiesco exponentis, qui dimissi sunt ex Palatio sive comitatu. Ego cum scriptum videam apud Hesychium Ἐξιατρὸς, quod verbum de suo more verbo altero hoc Ἐκθυτικὸς exponit, valde impellor ad suspicandum: quemadmodum fuerunt ἰατροὶ & ἐξιατροὶ, sic Ἀρχιάτρους & Ἐξαρχιάτρους potuisse esse, & debuisse. Dicet aliquis: quodnam fuit munus, quae functio, quaeve dignitas Exarchiatrorum istorum? Amplius quidem hic pronuncio. Neque enim est considerati

hic-

hominis in re vetuſtate, & ſilentio hiſtoriae oblite-rata confidentius quidquam ſtatuere. Attamen munus Archiatrorum non potuit eſſe admodum diſ-ſimile muneris Exiatrorum: quorum, ex his, quae adferam, argumentis conicio has fuiſſe partes: ut eſſent tamquam praefecti aliis medicis: a quibus ipſi repoſcerent quaſi ἐξεταςαὶ aut cenſores meden-di rationem. Namque Ariſtoteles *lib.* III. Politi-corum [*cap.* II. *pag.* 468. *Ed. Pariſ.* 1654.] ſcri-bit: ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις. Hujusmodi exi-gendae rationi praefuiſſe puto hos, quos Heſy-chius Ἐξιατροὺς vocat. Itaque apud eumdem eſſe conruptam vocem illam puto: quam expoſitionis loco ſubjungit Ἐκθυτικός: quando nihil aliud addens ſcribit. Ἐξιατρός, Ἐκθυτικός. quod vocabulum cum hic & alibi ſit nulli rei, ego pro illo (ſi doctorum ſuffragium adcedat) ego (inquam) ab Ariſtotele admonitus, & quaſi manuductus libenter repone-rem, Εὐθυντικός: parva admodum, & eadem ve-recunda, & fortaſſe etiam legitima mutatione. Εὐ-θυντικοὶ autem fuere, qui εὐθύνας, id eſt rationem adminiſtrati officii repoſcerent. Quod ſi Ἐξιατροὶ fuerunt ἰατρῶν cenſores, ſic, ſi *Exarchiatros*, ſive *Exarchiatris* (ut eſt in verbis Imperatoris) cenſea-mus habuiſſe in Archiatros eamdem auctoritatem: etiamſi fallamur, excuſationem tamen potius quam reprehenſionem ab omnium aequitate debeat haec noſtra juvandi voluntas exſpectare. Si Cujacius pro-baſſet, *Exarchiatros*, ſive *Exarchiatris* fuiſſe, qui ex Palatio, ut ſcribit, ſive Comitatu dimiſſi eſſent, vel honoris ergo, tamquam veterani & emeriti, vel qua-vis alia honeſta cauſſa dimiſſi, facile concederem, dictos *Exarchiatros* eſſe ab Imperatore eo modo, quo Valerius Max. *lib.* III. *cap.* 8. de L. Craſſo loquens

dicit

dicit *Exconſule*, his verbis: *Nam, cum Exconſule provinciam Galliam obtineret.* aut quomodo ſaepe eſt in libris legum, *Exconſules, Expraetores*; pro iis, quos antiqui dicebant Conſulares Praetoriosque, qui aliquando Conſules Praetoresque fuiſſent. Sed cum ille id non probet, nec, ut credo, probare poſſit, aequi judices aequi boni faciant hanc opinionem noſtram (*a*).

CAPUT II.

Vir, Pinus, Palaemon, apud Virgilium: Gutta, Stilla.

Longe argutior & mordacior erit ſententia Virgiliani illius verſus *Eclog.* III. [*vſ.* 7.]

Parcius. iſta viris tamen obicienda memento.
Novimus & qui te.

Si ſic exponamus. Ut haec obicienda ſint, tamen auctoritatem iſtam non ſibi quivis ſumat: ſed qui purus ipſe ſit, moribusque & exiſtimatione integer: quaſi dicamus. Obicienda ſunt a viris, non a te polluto, contaminatoque, & turpi libidine infami: quem novimus inter viros mulierem fuiſſe. Eadem *Ecloga.* [*vſ.* 53.]

-- -- *Tan-*

(*a*) *Archiatri* non tantum dicti fuere, qui in principum comitatu eorum ſalutem curabant: ſed etiam illi, qui in urbibus celebrioribus reliquorum medicorum ſcholæ præerant, eorumque controverſias & contentiones componebant, ceu docuit Cl. *Heineccius ad Briſſon. de Verb. Signif.* in voc. *Archiatros*; & ab eo citatus Elegantiſſ. *Menagius Amoenitat. cap.* 35. Hinc *Exarchiatris* eos fuiſſe crediderim, qui vel ex comitatu principis vel ab inſpectione reliquorum medicorum miſſionem impetraverant: quod manifeſto probatur ex particula *ex*, quae ejusmodi in vocibus ita fere ſemper adhibetur, ut quendam aliquo munere defunctum notet. Exempla congeſſit *Briſſon.* in voce *Ex.* §. 7. Ut immerito dicat *Mattius*, ſententiam Cujacii probari non poſſe.

—— . —— *Tantum vicine Palaemon*
Sensibus haec imis (res est non parva) reponas.

Suetonius in libro de claris Grammaticis [*cap.* 23.] de hoc Palaemone sic scribit: *Adrogantia fuit tanta, ut M. Varronem porcum adpellaret. Secum natas & moriturum literas jactaret. Nomen suum in Bucolicis non temere positum: sed praesagiente Virgilio, fore quandoque omnium poëtarum Palaemonem.*

In Eclogam VII.

Montanam silvestremque arborem esse Pinum norunt omnes. miranturque nonnulli, habitam esse a Virgilio domesticam & hortensem hoc versu. [65.]

Fraxinus in silvis pulcherrima, Pinus in hortis.

Sed praeter Virgilium etiam Vegetius *lib.* IV. *cap.* 34. admirationem temere susceptam docet, cum sic loquitur: *Ex cupresso ergo & pinu domestica, sive silvestri larice, & abiete praecipue Liburna contexitur.*

CAPUT III.

Aliquot Virgilii loca ex Georgicis adnotata. Moesia, Mysia. Viscum. Abolere undis. Quem, Qua, abundare. Tonsus. Decotes. Exsuperabilis.

Nullo tantum se Moesia cultu
Jactat: & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Cum duplex sit Mysia, una Asiae, altera Europae: jampridem admonuit doctus Hermolaus Barbarus, utramque a Graecis Μυσίαν scribi cum y in prima syllaba: Latinis aliter servantibus. quorum mos est Asianam Mysiam: Europeam vero Moesiam

ſiam adpellare. Ergo ego crediderim Virgilium ſecutum morem ceterorum Latinorum in verſu ſupra citato [*Georg.* I. *vſ.* 102.] Moeſiam ſcripſiſſe: & de Moeſia Europae, non de Aſiana intellexiſſe, quidquid aliter tradant Virgilii eo loco interpretes. Eſt namque vero propius, poëtam voluiſſe rem augere exemplo feracitatis duarum provinciarum potius, quam unius. praeſertim, cum prope τὸ ἀυτὸ ſit *Myſia* & *Gargara.* Etenim Gargara Troadis ſunt: cui Myſia adeo conjuncta eſt, ut termini antiquis fuerint ambigui. Unde proverbium a Strabone *libro* XII. [*pag.* 847.] relatum, locum atque originem habet. Χωρὶς τὰ Μυσῶν, καὶ τὰ Φρυγῶν ὁρίσματα διορίσασθαι χαλεπὸν. *Myſorum, & Phrygum terminos certos conſtituere difficile.* Sic enim malim vertere, quam quomodo Eraſmus fecit. qui exiſtimans Trimetron Jambicum eſſe cum hemiſtichio, ipſe addens ex ingenio verba aliquot, ſic interpretatur.

Sunt ſeparati Myſiorum termini.
Phrygumque: ſed finire perquam eſt arduum.

Certe locus apud Strabonem ſic, ut a me eſt relatus, diſerte ſcribitur ſine ulla menſura Trimetri. Felix porro praedicatur a feracitate utraque Europea atque Aſiana Provincia. Itaque Philoſtratus in Heroicis [*cap.* 2. §. 14.] Myſos Aſiae praedicat: Ἄριστα ἠπειρωτῶν πράττοντας. Solinus de Moeſiis Europeis (duplex enim eſt Moeſia Europae, ut etiam Myſia Aſiae) ſic ſcribit. [*cap.* XXI.] *Mox Moeſia: quas majores noſtri jure Cereris horreum nominabant.* Myſi praeterea Aſiae fuere coloni Moeſiorum Europae, auctore Strabone, cum alibi, tum *lib.* VII. [*pag.* 453.] his verbis. Οἱ τοίνυν Ἕλληνες τοὺς Γέτας Θρᾶκας ὑπελάμβανον. ᾤκουν δ' ἑκάτερα τοῦ Ἴστρου καὶ αὐτοὶ καὶ οὓς νῦν Μύσους καλοῦσιν. ἀφ' ὧν ὡρμήθησαν,

καὶ

καὶ οἱ νῦν μεταξὺ Λυδῶν καὶ Φρυγῶν, καὶ Τρώων οἰκοῦντες Μυσοί. Sed haec hactenus.

In eo versu [139.]

Tum laqueis captare feras, & fallere visco.

Ibi *viscum* pro *rete* ponitur. Ad id probandum nihil de meo addam. Tantum adponam Nonii verba [*pag.* 498. *inter Gothofredi Auctor. L. L.*]: ne decipi nos sinamus a Servio, atque ab aliis interpretibus de aucupio hic, non de venatione male accipientibus. *Viscum positum pro rete a tenacitate. Var. Parm. Lepusculi timentes hoc quadrangulum Dedit Diana, rete nexile, ἄρκυας, Viscum, sagenam, lineamque compedem.*

Libro ejusdem Virgilii operis III. [*vs.* 559.]

Nam neque erat coriis usus. nec viscera quisquam
Aut undis abolere potest, aut vincere flamma.

Interpretes exponunt secundum versum, *Nec lavari, nec coqui poterant.* Quid? si nos intelligamus & explanemus viscera exstinctarum ea lue pecudum neque coqui ferventibus in aheno aquis (elixa vocant) neque flammis assari, & in veribus torreri poterant. Inde carnes assae. Quorsum enim laves viscera, si non esui pares? Certe etiam legumina madescere dicuntur, quae facile coquuntur.

Libro IV. [*vs.* 6.]

In tenui labor: at tenuis non gloria: si quem
Numina laeva sinunt.

Quem, ibi parelcon est: ut non semel apud eumdem poëtam legere est, *qua..*

Eodem libro. [*vs.* 277.]

—— —— Tonsis in vallibus illum
Pastores, & curva legunt prope flumina Mellae.

Exponunt interpretes alii: *Tonsis*, *apricis.* alii: *Non silvosis. unde econtra est, Intonsi montes.* Ego

 vero

vero interpretor densis, herbosis, vestitis, virentibus. Ipseque sibi est interpres Virgilius eo versu *lib.* I. *Aenëidis* [*vs.* 706.]

—— *Tonsisque ferunt mantilia villis.*

Ubi sine dubitatione vox haec *Tonsis* accipienda est pro novis & pexis, id est, quibus villi usu non sunt detriti. Contra togae, quibus vetustate, usu, atque habendo pili sunt detriti, *Decotes* adpellantur, auctore *Festo* [in voc. *Decotes.*]

Hoc, quod additurus sum, parergon quidem est: praeterire tamen non debeo. Florem, de quo loquitur Virgilius [*Georg.* IV. *vs.* 271.], & cui a Mella flumine agri nostri Brixiani agricolae nomen fecere *Amellum* vocantes, existimari ab auctore Glossarii veteris [*inter Glossaria Vulcanii p.* 15.] esse, quem Graeco vocabulo *Melissophyllon* dicimus. Sic enim scribit: *Amellum*, Μελίφυλλον. Ego, cum intelligam, *Melisphyllon*, sive *Melissophyllon* sive *Melittenam*, esse Latinis *Apiastrum*, quod apibus sit gratum, videamque hoc nostrum Melissophyllum nihil habere adfine descriptioni Virgilianae (est autem hortense olus, quam Melissam pharmacopolae vulgo vocant) statuo hic nihil, neque litem meam faciam. Ceterum de bono malove auctore ego emerim, cum Glossarium citavi, judicent alii.

Lib. III. ad illum versum. [39.]

Immanemque rotam, & non exsuperabile saxum.

Servius sentit recte, qui active positam vocem hanc *exsuperabile* scribit. Q. quoque Claudius apud Agellium *lib.* XVII. *cap.* 2. in eodem sensu utitur. *Virum fortem & exsuperabilem Respublica sensit.* Sic Terentius Phormione. [I. 4. 49.] *Justam & vincibilem caussam* active dixit.

C A-

CAPUT IV.

Aenëidis Virgilii Actio una. De Poësi & Epopoeia. Virgilii gravis error. Horatium falli. Historiam esse fundamentum Epopoeiae & Tragoediae. Horatii versum male a Servio explicatum.

At, & Ast.

Quae caussae moverint Varium & Tuccam ad tollendum primos quattuor versus principii Aenëidis. & rectene id fecerint.

Inchoaverat Virgilius Aenëidem suam his verbis:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egressus silvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis
Arma, Virumque cano: Trojae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora: multum ille & terris jactatus & alto,
Vi superum, & saeuae memorem Junonis ob iram.
Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.

Duo hic mihi quaerenda proposui. Quae sit Actio Aenëidis; & unane sit, an duae. Deinde rectene Varius & Tucca primos quattuor principii versus de Virgilii principio amoverint. Obiterque inseremus quaedam a re non aliena. Temperare tamen

men mihi non possum, quin prius vehementer admirer: neminem hactenus animadvertisse insignem errorem Virgilii: cui habenda erat in propositione ratio non armorum & belli, sed viri tantum. praesertim cum admonitorem haberet Homerum, initium Odysseae, quod hic exprimit, sic ordientem: *Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον. Totum enim argumentum operis incumbit in, *Virum:* nam ridiculi sunt, qui hoc vocabulo, *Virum*, errores exponunt. Quod enim jus adfinitatis, aut vicinitatis est verbo *Virum* cum erroribus? Deinde Actiones duas Aeneïdi tribuerent Bella & Errores; quae duo incommoda Aeneae quaerenti & adepto Italiam sunt exantlata: cum Poësis & Epopoeia unius tantum Actionis sit Narratio. Actionis quidem verbum nusquam isti nominant: quod faciendum fuit. Nec obliteratione primorum IV. versuum remedium ullum est adlatum peccato huic. remanet enim τὸ *Arma:* quae vox omnino superat hic, ut dicetur. altiusque quiddam spectaverunt Varius & Tucca, animum ad Actionem intendentes. Cujus virtus nisi sit cognita, totus hic impensus labor est inanis. Est autem Actio quasi anima poëmatis. eaque unicuique poëmati una. ut ridiculi sint, qui, cum Aeneïs sit Narratio adventus Aeneae a Troja in Italiam per imitationem, duas Actiones Aeneïdi adplicent, quando *Arma* Bella, & *Virum* Errores interpretantur. cum Epopoeia sit unius (ut dictum est) tantum Actionis Narratio per Imitationem. Nec intelligunt isti, hoc facto se duplici crimine Virgilium poëtam eminentissimum onerare, Desertoris scilicet, & Contemptoris. Desertoris, quod ab exemplo Homeri discederet, qui est

Helice, & clari Septemtriones.
Quo fidunt duce

omnes

omnes prudentes poëtae: & a cujus poëmatis Plato & Aristoteles conscribendae, atque adeo constituendae artis poëticae praecepta hauserunt. cujusque ipse Virgilius toto suo poëmate est sedulus imitator & aemulus. Contemptoris vero doctrinae utriusque Platonis & Aristotelis: qui unius tantum Actionis cantorem esse volunt Epicum poëtam. A quo utroque crimine Virgilium pro viribus vindicare in animo est. Sed operae pretium est prius praefari paucula de Poësi & Epopoeia: in qua principem inter Latinos poëtas locum Virgilio omnes tribuimus meritissimo. Ita hoc jacto tamquam fundamento, fidentius & certius inaedificari poterunt, quae intendimus reliqua.

Definimus autem primum Poësim esse Narrationem unius Actionis per Imitationem cum suavi oratione.

Epopoeiam vero, heroico carmine Actionis unius Narrationem per imitationem cum delectatione. (*a*)

Quae definitiones si verae sunt, ut certe sunt, quemadmodum demonstrabimus, sequitur, bono Epico poëtae (quamquam tamen Tragicus & Comicus idem sequuntur) unam tantum, & quidem unius Actionem in uno Poëmate esse tractandam. Praeter exemplum Homeri in utroque opere, ut ostendemus paullo post, praecipit etiam Aristoteles id esse faciendum in his, quae sola ex multis, quae edidit de Poëtis & de Poëtica, nunc supersunt sive seorsum scripta interrupte praecepta: sive fragmenta libri amplioris: qui perierit, sive commentarii provisi ad confectionem plenioris & consideratioris operis: sive ex pluribus scriptoribus

(*a*) Hic in margine primae editionis habebatur. *Poterat omitti, cum delectatione.*

bus adnotati loci: ſive liber eſt dicendus: qui nunc ſtudioſorum manibus teritur, doctiſſimorum aetatis noſtrae virorum acutiſſimis expoſitionibus inluſtratus. Ibi ille philoſophus (ut ex pluribus libri illius conlatis locis conligitur) ſentit, Poëſim eſſe unius Actionis imitationem. Quam doctrinam ſecuti ſunt ex antiquis Strabo *lib.* I. [*p.* 29.] & Plutarchus de Audienda Poëtica [*Tom.* II. *p.* 17.] ex novis univerſi (quos quidem meminerim legere) qui materiam hanc tractaverunt. Plato *lib.* III. de Republ. [*p.* 298. *Ed. Stephani.*] id ante illos ſenſerat, praedicans fieri non poſſe, ut quiſquam multa, ſicut unum recte imitetur: excidereque univerſis, qui multa ſit conatus. ſcripſerat, inquam, Plato idem, ſed cum additamento vocabuli *Narrationis* prorſus neceſſario, tradens: Epicos poëtas Narrationem per imitationem facere. Quam ſententiam cur Ariſtoteles & reliqui non ſint ſecuti, juſtae cauſae ſunt, cur mirentur docti. Primum Homerus, quem cum univerſi, tum uterque Plato & Ariſtoteles meritis laudibus ſaepe extollunt, exemplo ſuo docet, *Narrationis* verbum in definitione Poëſis eſſe neceſſarium: & ſane quid aliud eſt in Odyſſea ἔννεπε, & εἰπὲ, niſi *Narra*? Quid in Iliade ἄειδε, niſi *cane* & *narra*? Quid aliud idem in Odyſſea, niſi hiſtoriam reditus Ulyſſis a Troja in Ithacam? In Iliade hiſtoriam irae Achillis ad Trojam per Imitationem narrat? Omnino Epopoeius (quod & Tragico propoſitum eſt) argumentum ſumit ex veritate, ipſo Ariſtotele idem docente. Strabo quoque *lib.* I. [*p.* 38.] cum pluribus verbis in hanc ſententiam diſputavit, tandem ſic concludit. Ἐκ μηδενὸς δὲ ἀληθοῦς ἀνάπλειν καινὴν τερατολογίαν οὐχ Ὁμηρικόν. Tum ſi Epopoeius habet hiſtoriam ſui poëmatis fundamentum, ut diximus,

&

& alibi etiam dicetur cum aliquo utili corollario, illi etiam propositum esse debet sequi (quantum artis & fabulae ratio patitur) naturam historiae. Historia autem, ut verbum ipsum ἱςορέω, unde nomen habet, declarat, Narratio est rerum gestarum. Itaque egregie Suidas Epopoeiam exponit esse metro heroico scriptam historiam. Quid? Epopoeius est ne totus semper in imitando occupatus, ut Tragicus & Comicus? Minime vero. immo frequenter ille ipse ex se ipso loquitur, sicut est omnibus manifestum. Ut non fuerit statuendum, in Imitatione tantum versari debere Epicum poëtam. Tanta autem est vis veritatis, ut ea Aristotelem ipsum adigat non semel Poësim διήγησιν & ἐπαγγελίαν adpellare. Ubi etiam agit de differentia Epopoeiae atque Tragoediae [*de Poët. cap.* 24.] sic scribit: Ἐν δὲ τῇ ἐποποιΐᾳ, διὰ τὸ διήγησιν εἶναι. Ex his igitur universis, quae diximus, satis adparet, *Narrationis* verbum in definienda Poësi esse necessarium.

Sed ad ea, quae de Actione Aenëidis inchoaveramus, aliquid amplius addamus omnino non omittendum. Unde scilicet historiae narrationem ordiatur Virgilius, cum aliquot aliis scitu dignis rebus.

Si igitur Poësis & Epopoeia est unius Actionis narratio, ut dicebamus, ergo pariter unum tantum argumentum in Aenëide, & unam historiam agnoscere debemus: quae est Narratio, ut diximus, adventus Aeneae a Troja in Italiam per Imitationem. Cujus tamen propositio non pauculis illis verbis: *Arma*, *Virumque cano*, sed universis XI. prooemii versibus primis continetur, & significatur. Quod ab Homero in Odyssea factum viam Virgilio sedulo imitatori ad sequendum monstravit. Quamquam autem uterque Homerus, & Virgilius in exordio promittit initium Actionis, ille Odys-

ſeae, hic Aenëidis ſtatim ab exſcidio Trojae (hoc enim interpoſuiſſe confert non parum) tamen neuter Narrationem incipit ilico ab abitu a Troja: ſed ille a diſceſſu ab Ogygia Calypſonis inſula Ulyſſis: hic exemplo Homeri, & arte Epopoeiae magiſtra, quae non ab ultimis initiis, verum prope ab extrema hiſtoria docet Actionis principium poëmati dare, a Sicilia Aeneae, ultimo ſcilicet utriusque errorum anno fabulam inchoat. Ut vero nota eſſet reliquarum ingentium aerumnarum hiſtoria, quas aerumnas per tam longum tot annorum ſpatium poſt diſceſſum a Troja uterque heros hactenus pertuliſſet, commodam amplamque narrandi occaſionem dederunt adcenſi deſiderio noſcendi reliqua univerſa Alcinous Corcyrae Ulyſſi: Dido Aeneae Carthagine. Ita tum demum ad initium rediens ſic orditur Ulyſſes. *lib.* IX. [*Odyſſ. vſ.* 37. *ſeqq.*]

Εἰ δ᾽ ἄγε τοι καὶ νόστον ἐμὸν πολυκηδέ᾽ ἐνίσπω.
Ὅν μοι Ζεὺς ἐφέηκεν ἀπὸ Τροίηθεν ἰόντι.

Aeneas quoque *lib.* III. [*vſ.* 9. *ſeqq.*]

Et pater Anchiſes dare fatis vela jubebat.
Litora tum patriae lacrimans, portusque relinquo,
Et campos, ubi Troja fuit: feror exſul in altum
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & Magnis Dis.

Haec pluſcula interpoſui: quia non ſatis mihi probat ſententiam ſuam Caſtelvetrus acutiſſimus Ariſtotelis Poëticae interpres. qui conatur demonſtrare, Actionem Odyſſeae non a Troja, ſed ab Ogygia: & Aenëidis non a Troja, ſed a Sicilia inchoare. Quod cum facit, ut alia incommoda ſileantur, contraria prorſus propoſitioni utriusque poëtae tradit: qui diſerte a Troja inchoare ſe teſtantur. Nos, ne cum Caſtelvetro dicamur inanes acuminis & doctrinae rumuſculos aucupari: & velle

velle videri vidiſſe plus in negotio alieno, quam principes poëtae viderint in ſuo, conſervemus Homero reditum Ulyſſis a Troja in Ithacam, Virgilio diſceſſum Aeneae a Troja in Italiam: hiſtoriam apertiſſime ab utroque poëta in ſuis prooemiis promiſſam, & in narrando per totum opus egregia cum fide perſolutam.

De Actione diximus. Nunc cauſſas perquiramus & expendamus: quae Varium & Tuccam moverunt ad tollendum de principio prima quattuor prooemii carmina. Magnas gravesque fuiſſe cauſſas eas neceſſe eſt, quae tantos viros ad id audendum compulerunt; quasque hactenus vidit nullus: certe protulit & explicavit nemo. Arduum etiam eſt, & fortaſſe temerarium, de ſenſu & judicio cujusquam, ex tanto intervallo, nullis praeſertim exſtantibus facti judiciis judicare. Magnas, inquam, & graves oportet fuiſſe cauſſas, quae viros illos moverint ad ſuſcipiendam illam mentem & voluntatem: cujus impulſu uterentur adeo ſevera ratione curandi, ut ſtatim in ipſo limine Virgiliani libri, & in ipſo initio operae atque animadverſionis ſuae expedienda ſibi judicaverint horrenda & dira ferramentorum miniſteria: & (quemadmodum οἱ τῶν ἰάτρων παῖδες in deſperatis membrorum morbis conſueverunt) ſibi ad ſacram chirurgiae anchoram adcurrendum ſtatuerint: hoc facto judicantes, nulla alia ope, niſi reſecto capite laboranti principio ſuccurri poſſe. Haec quidem ita ſe habent, tamen mihi videor excogitaſſe pulchram, gravem, & fortaſſe germanam & certam facti cauſſam, quam ego diu tectam & tacitam occultare amplius & ſilere non debeo. eſtque haec.

Non probaverunt in principio operis, periti artis poëticae, excellentes ipſi poëtae L. Varius, &

Plo-

Plotius Tucca professionem praedicationemque personae auctoris Aeneïdis. Norant Epopoeiam δραματικὴν potissimum esse: & in imitatione maxima ex parte versari, & consistere: & per inductas personas narrando fabulam peragere. Itaque Demetrius de Homeri Iliade loquens δρᾶμα illam nominabat. Norant, inquam, Poëtam raro immiscere se: nec fere nisi prooemii, & implorandi numinis, & conjungendi caussa inductarum personarum conloquia ipsum loqui. Hinc frequentissimum, & ignaris poëticae artis immerito odiosum illud apud Homerum, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. Laudaturque idem Homerus hoc nomine etiam plus ceteris: & magis poëtam, quam reliquos in hac quoque parte esse Aristoteles [*de Poët. cap.* 13.] praedicat. ut inepte cum Servio apud Virgilium [*Georg.* II. *vs.* 475.] illi faciant: qui versum illum [45.] Horatii in Epistula ad Pisones

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

exponunt: poëtam debere judicium sensumque suum re vel probanda, vel damnanda ostendere. quorum opinio prorsus est rejicienda: quippe quae imitationem maxime imminuat. Si ergo (ut ad propositum revertar) offendit, & ab arte discedere judicatur poëta, cujus persona frequenter & ultra illas occasiones, quas narravimus, loquitur, quanto evidentius graviusque peccat in Epopoeia ille, qui se profitetur, & indicat? & poëmatis auctorem praedicat? quam rem facit hic Virgilius his primis versibus:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egressus silvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis
Arma, virumque cano.

quo

quo genere gloriandi etiam utitur in fine Georgicorum, ſic canens:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope ſtudiis florentem ignobilis ocI.

Certe Homerus in tam longo utriusque fabulae carmine, aut alio, quod meminerim, poëmate numquam, ne nutu quidem ſe indicat: nedum auctorem poëmatum prodat: niſi forte in ſe jocatum eſſe velimus credere eo verſu. [172. *Hymni in Apollinem.*]

Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

Hinc illa Varii & Plotii ad noſtrum poëtam chirurgica ἐπικουρία. hinc illa capitis amputatio. At, obiciat aliquis: non ſolus, neque primus Virgilius hoc fecit. Orpheus apud Graecos in ſuis Argonauticis quoties ſe oſtendit & canit? Ovidius apud noſtros, & certatim poſtea alii multi teſtimonio ſe ſuo legentibus produnt.

Nil agit exemplum, litem quod lite diremit.

reſpondeo ego. Deinde rationibus, non auctoritatibus in hujusmodi diſceptationibus eſt pugnandum. ne ſileam, eſſe quidem Orphei nomen apud Graecos maxime celebre, & cum veneratione cantatum. qui tamen teſtimonio Dionyſii atque Ariſtotelis nusquam umquam fuit. Et quae Orphei nomine circumferuntur ſcripta carmina, ea ad alios certos referuntur auctores. quorum, aut cujusuis alterius praeſertim deterioris κόμματος adlatum teſtimonium non poteſt Epopoeiae verecundiae neceſſariam imitationem vel tantillum labefactare. Ex his adlatis rationibus conſtant cauſſae ſublati a Vario & Tucca principii Aenëidis.

Statuamus igitur, quoniam Homerus, qui eſt exemplar Epopoeiae, fabulas perpetua (quantum quidem natura ipſius Epopoeiae patitur) imitatione

ne peragit: neque umquam se nomine aut indicio alio ullo ostendit: quoniamque illi poëtae maxime commendantur, & boni poëtae praedicantur, qui ad rationem poëmatum Homeri sua poëmata maxime conformant: quoniamque hac in parte Virgilium vel neglectione, vel imprudentia, vel judicio recessisse praedicatione sui nominis ab Homeri exemplo & a doctrina Platonis atque Aristotelis, & ab artis Epopoeiae ratione Varius & Tucca animadverterunt, idcirco quattuor illos versus jure sustulerunt primos. Illud sane miror, non eadem esse usos animadversione in pari Virgilii licentia, cum alibi fortasse, tum in illis versibus, qui nunc occurrunt: quos ex persona poëtae ipsius, non ex persona ficta dictos, ut adponam argumentum hujus disputationis omnino postulat. *Libro* igitur IV *Aeneïdis* [*vs.* 65. *seqq.*] sic est.

Heu vatum ignarae mentes: quid vota furentem,
Quid delubra juvant?

Eodem *lib.* [*vs.* 408. *seqq.*]

Quis tibi tum Dido cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus? cum litora fervere late
Conspiceres arce ex summa? totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor?

Lib. VII. [*vs.* 733. *seqq.*]

Nec tu carminibus nostris indictus abibis
Oebale.

Lib. IX. [*vs.* 446. *seqq.*]

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Adcolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Lib. X. [*vs.* 185. *seqq.*]

Non ego te, Ligurum ductor, fortissime bello,
Transierim, Cygne: & paucis comitate Cupavo.

Eo-

Eodem *lib.* [*vs.* 791. *seqq.*]

Hic mortis durae casum, tuaque optima facta,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te juvenis memorande silebo.

Eodem *lib.* [*vs.* 501. *seqq.*]

Nescia mens hominum fati, sortisque futurae,
Et servare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista, diemque
Oderit.

Omnibus, inquam, in his locis hi versus censuram eamdem meruerunt: quoniam nullam imitationis ne umbram quidem, sicut nec illi primi, habent. Sed fortasse emicans splendor orationis opportune ac decenter a longa imitatione alio conversae visa est L. Vario, & Plotio Tuccae digna dissimulatione & venia. Certe, ut Smaragdus in pala aurei anuli pulchritudinem reddit pleniorem & blandiorem, ita ibi eae conversiones quantum studia legentium aut audientium expergefaciunt, excitant, & tollunt? & mistura privati poëtae sensus quantum adficit animos jam per se ipsos dolore aut laetitia commotos? ut quantum a praescripto artis hac libertate atque audacia sit recessum, tantum ornamenti, adcessione hujus Veneris & Gratiae sit ad Orationem additum. optima igitur ratione (quamquam quomodo optima, ubi uritur aliquid aut secatur? &, si mala est medicinae curatio, ubi aliquid naturae perit, certe illa pessima, ubi capiti) sed tamen optima ratione Varius & Tucca amoverunt primos quattuor versus, alienam ab imitatione Epici poëtae professionem & ostentationem sui indicati nominis continentes. optima (inquam tertio) ratione: si ubique voluissent, aut potuissent, aut admoniti essent idem praestare. eo

aut

aut consilio, aut facultate destituti debuerunt, ibi nihil audendo, suum poëtae judicium relinquere. Haec est mea de facto Varii & Plotii in hac parte opinio. Quod ad duas illas voces adtinet, *Arma Virumque*, persevero in sententia: vocabulumque *Arma* supervacuum omnino: & in duplici actione promittendo peccasse poëtam, judico.

Amplius superpondii loco addamus. Ab eadem, qua Virgilius, forma dicendi orsus est incertus ille poëta: quem Horatius a connexa continuataque inter se plurimorum librorum, & idem fortasse argumentum habentium congerie *Cyclicum* adpellat [*Art. Poët. vs.* 136.]

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Etiam parvae Iliadis auctor, qui Stasimus putatur, simili exordio est usus.

Ἴλιον ἀείδω. καὶ Δαρδανίην ἐρατεινήν.

ut non adimendum sit idem jus Virgilio, quod Cyclicus ille & Stasimus multo ante sibi sumpserunt. praesertim cum in Virgilii versu verecundia sit inlustrior: qui duobus tantum verbis his, *Arma Virumque*, rem unam demonstrat: illi incisis binis.

Quod adtinet ad confirmandum, unam tantum esse actionem Aenëidis, ad hoc testimonium etiam dicunt veteres graves poëtae. (Propertium excipio: qui personam & rem conjungens, tradensque, non quid facere debuerit, sed quid fecerit Virgilius, sic scribit. [*lib.* IV. *Eleg.* 25. *vs.* 63.]

Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma.)

Sulpicius Apollinaris. [*in Pithoei Catal. Lib.* 2. *p.*57.]

Jusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere Ducem.

Cornelius Gallus Virgilii jucundus sodalis. [*ibid. p.* 58.]

Sed

Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellus:
In quibus Aenean condidit ore sacro.

Ecce hic utrobique de Armis nihil: de Viro omnia. Ne illa quidem opis Musae imploratio *lib.* vii. facta est a Virgilio ad novi vel diversi operis exordium significandum. Sed quia majora superioribus opera tractanda sequebatur, quorum expositio etiam propter vetustatis longinquitatem, & propter varios, obscurosque casus & eventus ad explicandum, atque fidem & auctoritatem comparandam humani ingenii atque industriae vi, atque acumine visa est altior atque inpeditior, idcirco versibus illis, qui supra positi sunt, subsidium poscit a Musa exemplo Homeri: cui ad recensendum nomina & numerum navium, ducum, & copiarum, negocium multiplex, varium, & vetustate prope obliteratum, ad opem numinis confugiendum fuit pluscu-lis versibus: quorum initium est.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.

quem morem saepe toto opere usurpat uterque poëta in narrationibus visis opem humana ope instructiorem postulare.

Quod ad duas illas voces adtinet, *Arma*, *Virumque*, persevero in sententia: vocabulumque, *Arma*, supervacuum omnino judico.

Cum haec commentarer, forte adcidit, ut Antonius Trottus Bentivolius patricius Alexandrinus domum ad me salutandi & visendi gratia veniret: quod facit ille saepe grata recordatione memoriam conservans meae in se erudiendo diligentiae: dum stipendia disciplinae nostrae cum laude & feliciter adolescens mereret. Serit ille varios mecum sermones: & cum maxime se a me adtente audiri animadvertit, tunc a proposito data opera deflectens, laudare se ait omnem vitae meae rationem,

una re excepta. abuteris, inquit, Matti modestia: & in ea adhibenda extra modum nimium quantum exsilis & prodis: quasi consulto id facias: quo probes, non satis recte sentire Romanae eloquentiae atque sapientiae principem: qui nullam in modestia, quae est reliquarum virtutum omnium gratissimum temperamentum, exsuperationem agnoscit: cum aliae omnes virtutes medium sint inter duo extrema vitia. Dicam ἀμαθέστερον, καὶ σαφέστερον. Tu in utenda amicorum liberalitate modum adhibes adstrictum nimis & parcum; raroque, & quasi refugiens, ad tui cupidissimos adcedis. Abige quaeso ingratam mihi contationem istam, & inutilem verecundiam hanc jube aliquando tandem longius valere: & quae sunt facultatis & virium mearum, omnia tibi ex locupletissimo penu meae voluntatis juvandi tui ample & audacter prome. Laudis ego avidiusculus sum: fateor enim ingenue verum. Eam, si fortunas meas putabis tuas, &, si illis libere frequenterque uteris, hauriam ex sincerissimo fonte largitatis mihi natura ingenitae, & usu auctae. Nulla est magis certa nec magis compendiaria ad gloriam via, quam benefaciendi. Haec, & hujusmodi multa saepe mecum non gloriose & jactans, sed sentiens, disputat Trottus graviter & docte: edens interdum signa dolentis animi, si quem sibi in desiderio gloriae certare animadvertat. ad quam semper spectans per parentis & patrui, Excellentissimi & Sanctissimi viri, Guarnerii Trotti Bentivolii, hujus civitatis Episcopi, & reliquorum majorum vestigia pleno gradu alacriter incedit: quorum in sanctiore Larario, & per ampla atria expositas habet imagines: in quas intuens ad eorum exemplum se fingit & format. Et fortasse paucae hic familiae sunt (ut Bacienos, Capuanos,

Fer-

Ferrarienſes, Florentinos, Foſſanenſes, Mediolanienſes, Neapolitanos, Placentinos, Taurinenſes, univerſos a Caſtellatio Alexandriae oppido antiquo, & propter pomoerii amplitudinem & incolarum frequentiam urbis inſtar, oriundos praeteream) fortaſſe, inquam, hic in urbe plena nobilium exemplorum, tot probitatis, doctrinae, innocentiae, honorum, dignitatum, & imperiorum inſignia oſtentare poſſunt. quorum omnium virtutes, & res magnifice geſtas perſequi ſcribendo operae majoris, & ocii, temporisque diuturnioris impenſam poſtularet. Attamen Guarnerium Trottum Bentivolium Praeſulem noſtrum univerſi vos noviſtis, qua integritate, Deus bone? qua doctrina? qua ſanctitate? qua innocentia hominem?

Nondum agitur octavus annus, peracto cenſu a Quaeſtoribus Regiis, relata ſunt equitum gravis armaturae inventa capita LX. ex gente Trotta. Vix ſingulae civitates, ſevera exactione, turmam unam poſſunt conficere. una gens Trotta duas dedit.

Ominemur bene manibus Facini Canis: qui capta per proditionem Alexandria ingentem ubique, ſed inſignem in familia Trotta ſtragem dedit, imitatus Joannis Narbonenſis Comitis Armeniaci facinus, qui paullo ante idem, ſed re infecta, tentaverat. Quippe cujus univerſus exercitus Jacobo Verminenſi duce ab Alexandrinis, ante urbis moenia, aequo & aperto campo, ducentibus copias Trottis, quas multas & bellicoſas coëgerant ex clientelis, quae illis fuerunt in patria, & alibi, captis Ducibus occidione occiſus eſt.

Ex hac gente ab hinc CD. annis, & amplius, exſtiterunt tota Italia plurimis annalium atque hiſtoriarum monimentis celebrati, Jurisperiti ab omnibus Italiae gymnaſiis certatim ad ſe magnis praemiis vocati,

Oratores, Philoſophi, Scriptores in omni idiomate & facultate docti & eloquentes, Magiſtratus, Centuriones, Tribuni militum, equitum gravis & levis armaturae Praefecti, magnarum copiarum Duces, ampliſſimarum tota Italia civitatum Rectores, Supremi cum imperio & poteſtate exercituum Imperatores, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Hieroſolymitani atque aliorum ordinum & religionum Equites, Comites, Proreges, Principum ac Regum Vicarii, Procuratores Regii a Gallis Mareſchalchi adpellati, a Secretis, & Conſiliarii, Legati ad maximos Reges, Respublicas, Imperatores, & Pontifices Max. Reginaldi, Petri,. Roberzoni, Franciſci, Andreini, Gabrieles, Joannes Galleacii, Boni Joannes, Antonii, Andreae, Baptiſtae, Galleacii, Facini, Garganiſii, Marci, Baldaſſares, Bernardi, Joannes Aloyſii, Aloyſii, Luchini, Bernardini, Friderici, Nicolai, Alberti, Emanueles, Matthaei, Joannes Auguſtini, Camilli, Sfortiae, Joannes Baptiſtae, Ludovici, Guarnerii, Alexandri. Ad reliquorum veterum Trottorum enumerationem, qui alicujus virtutis laude nomen ſunt conſecuti, libenter adcederem. ſed videor videre, ſiſti mihi ante oculos centum capitum beluam: ad quam domandam & conficiendam imploranda eſt opera atque auxilium Iolai mei Gulielmini Schiavinae, Sacerdotis Canonici fani Max., cum omnis hiſtoriae, tum in primis Alexandriae patriae ſuae ſcientiſſimi. Ille pro ſua in me benevolentia & obſervantia (fuit enim alumnus Scholae meae) gratiam hanc, ſed ad finem, me libente, &, ut ſic fiat, poſtulante libenter inibit. Interea ego hic aliquot viventes recenſebo; quamquam de iisdem cum multis aliis in fine mentio iterum habenda eſt.

Flo-

Floret nunc Antonius Trottus Bentivolius Fresonariae Dominus: de quo supra diximus, & paullo post latius dicemus.

Est cum fratre Comes Ludovicus Trottus Bentivolius virtutibus morum atque naturae ornatissimus, magnificentia & animi altitudine magnis regibus comparandus: qui tunc se diem perdidisse dolens praedicare solet, in quo non aliquem re aut opera sublevarit sua.

Clarus est in scientia & exercitatione armorum Galleacius pater, & Aloysius filius Trotti Bentivolii, qui Philippo Regi invicto fortissimis nunc Italorum, nunc Germanorum copiis, omnibus in bellis, ubicumque illa gerantur, Tribuni militum strenuam, fidelemque operam navant.

Albertum occupat res non tam familiaris, quam publica: quam non habet fortunis suis inferiorem.

Aymonetus Trottus veteranus centurio, qui multis emeritis stipendiis, annis & auctoritate virtute parta gravis incedit.

Alexander in subalpinis Liguribus contra Sabaudienses, qui seditione facta ab Duce Carolo Emanuele, sumptis armis rebellaverunt, secutus fidem Amadei Valpergae Comitis Masini mei veteris patroni stipendia cum honestis titulis meret.

Lucianum Dux Sabaudiae intellecta ejus in armis prudentia & robore ad se evocavit, honore & stipendio centurionis decoratum.

Antonius, Joannis Augustini filius, gravis armaturae Eques.

Franciscus Bernardinus, gravis armaturae Eques.

Alexander Juris peritus in curia & foro operam praestat adsiduam & fidelem.

Joannes Nicolaus Juris peritus, Latine Graece-

que eruditus, qui Musam Homeri docuit non minus Latine, quam Graece canere, fortunas suas saepe adcusat: quarum procuratione interdum a studio doctrinarum, quas a puero adamavit, invitus & maerens abstrahitur.

Multi quoque alii se mihi offerunt. sed fidei meminisse debeo, quam initio dedi, cum brevitatem promisi. Attamen injurius mihi ipse sim, nisi cum Joannne Baptista filio Jureconsulto semper in honestissimis advocationibus occupato, cui a puero senilem auctoritatem singularis prudentia comparavit, Camillo patri Mediolanii Regio Senatori, ornamento & columini sanctissimi illius ordinis, ad quem per omnes gradus duce virtute, conscendit, Musarum patrono, meique amantissimo hic in fine recensionis honestissimum locum tribuam. Consulto sedem hanc illi reservavimus, imitati peritissimorum Ducum consuetudinem: qui fortissimo cuique militi postremum in acie adsignant locum.

Claudat igitur Camillus Castellacius Trottus, tamquam Triariorum Primipilus, nobilissimum Trottorum agmen. ominemurque & precemur: ut, quem honorem illi virtus ambit & parat, eum vivente & laetante Mattio consequatur. Sed ad Antonium revertamur.

Ille in animadversione mea in primos IV. principii Aenëidis Virgilii Versus, quos egere conrectione dicebamus, quantum specimen doctrinae & judicii dedit? Ubi laudata & probata prius opera & sensu meo lamentari graviter coepit & miserari iniquam sortem Virgilii: cui, sicubi forte laborare videatur; statim curiosi atque acres animadversores plurimi insurgant: qui non contenti suo judicio (illudque plerumque praeceps est, & teme-

merarium) aliis etiam indicant & produnt. cum interea patronus & adjutor adparet nemo. nemo opitulatur, nemo poëtae caussam suscipit. Tu autem, Matti, tantus tanti poëtae admirator & praedicator non ades? non illum delicias tuas defendis & foves? An miserari satis est, securum reliqui? quin tu totius mentis atque animi intentione cogita & excogita. Tentatum quidem caput est à grassatoribus, non abscisum tamen. nec jacet omnino exsangue & exanimatum cadaver. Spiritus inest. spes sit. Tu, si forte provincia ista fidei & judicio mandetur tuo, quid hic agas? quid consilii capias? Ecquid audeas tua cura dignum? dignum poëta? dignum tuo in illum studio, & caritate? nihil, ἦν δ' ἐγω, post tot saecula, & post tot doctorum virorum hic conniventes (ne graviore verbo utar) oculos tentem, aut audeam. Arbitror tamen eosdem Varium & Tuccam nobilius quiddam in ea censura fuisse conaturos: nisi impositae sibi ab Augusto legi parendum esse omnino statuissent: quae demendi tantum, quod non probassent, dabat, mutandi aut addendi adimebat facultatem. Equidem nisi haec conditio sui eos officii admonuisset, arbitror librum sic inchoaturos fuisse.

Dic mihi Musa Virum, Trojae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Lavinaque venit
Litora.

Si sic esset inchoatum, integra atque egregia emicuisset principii Odysseae Homeri aemulatio. & uno, *Viri*, vocabulo, ut facit etiam Homerus, cum dicit:

Ἄνδρά μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη. *& reliqua.*

actionem operis proposuisset: & plene legi Epo-

 poëi-

poeïcae eſſet obtemperatum. At, inquiet aliquis, imploratio numinis bis fieret: primo,

Dic mihi Muſa Virum.

Deinde,

Muſa mihi cauſſas memora.

At, reſpondebit alius, ſic eſſet Virgilius Homerum imitatus: qui & ipſe, & quidem pari cum Virgilio XI. verſuum numero bis idem facit, cum ſic canit initio Odyſſeae.

Ἄνδρά μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον.

& deinde [*vſ.* 10.]

Τῶν ἁμόθεν γε θεὰ θύγατερ Διὸς εἰπὲ καὶ ἡμῖν.

Quilibet conferens hoc noſtrum principium cum prooemio Odyſſeae non ſolum agnoſcet abſolutam aemulationem, ſed etiam perſpiciet, inſignem decorem, adjumentumque, atque adeo integram incolumitatem aegre habenti principio Virgiliano fuiſſe adlatam.

Idem Antonius, etſi honorificam optabilemque ſortem fatetur eſſe, cenſeri & praedicari laude & virtutibus majorum ſuorum, tamen judicat miſerum eſſe & infirmum praeſidium, habere rationes exiſtimationis & gloriae, a parentibus & avis ſuſpenſas, & de illorum fama totos pendere. Ipſe ſuae ſe gloriae auctorem, ſe ex ſe ipſo aeſtimari vult. Hanc ille eſſe veram, ſolidam, & firmam gloriam indicat. Ad hanc non hereditariam, ſed proprie ſuam, intento animo ſemper conlimat & ſpectat. Huc omnes ſuas cogitationes intendit. Et dum adoleſcit aetas & adcedentes anni ad excellentiores artes, & ad ſtudia negociaque graviora viam ſternunt, & parant, quod habet a cura rerum domeſticarum temporis reliquum, illud cum in equitando & venando, ludicrisque certaminibus: tum in hiſtoriarum veterum & novarum monimen-

nimen-

pimentis lectitandis ponit. Inde locupletem & inlustrem copiam exemplorum ad vitam instituendam & colendam sumit. Audit & me saepe privatim & publice docentem: sodalibusque & comitibus praedicat, nihil esse viro nobili doctrina honestius, seque a me semper auctiorem laetioremque discedere. Quam facultatem ut etiam longius absens habere possit, orat atque obtestatur: ut quam primum hae commentationes meae in communem quidem omnium, sed maxime in privatam utilitatem suam publicentur & exeant: unde, tamquam a mutis magistris semper possit honestissimae frugis lucrum legendo facere. Hilari & prompto animo pollicitus sum (quid enim roganti & efflagitanti Antonio negare Mattius potest?) & nunc me fide libero. Vos meae Vigiliae exitis, utinam felicibus, faustisque auspiciis: certe docti atque amici Antonii judicio, & testimonio comitatae & commendatae.

Inchoavimus a poëtis narrationem hanc. eamdem determinandam Jurisperitis mandemus. Bartholus scribens *ad legem primam D. de Pactis*, dum per oppositionem inlustrare conatur definitionem Pacti traditam a J. C. in haec verba: *Pactum est duorum pluriumve in idem placitum & consensus:* opponit, male interpositam particulam illam, *Et.* quia *Placitum* & *Consensus* idem sunt. interponi autem copulam inter diversa. respondet, figurate locutum fuisse J. C. ac perinde ita esse sumendum *Placitum & Consensus*, ac si dictum fuisset, *Placitus consensus*: subdens. *Ex quo nota, quod quandoque copula cadit inter duo: quorum unum de necessitate inest alteri. & tunc illa duo resolvuntur in unum, sicut Adjectivum alterius. ut in Virgilio. Arma, Virumque cano, id est, Virum armatum.* Sed

Bartholus fuit fortaſſe Juris, quam Grammaticae peritior. Si tamen hujusmodi expoſitionis ipſe auctor fuit. namque multi alii idem tradiderunt. Fortaſſe locum habebit in ejusdem poëtae verſu *lib.* XI. [*vſ.* 747.] *Arma, Virumque ferens.* id eſt, Virum cum armis ipſis.

Addendum etiam hoc eſt. τὸ *At*, in illo verſu,

—— —— *At nunc horrentia Martis*
Arma, Virumque cano. —— ——

παρέλκει, & ſupervacuum eſt. Idem adcidit ſimili & ejusdem ſenſus particulae, *Sed*, in fine prooemii Rhetoricorum ad Herennium. *De re dicere incipiam. Sed ſi te prius admonuero: artem ſine exercitatione dicendi non multum juvare.*

CAPUT V.

Donatus defenſus. Odyſſeam prius, deinde Iliadem ab Homero ſcriptam.

Male accipiunt nonnulli haec auctoris vitae Virgilii, quae à multis Donato vindicatur, verba: *Noviſſime Aenëidem adgreſſus, opus varium & multiplex, & quaſi amborum Homeri carminum inſtar.* Arbitrantur, Donatum his verbis tribuere Aenëidi actiones duas: Errorum ſcilicet & Belli. Sed falluntur. Laudat Donatus frugalem, inſtructam tamen omni copia & inſtrumento abſolutae eloquentiae Virgilii brevitatem: qui, quod Homerus duobus poëmatis eſt perſecutus, ipſe uno poëmate & librorum multis partibus pauciore numero, & Actione una ſit complexus, ſervato Homeri ordine: cui judicio doctorum virorum Odyſſea, non Ilias fuit prior lucubratio.

C A-

CAPUT VI.

Expoſita varie duo Virgilii loca.

Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.
Hinc populum late regem, belloque ſuperbum
Venturum exſcidio Libyae. Sic volvere Parcas.

Verſus Virgilii ſunt ex Aenëid. *lib.* 1. [*vſ.* 23. *ſeqq.*] omnibus noti: in quorum expoſitione diverſi abeunt docti viri. Hic utinam (inquit Cotta apud Ciceronem [*de Nat. Deor. lib.* 1. *cap.* 32.]) tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere. Nec mihi quemquam arguere in animo eſt. Quae traduntur a veteribus & novis Virgilii interpretibus omnibus ſunt obvia: & nulla fere eſt inter eos controverſia. Aliquot alii ὁδοῦ πάρεργον huc aliquid contulerunt. Ex quibus Panvini verba ſupervacaneum eſt ponere: quoniam univerſa ad verbum transtulit ex Sigonio: qui caute & ſapienter ſic ſcribit in libro de Nominibus. [*inter Auctores L. L. Gothofredi. p.* 1415.] *Aemilia ab Aemilio Aſcanii Trojani filio, ut ait Feſtus. Cui rei forte adluſit Virgilius cum ait.*

Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.
Hinc populum late regem, belloque ſuperbum
Venturum exſcidio Libyae. ſic volvere Parcas.

Etenim progeniem Aeneae & Julii vocare videtur Scipionem Paulli Aemilii filium: qui Imperator Carthaginem exſcidit. Populum autem legiones Romanas, quae ab iisdem etiam genus trahebant. Alioquin, ſi progeniem & populum idem dicat, ſupervacanea videatur iteratio. Nihil tamen contra veteres adfirmo. Alii judicabunt. *Plutarchus autem* [*in L. Paulo Aemilio*

p. 256.

p. 256. *A.*] *Aemilios a filio quodam Pythagorae Mamerco dictos ait, qui summo lepore praeditus fuit: quae Graecis* αἱμυλία *dicitur.* Laudo pudentis prudentisque viri verecundiam homini ingenitam, & moribus nimium quantum auctam.

Alii [*Jul. Caes. Scaliger*] vocem illam, *Hinc*, in hoc versu,

Hinc populum late regem belloque superbum
Venturum exscidio Libyae, ——

non exponunt, a Trojano sanguine, sed Adverbium ordinis faciunt: & pro, *Deinde*, accipiunt. Neque *Exscidio*, Dandi, aut Octavum casum pro ad exscidium: sed Ablativum esse judicant: & exponunt, *Exscidio, ab exscidio:* perinde ac si diceremus. Deinde post exscidium Carthaginis, vel etiam propter exscidium Carthaginis, populum venturum, id est evasurum late regem, belloque superbum & inlustrem. Sic primis duobus versibus ruina Carthaginis praedicetur: qua stante nomen & opes Romani imperii numquam fuerint futurae tantae. Sed tentari haec quoque interpretatio potest rationibus, quas aliis excogitandas relinquo.

Posset aliquis putare, duo posteriora carmina non ad Carthaginem pertinere, sed ad plura regna ejus partis Africae, quae Romanis usque ad Atlanticum Oceanum sunt postea adquisita. si tamen haec quoque cura tetigit, solicitamque habuit Junonem. Quod ad locutionem pertinet, *Venturos exscidio*, Julius Scaliger vir plane singularis, nisi filium reliquisset Josephum, virtutem patris feliciter aemulum, *lib.* IV. *cap.* 16. *Poëticae*, sic scribit: *Venturum exscidio Libyae, locutio non vulgaris, eodem filo, quo dicimus, Venire subsidio, aut auxilio. Neque recte Servius interpretatur, ad exscidium: hoc enim languidum. neque venturum significat motum, sed tem-*

tempus tantum: aeque ac si dicas, futurum exscidio, id est, exitio.

Ibidem. [*vs.* 27. *seqq.*]

Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.
Necdum etiam caussae irarum, saevique dolores
Exciderant animo. manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretaeque injuria formae:
Et genus invisum: & rapti Ganymedis honores.
His adcensa super jactatos aequore toto
Troas relliquias Danäum, atque immitis Achilli
Arcebat longe a Latio. multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantae molis erat Romanam condere gentem.

Principium septimi versus est instauratio supra dictarum causarum, & quasi epilogus. in qua figura frequens est Cicero. Namque post plures enumeratas rationes inferre solet. *Ob eas res*, vel, *Ob eam caussam:* ut alias hujusmodi formas illi usitatas praeteream. Sic hoc in loco apud Virgilium verba haec: *His adcensa super:* enumerationem supra dictarum rationum complectuntur: ut jam de obscuritate ulla aut soloecophane ullo amplius suspicandum non sit.

Quod autem ad judicium Paridis de Junone pertinet, Suidas in voce Πάριον tradit: Paridem Veneris encomium fecisse: in quo Deam hanc Junoni atque Minervae anteferret. Inde occasionem fabulae esse apertam.

C A-

CAPUT VII.

Qui ex inferis ad Superos redierint. Cur Saturnus de caelo venisse sit dictus. Latium, & Albula unde dicta. Troja quinquies capta.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit:
Itque reditque viam toties: quid Thesea? magnum
Quid memorem Alciden?

Ad hos tres a Virgilio *lib.* VI. [*vs.* 121. *seqq.*] celebratos, qui ex inferis sedibus ad superos reditum sortiti sint, addantur ex Diodoro Siculo Perithous cum Theseo, & Cerberus ab Hercule vi abducti. Semelen matrem Dionysius a patruo Plutone: Sisyphus a Proserpina suavitate orationis reditum inpetrarunt.

Libro VIII. [*vs.* 319.]

Primus ab aethereo venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademptis.

Ad ea, quae a nonnullis tradita sunt de Saturno Jani, quem Noam dixerunt, filio: & quemadmodum regno pulsus a Jove filio venerit ad Janum patrem in Italiam, visum est non alienum a verbis poëtae adponere verba M. Minucii Felicis ex dialogo, qui inscribitur *Octavius* [*cap.* 22. *in fine*]: quae sunt haec: *Terrae enim & Caeli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus, ut in hodiernum, inopinato visos caelo missos: ignobiles & ignotos terrae filios nominamus.* Quod vero Virgilius & Minucius cum aliis multis dicunt, Italiam a Saturno adpellatam *Latium*, quod ibi tuto latuerit, id omnino a veritate discedit. Nam cum, *Lateo*, verbum Latinum sit, Latina autem lingua multis sae-

saeculis post Saturnum originem habuerit, qui fieri potest, ut verbum nondum natum alterius vetustioris sit parens? Sed scriptores ex libidine hujusmodi derivationes fingunt. Ut Jurisperitis & Grammaticis condonanda sit licentia: qui *Testamentum* dicunt testationem mentis: *Sepulcrum*, quod sit sine re pulchra: cum illud sit, ut *armamentum*, & *ornamentum*, & *condimentum*: hoc ut *Fulcrum*, *simulacrum*, & *lavacrum*. Idem adcidit vocabulo *Albula*: quo nomine olim dictus est Tiberis, voci vetustiori Latino sermone, Aramaeae scilicet.

Lib. IX.

Bis captam Trojam scribit idem Virgilius eo versu *lib.* IX. [*vs.* 598.]

Bis capti Phryges.

At enim Plutarchus in Sertorio [*p.* 568. *C.*] ter captam tradit: & quidem equorum occasione semper. Primo ab Hercule ob equos, quibus a Laomedonte erat defraudatus. iterum ab Agamemnone per equum Durataeum. tertio a Charidemo, duce Ceriobleptae regis Thraciae, equo, qui in aditu portae constiterat, impediente, ne Ilienses portam foribus obcluderent. Addatur captam quarto ab Amazonibus. postremo a Fimbria (quamquam id a Rutulo objectari tunc non poterat.) cujus rei historiam lege apud Appianum Mithridatico [*p.* 345. *edit. Tollii.*]

Lib. X.

Servius in eum Virgilii versum [169.] *lib.* X.

Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Corytum esse scribit *thecam arcus*, quamquam & sagittarum etiam. In Nonio [*cap.* 18. *p.* 800. *inter Auctores L. L. Gothofr.*] duplex est lectio. nam *Corisci*, & *Corici* scribitur. Traditque ille, esse leve missile in modum sagittarum, adfertque ad id pro-

probandum hunc Virgilii verſum. Joannes Diaconus in Clypeum Heſiodi [*vſ.* 128. *pag.* 198. *Ed. Heinſii*] γώρυτὸν ſcribit: & deducit ἀπὸ τοῦ γῶ τὸ χωρῶ, καὶ ῥυτὸν, τὸ ἑλκυςὸν, ἤγουν τὸν τόξον.

CAPUT VIII.

Egregiam apud Virgilium figuram lib XII. *non animadverſam: locumque perperam expoſitum ab interpretibus. Ciceronis locus Philippica* X. *expoſitus.*

Eſt in verſibus, quos adponam, Virgilii *lib.* XII. [*vſ.* 161.] inſignis figura: quae a nullo ex interpretibus animadverſa in cauſſa fuit, ut recte locum non ſint interpretati.

Interea reges: Ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru: cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt
Solis avi ſpecimen. bigis it Turnus in altis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc pater Aeneas Romanae ſtirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo, & caeleſtibus armis,
Et juxta Aſcanius magnae ſpes altera Romae,
Procedunt caſtris.

Servius, quod etiam Donatus, & poſtea alii interpretes ſenſerunt, *Longum* (*inquit*) *Hyperbaton. nam ordo eſt. Interea Reges procedunt caſtris. cetera enim per Parentheſim ſunt dicta.* Fallitur ſine dubio Servius. Etiam Beda in eodem prope errore eſt. Non animadverterunt, haec verba: *Procedunt caſtris:* ad ſolos Aeneam atque Aſcanium referri: qui vere ex caſtris proceſſerunt. Latinus autem & Turnus ille vehebatur, hic ibat ex ur-

be

be. Eſt autem oratio per prolepſim elata, figuram Graecis atque Latinis perinde eleganter uſurpatam. Sic idem poëta *lib.* XI. [*vſ.* 887.]

Excluſi ante oculos, lacrimantumque ora parentum.
Pars in praecipites foſſas, urgente ruina
Voluitur: immiſſis pars caeca, & concita frenis
Arietat in portas.

Livius: *Duae maximae res, altera alteri defuit.* Idem. [*lib.* XLI. *cap.* 18.] *Duo ordinarii conſules, alter morbo, alter ferro periit.* Idem. *Quos populus Romanus conſulem alterum, alterum Praetorem declaravit.* Caeſar *lib.* I. *belli Gallici.* [*cap.* 53.] *Duae filiae, harum altera occiſa, altera capta eſt.* Cic. *Philipp.* X. [*cap.* 6.] *Equitatus, qui in Syriam ducebatur, bipartito, alter eum, a quo ducebatur, reliquit in Theſſalia; ſeque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adoleſcens ſumma virtute & conſtantia ab legato Syriaco abduxit.* Macrobius *lib.* VI. *cap.* 6. *Saturnal.* ad hos verſus Virgilii vidit aliquid, ſed non quantum oportuit. Quod vero ad verba *Philipp. Ciceronis* X. adtinet, operae pretium eſt adpendicem addere. *Equitatus* ibi eſt ſingularis rectus caſus, non pluralis, ut putabat Budaeus *in comment. linguae Graecae.* ob idque *ducebantur* non *ducebatur* legit. quod factum mihi minime probatur. Primum a vetere ſcriptura non eſt temere recedendum: deinde boni auctores cum de equeſtribus copiis agunt, *equitatum* non *equitatus* dicere, id eſt ſingulari numero uti ſolent, non plurali.

Quod porro dicit Virgilius [*vſ.* 162. *ſeq.*]

—— —— *cui tempora circum*
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen. —— ——

numerus XII. radiorum coronae Solis eſt adtributus propter XII. ſigna Zodiaci, per quae percur-

rens Sol annum conficit mensium XII. Hujusmodi diadematum formam, unde acutae pyramidali figura pinnae tamquam radii emicant, est videre in antiquis Regum atque Imperatorum aereis, atque argenteis nummis.

CAPUT IX.

De Ludis ab Aenea ad Actium celebratis. Leucata. Ambracia. Nicopolis. Suetonius inlustratus.

Mos fuit antiquis ducibus, ut perfuncti cum incolumi exercitu periculis, Diis, Jovique Servatori in primis, sacrificiis factis, votisque persolutis gratularentur: & vario ludorum genere exhilarati miseriam praeteritorum incommodorum communi laetitia diluerent & obruerent. Id plane docemur a Xenophonte ultimo libro quarto Anabaseos [*p.* 268.] his verbis: Καὶ ξένια καὶ παρ' ἐκείνων ἦλθον βόες, ἀποθῦσαι τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἡγεμόσυνα, καὶ τοῖς ἄλλοις δὲ θέοις ηὔξαντο. ἐποίησαν δὲ καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ἐν τῷ ὄρει, ἔνθα περ ἐσκήνουν. & paullo post. ἠγωνίζοντο δὲ παῖδες μὲν στάδιον, τῶν αἰχμαλώτων οἱ πλεῖστοι, δολιχὸν δὲ Κρῆτες πλείους ἢ ἑξήκοντα ἔθεον. Hinc Virgilius *lib.* III. [*vſ.* 278.] *Aeneïdis* occasionem celebrandi ludos ab Augusto ad Actium, post victos ibi Antonium & Cleopatram, editos accepit his versibus:

Ergo insperata tandem tellure potiti
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras.
Actiaque Iliacis celebramus litora ludis,
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii: juvat evasisse tot urbes
Argolicas: mediosque fugam tenuisse per hostes.

In

In quorum explicatione Servius decipitur, cum ſcribit: *Leucatae mons eſt altiſſimus in promontorio Epiri juxta Ambraciam civitatem, quam Auguſtus Nicopolim adpellavit, victis ibi Antonio & Cleopatra. Ibi & templum Actio Apollini conſtituit, & ludos Actiacos*: & paullo poſt idem Servius. *Actia litora. ut ſupra diximus, propter Auguſtum haec dicit, qui ludos illic ſtatuit Agonales.* Fallitur, inquam, Servius: Neque enim verum eſt, Ambraciam eſſe eam urbem, quam Auguſtus Nicopolim adpellavit. Namque Ambracia alia eſt a Nicopoli. & utraeque urbes adhuc manent, longoque plurium millium paſſuum intervallo utraque ab altera disjuncta eſt. Nicopolis eſt in ipſo ſinus ſiniſtro ore, Ambracia in ultimo ſinu. Nicopolis nunc *Preveſa* dicitur, Ambracia nunc eſt *l'Arta*. Duo autem promontoria quattuor tantum ſtadiorum intervallo inter ſe diſtantia longis anguſtiis ingens mare medium admittentia ſinum Ambracium faciunt. Actium promontorium a dextra ingredientibus nunc *Cavo Figo* dicitur. In eo eſt urbs eodem olim cum promontorio nomine, nunc *Alcippo* dicta. A ſiniſtra eſt alterum promontorium, in quo eſt Nicopolis. Sic Euſebium Olympiadis CLXXXVII. anno V. *Nicopolis juxta Actium condita & Agon Actiacus conſtitutus.* Hic initio Caeſar caſtra habuit, ſicut in Actio Antonius.

Neque etiam verum eſt, Auguſtum conſtituiſſe Apollini templum & ludos Actiacos ad Nicopolim. Conſtituit ille ad Actium urbem in promontorio Actio e regione urbis Nicopolis, quae eſt in altero promontorio, ut eſt dictum. Quamquam nec templum nec ludos hos in Actio conſtituit Auguſtus: amplificavit ille, & magnificentius exornavit. Antiquiſſimi enim illic ludi fue-

runt cum templo Apollini Actiaco consecrati auctore Strabone *lib.* VII. [*p.* 501.] sic tradente: Ἤγετο δὲ καὶ πρότερον, τὰ Ἄκτια τῷ θεῷ στεφανίτης ἀγὼν ὑπὸ περιοίκων· νῦν δ' ἐντιμότερον ἐποίησεν ὁ Καῖσαρ. Et Suidas in Ἀκτία. Ἀκτία ἀγὼν παλαιὸς ὡς Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ τῶν ἀγώνων δῆλον ποιεῖ. Alios quoque quinquennales ludos, ut dictum est, ampliato vetere Apollinis templo ad Nicopolim constituit Augustus Apollini quidem, sed non Actiaco. Diversum est enim templum Apollinis ad Nicopolim a templo Apollinis ad Actium. Suetonius (ut interim praeluceamus lecturis haec ejus verba in Augusto [*c.* 18.]) silentio praeteritis ludis Actiacis, & Apollinis ibi templo, tantum conditae urbis Nicopolis, & constitutorum ibi ludorum ad ampliatum ibidem templum Apollinis mentionem facit. Quod vero quinto quoque anno celebrarentur ludi Actiaci, quemadmodum & ad Nicopolim, non tertio, ut putat Stephanus de urbibus in Ἀκτία, probant duo Graeci scriptores Dio & Strabo. Verba Dionis *lib.* LI. [*p.* 442.] non pono. interpretis illius ponam: quoniam in praesentia Graeci libri copia non est. *Eadem die Caesar Apollini, qui apud Actium colitur, &c. ludos musicos, & gymnicos, & certamen equestre cum sacro quinquennali &c. constituit, Actiacos ludos illos dicens.* Strabo *lib.* VII. [*pag.* 501.] Ἀποδέδεικται δ' ὁ ἀγὼν Ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια, ἱερὸς τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος. Quoniam autem Latinus interpres Strabonis, egregie situm sinus Ambracii describentis, sententiam non adsecutus Graecae orationis, omnem conrumpit veritatem historiae, quod toto opere frequenter facit, & hic sibi fingit urbium nomina, quae numquam fuerunt, inducitque sensum a Strabonis mente & a veritate historiae longissime remotum, non ab re erit adponere Graeca verba: quae

quae legentem Latinam interpretationem admoneant, ut a fraude caveat. Graeca haec ſunt: [*lib.* VII. *p.* 500.] Ἐν ἀριςερᾷ δὲ ἡ Νικόπολις· καὶ τῶν Ἠπειρωτῶν οἱ Κασσωπαῖοι μέχρι τοῦ κατὰ Ἀμβρακίαν. ὑπέρκειται δὲ αὕτη τοῦ μυχοῦ μικρὸν, Τόλγου τοῦ Κυψέλου κλίσμα. Παραῤῥεῖ δ᾽ αὐτὴν ὁ Ἄραχθος ποταμὸς, ἀνάπλουν ἔχων ἐκ θαλάτlης εἰς αὐτὴν ὀλίγων ςαδίων. Latini vero interpretis haec ſunt: *Siniſtra vero Nicopolis eſt, & Epirotarum colonia Caſſiopaei, usque in ultima ſinus Ambracii, cui ſuper imminet paulliſper a ſinu diſtans Tolgus, cujus memoriam Cypſelus ſtruxit. Praeter eam labitur Arachthus fluvius, per quem a mari ad ipſum Tolgum paucis admodum ſtadiis adverſa navigatur aqua.* Ego ſic verterem: *Siniſtra vero Nicopolis eſt, & ex continenti Caſſopaei uſque Ambraciam. Haec autem condita a Tolgo Cypſeli filio modico ſupra ſinum ſpacio eſt ſita. Juxta eam labitur Arachthus fluvius habens a mari ad ipſam urbem adverſo flumine brevem paucorum ſtadiorum navigationem.* Hinc perſpicitur, quot paucis verbis monſtra edita ſint a tot hominibus, qui in eo vertendo, ne evertendo dicam, laboraverunt.

CAPUT X.

Locri plures. Virgilii locus declaratus aliter atque Servius facit. Strabonis locus reſtitutus.

Cum conſtet inter ſcriptores, Locros Italicos a Graecis Locris eſſe oriundos, tamen controverſia eſt, quibus Graecis Locris (plures enim diviſi certis limitibus ſunt in Graecia Locri) Locros Italos vindicemus. Nos hic breviter de univerſis quaedam opportuna adferemus, quae melius Servio in-

inlustrabunt versum Virgilii. In qua occasione veram lectionem Straboni parvo negocio reddemus.

Locri igitur in Graecia quadruplices fuere. Primi Epicnemii, qui Epicnemidii, & Epicnemidae, & olim Leleges dicti. Alteri Opuntii: Tertii Ozolae, qui & Hesperii: quarti Elei.

Epicnemii a Cnemide monte dicti ultra Parnasum Oetaeos & Malienses adtingunt. Opuntii ab Opunte ipsorum metropoli dicti, ipsi quoque ultra Parnasum incolentes, fretum Euboicum propius spectant. habentque inter alias urbes Narycum, quæ etiam Narycion, Naryx, & Naryce dicitur. Ozolae citra Parnasum & Doriensium Tetrapolim Crissaeum sinum, qui & Corinthiacus dicitur, sedes habuerunt. Ozolis nomen ferunt dedisse teterrimum *putorem* (ὄζειν enim etiam *putere* significat) exhalantem ex tabo Nessi & aliorum Centaurorum defluente ex Taphoso monte, ubi conditi erant, in subjacentes campos. Hi Hesperii etiam dicebantur vel a regione ipsa: occasum enim, si reliquorum Locrorum situm respicias, spectant: vel quod publice signabant anulo, cui Hesperi stellae effigies erat insculpta.

Elei Locri in Elea Peloponnesi ab Opuntiis orti obscuriore fama fuerunt. Paullo tamen aliter tradit Scholiastes Pindari *Od.* VIII. Olymp. ad finem [*Od.* XI. *vs.* 15.] sic scribens: Ἔθνη Λοκρῶν εἰσὶ τρία. Ἐπιζεφύριοι πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ· Ὀζόλαι πρὸς τῇ Αἰτωλίᾳ· Ἐπικνημίδιοι πρὸς τῇ Εὐβοίᾳ. Alius Scholiastes in eumdem Pindarum *Od.* IX. Λοκροὶ Ἐπιζεφύριοι: Λοκροὶ Ἐπικνημίδιοι: Λοκροὶ Ὀπούντιοι: Λοκροὶ Ὀζόλαι. τέσσαρα γὰρ γένη Λοκρῶν. Atque hi sunt Locri Graeci.

Locri Itali in Bruttiis fuere, dicti *Zephyrii* & *Epizephyrii*: quod in Zephyrio promontorio Lo-

cri-

cridis in extrema Italia prius, conditi sint, quamquam paullo post non procul inde in alium locum migrarunt. Haec colonia deducta est a Locrensibus Ozolis, si Strabonem, [*lib.* VI. *p.* 397.] si Pausaniam *lib.* III. [*cap.* XIX. *p.* 260.] & Ephorum, quem Strabo citat, & Virgilium audimus, ab Opuntiis (*a*). Namque poëta *lib.* III. [*vs.* 398.] *Aenëidis* sic ait:

Hic & Narycii posuerunt moenia Locri,

Nam tantumdem est, ac si dixisset Opuntii. Jam enim diximus, Narycum Opuntiorum urbem fuisse. Neque alienum fuerit Strabonis verba ex *lib.* VI. [*p.* 397.] adponere, omissis illis, quae *lib.* IX. [*p.* 638.] addidit: in quibus itidem testatur, Epizephyrios Ozolarum colonos fuisse. *μετὰ δὲ τὸ Ἡρα-*

(*a*) Mirum quod de hisce Locris Epizephyriis tradit Dionysius Afer *in Periëges. vs.* 365.

Τῇ δ' ὕπο Λοκροὶ ἔασιν, ὅσοι προτέροις ἐτέεσσιν
Ἦλθον ἐπ' Αὐσονίην, σφετέρης μιχθέντες ἀνάσσαις.

Quæ in Scholiis ita explicantur ab Eustathio, quod Locri illi, servi quum essent Ozolarum, dominabus suis concubuerint, dominis in bellum profectis: quibus redeuntibus fugere coacti fuerint. Nullus tamen est ex veteribus, qui hæcce de illis narret. Et observandum quoque, non semper eodem modo lectum fuisse hunc Dionysii locum. *Ἄλλοι δὲ γράφουσιν* inquit Eustathius, *σφετέρῃ ἀνάσσῃ μιχθέντες, ἢ πεισθέντες.* *Priscianus* etiam Græca hæc *Dionysii* ita vertit, in *Catalect. Pithoei pag.* 506.

Sub qua sunt Locri celeres, qui tempore prisco
Istuc reginam propriam venere secuti.

quæ quidem haud parum à Græcis, uti hodie leguntur, differunt. Propius accedunt ad eam Lectionem

——— *σφετέρῃ πεισθέντες ἀνάσσῃ.*

quam forte in suo Codice habuit Priscianus. Verum hæc monuisse sufficiat. Cogitent acutiores. Interim illud in transitu addam, in fine Scholii istius Eustathiani, ubi ait: *τὸ Ἄργος δέ ποτε χειρωθὲν ἀνδρῶν, τοὺς δούλους ἔσχε δεσπότας τῶν πραγμάτων.* legendum videri *χηρωθὲν*, pro *χειρωθέν.*

Ἡράκλειον ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἣ καλεῖται Ζεφύριον, ἔχουσα τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα, ἐξ ȣ̓ καὶ τοὔνομα. εἶθ' ἡ πόλις οἱ Λοκροὶ οἱ Ἐπιζεφύριοι, ἐπεὶ Λοκρῶν ἄποικοι τῶν ἐν τῷ Κρισσαίῳ κόλπῳ μικρὸν ὕστερον ἀπὸ Κρότωνος καὶ Συρακουσῶν κτίσεως, ἀποικισθέντες ὑπὸ Ἐυάνθους. Ἔφορος δ' οὐκ εὖ, τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν ἀποίκους φήσας· ἔτη μὲν οὖν τρία ἢ τέτταρα ᾤκουν ἐπὶ τῷ Ζεφυρίῳ. Εἶτα μετήνεγκαν τὴν πόλιν, συμπραξάντων καὶ Συρακουσίων. ἅμα γὰρ οὗτοι. ἐν οἷς καὶ ἔστιν ἐκεῖ κρήνη Λοκρία. ὅπου καὶ ἐστρατοπεδεύσαντο. Quae universa ab interprete latino satis commode versa sunt: nisi quod ubi Λοκρία κρήνη est *Locrius fons*, non *Lucrinus lacus* verti debuit. cujus pudendi erroris vel sola locorum tanta distantia debuit interpretem satis commonere.

Hac opportunitate locus Strabonis eodem *lib.* IX. [*p*.651.] est adjuvandus una tantum addita litera. οὐ μὴν ἐβασίλευε ἐκεῖνος (Πάτροκλος) τῶν Ὀπουντίων. ἀλλ' Αἴας ὁ Λοκρὸς πατρίδος ὢν, ὥς φασιν, Ἀρύκου. Ubi pro Ἀρύκου, reponendum est Ναρύκου (*a*). Νάρυκος enim non Ἄρυκος Geographis omnibus Opuntiorum urbs fuit, ut dictum est.

Servius in hunc Virgilii versum *lib.* III. *Aenëid.* [*vs.* 398.]

Hic & Narycii posuerunt moenia Locri.

& in illum alterum XI. [*vs.* 265.]

Libycove habitantes litore Locros.

errat in hoc, & quod *Ozolos* dicit, qui *Ozolae* ab omnibus scribuntur: & quod Epizephyrios, qui Itali tantum fuerunt, etiam esse Graecos putavit: cum sic scribit in versum libri tertii, *Socii Ajacis Oilei fue-*

(*a*) Ita etiam emendavit qui omnino huc conferendus est, *Salmasius Exercit. Plin. pag.* 48. *Ed. Traject.* in notis *Straboni Almeloveeniano* subjectis citatus. Junge etiam *Berkelium ad Steph. Byzant.* in v. Νάρυξ.

fuerunt Epizephyrii, & Ozoli, sed post tempestatem montis Capharei Epizephyrii tenuerunt Bruttios, & hos nunc dicit. Ozoli vero tenuerunt Pentapolim. Inde est. Libycove habitantes litore Locros. Quin etiam de Ozolis legitur: quod delati Tinneiam ulterius adcesserint: & civitatem condiderint, quae nunc Uzalis dicitur. Ozoli a putore paludis vicinae. Idem in versum xi. *Libycove habitantes litore Locros. Ut etiam in tertio diximus, Locri socii Ajacis Oilei fuerunt. Epizephyrii & Ozoli. Sed hi tempestate divisi sunt: adeo ut Epizephyrii tenuerint Bruttios de quibus ait in* III. *Hinc & Narycii posuerunt moenia Locri. Ozoli vero deportarentur Pentapolim, de quibus nunc queritur dicens. Libycove habitantes litore Locros.*

CAPUT XI.

Fatum. Natura. Casus. Virgilii versus inlustratus.

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat:]
Sed misera ante diem, subitoque adcensa furore

Versus sunt Virgilii *lib.* IV. [*vs.* 696.] Idem *lib.* X. [*vs.* 467.]

Stat sua cuique dies.

Scimus, quae tradantur ab Agellio *lib.* XIII. *cap.* I. & Servio. Attamen longe mihi gratius arrident, quae a Nonio libro de doctorum indagine [*cap.* XII. *p.* 781. *inter Auctores L. L. Gothofr.*] disputantur, in cujus verbis, etsi naturalis mortis non sit mentio, tamen facile quilibet inde existimare potest, tria mortis genera a poëta designari, Fati, Naturae, & Casus: sive quo alio nomine libet adpellare tertium hoc mortis genus. Quae autem sequuntur

verba. *Subitoque adcensa furore*, reddunt rationem, & exponunt, quomodo possint mores cujusque vim Fato aut Naturae facere: ut mors vel proferatur ultra diem, vel properetur ante diem. Sed praestat ad brevitatem Nonii verba adponere, ut quidem leguntur: nam sunt quaedam mendi suspecta. *Dubio potius quam difficili intellectu vates posuit Mantuanus. Sed misera ante diem, subitoque adcensa furore: cum huic sententiae obversetur versus ejus cum opinione sentiens plurimorum. Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum. Verum sensibilitatis ejus non levis ratio est, quae prima sententia philosophicum accipit intellectum: quae ait: Sui cuique mores Fortunam fingunt, omnipotens Fortuna esse desinit. Quod Sallustius mire. Fortuna simul cum moribus immutatur. Ac per hoc ex ea similitudine Fatum ineluctabile esse non poterit: quod ex una caussa Fortuna fieri videatur & Fatum. Potest etiam Fatum morum mutabilitate converti: ut ex his aut celere, aut tardum: aut bonum fiat, aut pessimum. Adcensa enim furore Dido amoris iniqua violentia, quia, ut ipse ait: Omnia vincit amor, ante diem merito videretur occidere, quod etiam Homeri ejusmodi est: quem Virgilius noster omni aemulatione sectatur.* σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. *Quod est* ὑπὲρ μόρον, *ultra decretum. Quod si admittitur, ut ulterius protendatur, quoniam id ex moribus factum est, quod significat* σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, *admittere poteritis, de moribus properatam etiam Fati celeritatem: ut intra diem possit admitti: quoniam recipit (ut Homerus ait) magnitudinem ultra vim Fati.* Haec ille. Sed de Fati necessitate, & de facultate cujusque contra vim Fati Cicero est adeundus. [*cap.* 18. & 19. *de Fato*] Agellius quoque aliquid adfert *lib.* VI. *cap.* 2. ut recentiores taceam non paucos.

CA-

CAPUT XII.

Pronomen pro nominibus poni. Servium falli.

Pronomen non tantum pro nomine, ſed etiam pro nominibus ponitur. quod negat Servius in hos verſus Virgilii *lib.* VII. [*vſ.* 477.]

Arte nova ſpeculata locum: quo litore pulcher
Inſidiis, curſuque feras agitabat Julus.

Speculata (inquit Servius) locum: quo litore]. Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus. Unde nove inter duo nomina unum pronomen poſuit, nam recte, quo loco diceret. & hoc ſemel tantum fecit. Immo paullo ante jam id fecerat eo verſu. [*vſ.* 409.]

Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem
Acriſionëis Danäe fundaſſe colonis.

Sic Cicero pro Cecina [*cap.* 7.] *Quadriennium hoc eſt, ex quo tempore fundum veniit.* Terentius Andria [*Act.* v. *ſc.* I. *vſ.* 18.]. *Ubi ea cauſſa, quam ob rem haec faciunt, erit adempta his, deſinent.*

CAPUT XIII.

Variae Lectiones in vetuſto libro meo Tibulli. Locutionem hanc. Non ſolum, *uſurpari non ſequente*, Ut. *Juventas.*

Vetus manu ſcriptus Tibulli liber multis in dictionibus diphthongos omittit. incuria ne librarii id adciderit, an judicio, non dicam: aliis id ſtatuendum relinquo. Ejusmodi ſunt *Pena*, *Ledo*, *Celum*, *Cedo*, *Ceſus.* Idem ſemper habet *Juventas*, non *Juventa.* veluti *Eleg.* IV. *lib.* I. [*vſ.* 33.] ut praeteream loca alia.

Solis

Solis aeterna est Phoebo, Bacchoque juventas.

Scribit etiam, *Idem*, & *Di*, pro *Iidem* & *Dii*. ut hoc versu [15.] elegia ultima. [*lib.* I.]

Sed patrii servate Lares, aluistis & Idem.

Sic *lib.* IV. *Paneg.* [*Eleg.* I. *vs.* 136.]

Incipe, non idem tibi sint, aliisque triumphi.

Verum de hujusmodi ratione scribendi alibi a nobis dicetur. Libet adscribere aliquot alias varietates ejusdem libri. quas confido lectori non ingratas fore (*a*). *lib.* I. *Eleg.* VI. [*vs.* 6.] ubi alii libri habent

Et pudet, & narrat facta nefanda mea.

ille sic legit. *Et pudet, & narrat scire nefanda mea.*

Eleg. IX. [*vs.* 59.] ubi nunc est

Et possum media quamvis obrepere nocte.

Ille

Et possim media &c.

Quam conjunctivi Modi lectionem antecedentia & sequentia verba postulant.

Ibid. [*vs* 64.]

Est mihi nox multis evigilanda modis.

Ille:

—— —— —— *evigilanda malis.*

Eleg. X. [*vs.* 35. *seq.*]

Illis eriperes verbis mihi, sidera caeli
Lucere, & puras fluminis esse vias.

Ille:

Lucere, & puras fulminis esse vias.

Lib. II. *Eleg.* I. [*vs.* 5.]

Luce sacra requiescat humus.

Ille:

Luce tua requiescat humus. *Eleg.*

(*a*) Quas ex vetere suo codice variantes in Tibullo lectiones hoc capite profert *Mattius*, illas in elegantissima sua editione examinare non neglexit *Brouckhusius.*

Eleg. II. [*v∫.* 7.]

Illius puro di∫tillent tempora nardo.

Ille:

Illius e puro di∫tilent tempora nardo.

in quo ver∫u *di∫tilent* verbum uno *l.* ∫criptum e∫t, more ∫cilicet, ut alibi dicetur, quorumdam antiquorum, qui liquidas, atque adeo con∫onantes omnes non geminabant.

Eleg. V. [*v∫.* 4.]

Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Ille:

Nunc precor ad laudis flectere verba modos.

Ibidem. [*v∫.* 75.]

Ip∫um etiam ∫olem defectum lumine vidit.

Ille:

—— —— *defectum lumina vidit.*

Ibidem. [*v∫.* 101.]

Ingeret hic potus juvenis maledicta puellae.

Ille:

Ingeret hic potus juvenis mala dicta puellae.

Eleg. VI. [*v∫. ult.*]

Barbara gyp∫atos ferre cata∫ta pedes.

Ille

Barbara luxatos.

In quem ver∫um lege Jo∫ephum Scaligerum ad *Elegiam* V. [*lib.* IV. *v∫.* 52.] Propertii in pentametrum hunc ver∫um.

Caelati medio cum ∫aliere foro.

Lib. III. [*Eleg.* II. *pr.*]

Qui primum caram juveni.

Ille:

Qui primus caram juveni.

Lib. IV. *Panegyr.* [*Eleg.* I. *v∫.* 60.]

Mobilis Artaciae.

Ille:

Mobilis Atraciae.

Hu-

Hujus quoque fluminis meminit Catullus de Smyrna Cinnae loquens eo versu [5. *Epigr.* 87.]

Smyrna cavas Atracis penitus mittatur ad undas.

Ibidem [*lib.* IV. *Eleg.* I. *vs.* 66.]

Sive supra terras Phoebus, seu curreret infra.

Ille:

Seu suprà terras Phoebus, seu &c.

Ibidem [*vs.* 67.]

Vidit ut inferno Plutoni subdita regna.

Ille:

Vidit & inferno. —— ——

Ibidem. [*vs.* 134.]

Laetior eluxit structos super ignis acervos.

Ille:

Purior elusit substratos ignis acervos.

Quam lectionem non oscitanter adtendendam censeo. Namque poëta videtur intelligere de flamma innocua, qualem adcidisse capiti Ascanii tradit Virg. *lib.* II. *Aenëid.* [*vs.* 682.]

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

quale etiam flammae innocuae portentum, eodem poëta auctore, *lib.* VII. [*vs.* 72. *seqq.*] lusit circa caput Laviniae.

Ibidem [*vs.* 192.]

Non solum tibi Piërii tribuentur honores.

Ille meliore numero.

Nec tibi Piërii solum tribuentur honores.

Illa autem forma dicendi est animadversione dignissima. Ubi post *Non solum*, poëta non subjungit, *Sed etiam:* quae verba a natura ejus locutionis postulantur. Usurpatur quoque ab aliis primae notae scriptoribus, & quidem cum magna sententiae efficacitate, & quasi impetu e pectore erumpentis

ante

ante exſpectatum vehementiae: quando illud *Non ſolum*, quod dixi, ſive *Non modo*, ſive *Non tantum* non ſequitur *Sed etiam*, aut *Verum etiam*. Verum probemus elocutionem hanc non carere exemplis aliorum quoque excellentium ſcriptorum. Terentius Ecyra [*Act*. v. *ſc*. 1. *vſ*. 36.]

Nam non ſunt ſolae arbitratae hae: ego quoque idem credidi.

Cicero Philippica ultima. [*cap*. 5.] *Nonne ſatis eſt, ab hominibus virtutis ignaris gratiam benemerentibus non referri: etiam in eos, qui ſuas curas in Reip. ſalute defigunt, crimen invidiaque quaeritur.* Terentius Phormione. [*Act*. v. *ſc*. 2. *vſ*. 3. & 4.]

Non id ſat erat,
Accipere ab illo injuriam, etiam argentum eſt ultro oblatum.

Cornelius Tacitus *lib*. IV. [*Annal. cap*. 35.] *Non adtingo Graecos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita.* Cicero pro Flacco. [*cap*. 39. *in fine*] *Cum tabella a vobis dabitur, Judices, non de Flacco dabitur ſolum, dabitur de ducibus auctoribus conſervandae civitatis.* Aretaeus Cappadox Medicus [*lib*. II. *cap*. 3. *in fine de cauſis & ſignis morb. acut.*] Καὶ τὰ δὲ οὐκ εἰς τὰ παρέοντα μόνον· καὶ εἰς τὰ μέλλοντα μάντιες ἀτρεκέες. Latine ſic: *Atque non ſolum in praeſentibus dignoſcendis, etiam in futuris acres divinatores ſunt.* Contra conſueverunt etiam Latini pariter & Graeci, non praecedente apud hos οὐ μόνον, apud illos *non ſolum*, ſive *non modo*, aut, *non tantum* ponere, *ſed*, & Ἀλλὰ. Libanius οὕτως διὰ τὴν οἰκείαν τέχνην ἄδειαν εἶχον ἀπιέναι ὅπου βούλωνται, ἀλλὰ δὴ καὶ πρὸς πολεμίους. Cicero *lib*. 3. *ad Atticum*. [*Epiſt*. 15. *med*.] *Hic mihi primum conſilium defuit, ſed etiam obfuit.* Idem pro Rabirio Poſtumo. [*cap*. 2.] *Credidit populis: in pluribus provinciis ejus verſata res eſt: ſed*

ſed etiam regibus. Sic etiam locuti ſunt Auctor Rhetor. ad Herennium, Cyprianus, & Petronius Arbiter, & Apulejus cum alibi, tum *lib.* x. *Aſini aurei* [*in princip.*]. Idem ſtatuo, in hac locutione *Tantum abeſt.* Cic. *II. de Finibus.* [*cap.* 17.] *Tantum abeſt, ut ſe indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facta videatur.* Idem *lib.* v. *ejusdem operis* [*cap.* 20.] *Tantum abeſt, ut voluptates conſectentur, etiam curas, ſolicitudines, vigilias perferunt.* Idem *de claris Oratoribus.* [*cap.* 80.] *Tantum abfuit, ut inflammares noſtros animos, ſomnum iſto loco vix tenebamus.* Sic ſaepe apud hunc auctorem. Sed pulcher hic flos & color dicendi non intellectus, multis typographis cauſſa fuit, ut parentheſeωn figuris, quae dignitatem & vim illius formae dicendi obſcurant & enervant, includerent. Verum, unde exceſſimus, ad noſtrum manu ſcriptum librum Tibulli revertatamur. *Libro* IV. *Eleg.* v. [*vſ.* 17.] ubi eſt in vulgatis codicibus,

Optat idem juvenis, quod nos, ſed tutius optat.

Ille habet

Optat idem juvenis, quod nos, ſed tectius optat.

recte ille quidem: namque ſequens ſtatim verſus reddit ſecreti tectique voti cauſſam, cum ſubdit.

Nam pudet haec illum dicere verba palam.

CAPUT XIV.

Propertii verſus emendatus. Pietas. Eruo. Antiqui easdem conſonantes non geminabant.

Apud Propertium *lib.* III. *Eleg.* XXI. [*vſ.* 21. *ſeq.*] ad Tullum ſunt hi verſus.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Con-

Consului codices multos: universorum eadem est reperta scriptura. Neque tamen illorum consensus facit, quin ego habeam in secundo versu verbum illud, *ira*, suspectum. Ratio meae dubitationis est, cum hoc sensu. Tantum abest, ut ira temperet fortis & victoris ferociam, etiam incendit magis, hominemque jam per se conscientia virtutis atque gaudio victoriae, quae plerumque adrogans est, gloria insolescentem, impotentiorem reddat. Tunc stimulo etiam irae adcedentis animus viri victoris incitatus omnem penitus humanitatem exuit, contra *pietas* lenem, mitem, misericordem, & ad condonandam noxam proniorem facit: ob has caussas pro voce, *ira*, ego, *illa* legendum esse existimo. Sic omnia recte, & ad consilium poëtae, & ad naturam pietatis atque humanitatis egregie respondebunt, eritque hic sensus. Fortes quidem & victores sumus Romani: tamen & pii sumus & clementes, pietasque haec & clementia, quod vitii est in fortitudine, & in victoria, temperat. Conrupit autem locum imperitus aliquis, quem fefellit ignoratus mos antiquorum, non geminantium liquidas. itaque legimus in antiquis calamo scriptis libris, & in marmoribus, *Milia*, *Vilicus*, & alia similia verba sic scripta aut sculpta, pro, *millia*, & *villicus*. sic in hoc versu Propertii fuit *Ila*, indoctus ille, qui descripsit, erratum esse existimans ex *ila*, *ira* fecit. Poni vero *Pietas*, *Pius*, & *Pie*, pro humanitate, & humano, & humane, exempla, in quibus hac significatione accipiuntur, non desunt.

CAPUT XV.

A, Pro, O, non Ab, Prob, Ob, scribendum. Padua. Locus Catulli defensus.

Nulla dictio adspiratione finiri debet. Sic *A* interjectio in veteribus calamo scriptis libris Virgilii sine adspiratione praecedente aut sequente scribitur. Codices Tibulli scripti (de iis loquor, quos ipse vidi) adspirant ante, vt in hoc versu. [*lib.* I. *Eleg.* II. *vs.* 59. *seq.*]

Ha lapis est, ferrumque, suam quicumque puellam
Verberat. —— ——

Igitur vel *A* scribendum est sine adspiratione, Virgilii more: vel praecedente adspiratione, non autem sequente. Et Grammatici tradunt, adspirationem finire verbum nullum. Eodem modo etiam *O* & *Pro* Interjectiones, non *Ob*, & *Prob* scribi debent. Sed ad Catullum veniamus: in cujus scriptis calamo libris si *Padua* est in eo versu [7. *Epigr.* 87.]

At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam.

caussam nullam video, cur quidquam illic novi quaeramus, & vocem illam damnemus, nusquam alibi auditam, quasi verbum nullum aliud in Latina lingua sit singulare.

CAPUT XVI.

Voces Jacobus, Joannes, triumne syllabarum esse possint. Julus, Japetus, Jambus, Jaziges, Jaxametae.

Interrogatus a Francisco Cicereo Mediolaniensi, viro erudito, an in his vocibus *Joannes* & *Jacobus* τὸ *i.* possit esse consonans, id est, an ea nomina

mina trium tantum esse syllabarum queant. respondi, dubitare multos: non dubitasse tamen Jovianum Pontanum; qui *Jacobum* sic posuit, & quidem prima brevi, quam usurpationem vulgus quoque sibi vult concedi, quorum caussam non ut tuear; sed ut excusem; adferam, quae nunc in promptu sunt poëtarum in similibus verbis *Julus*, *Japetus*, *Jambus*, atque aliis, exempla. Virg. [*Aenëid.* I. *vs.* 292.]

Julius à magno demissum nomen Iülo.

Horatius contra. [*lib.* IV. *Od.* II. *vs.* 2.]

Jule ceratis ope Daedaleâ.

Statius ad finem *lib.* X. [*Theb.* *vs.* 915.]

Japeton, aut victam supera ad convexa levari.

Horat. contra. [*lib.* I. *Od.* III. *vs.* 27.]

Audax Japeti genus.

Jambus trisyllabum plerisque. Horat. [*Art. Poët.* *vs.* 251.]

Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus.

Sulpicia apud Ausonium [*a*] contra.

Non trimetro Jambo, nec qui pede fractus eodem.

Ovidius II. *Tristium* [*vs.* 191.]

Jaziges, & Colchi, Metereaque turba, Getaeque.

Valerius Flaccus *lib.* VI. [*vs.* 148.]

Jaxametas venatas alit.

(*a*) Respicit nobilem illam Sulpiciæ Satyram de corrupto Reip. statu temporibus Domitiani, præsertim cum Philosophos urbe ejecisset: quæ in Codicibus antiquis modo Juvenali, modo Ausonio subjecta; & huic, aut illi adscripta fuit. Vid. *Broukhus ad Tibull. Lib.* IV. *Carm.* 2. *princ.* & *Boxhorn. ad princ. ejus Satyræ.*

CAPUT XVII.

Julii Capitolini locus defensus contra Lipsium.

Profecti tamen sunt paludati ambo Imperatores, Parthis & Marcomannis cuncta turbantibus: aliis etiam gentibus, quae pulsae a superioribus fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. Verba sunt Julii Capitolini in *Marco Antonino.* [*cap.* 14.] in quibus, quoniam Marcomanni a Parthis multum sunt remoti, Justus Lipsius pro *Parthis*, legit *Cattis*, aut *Quadis:* aut, *aperte Marcomannis cuncta turbantibus.* Sed meo judicio nihil fuit hic tentandum. Nam Capitolinus tradit non cum una gente tantum, & in finitimis regionibus, sed cum pluribus hostibus, & quidem, qui magno locorum intervallo uni ab aliis essent remotissimi, bella fuisse gerenda. Judicii hujus mei atque sententiae comprobator est ipse Capitolinus, qui his praecedentibus verbis [*cap.* 12.] sic scribit: *Dum Parthorum bellum geritur, natum est Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte suspensum est, ut finito Orientali bello Marcomannicum agi posset.* Adjuvat sententiam meam Eusebius, qui *Olymp.* CXCIII. sic scribit: *De Rhetis, Vindelicis, Armeniis, & Pannoniis, triumphat.* Quantum autem Armeniae ab antedictis distant?

CA-

CAPUT XVIII.

Quaedam observata in vetusto carmine recens in Gallia reperto, & edito a Justo Lipsio.

Idem Justus Lipsius publicavit carmen quoddam, nuper in Gallia repertum (*a*): quod non longe abest, quin antiquam venustatem redoleat. In eo est hic versus [2.]

Ver novum, ver jam canorum, ver natus orbis est.

Claudicat hic versus, & a reliquorum ibi positorum mensura & norma aberrat, nec longe abest a soloecismo. Ego eum sic reconcinnarem.

Ver novum, ver jam canorum, ver natalis orbis est.

Sic mensura haec reliquorum mensurae egregie respondet. Aemulatur autem Virgilii versus II. *Georg.* hos [336. *seqq.*]

Non alios prima crescentis origine mundi
Inluxisse dies, aliumve habuisse tenorem,
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hiberni parcebant flatibus Euri.

Ibidem *de Venere* idem auctor loquens: [*vs.* 71. *seq.*]

Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias,
Unde Rhamnes & Quirites, proque prole posterûm
Romoli, matrem crearet & nepotem Caesarem.

In tertio versu Lipsius vocem, *Matrem*, in, *Patrem*, mutat, sic legens:

Romoli, patrem crearet, & nepotem Caesarem.

additque rationem, atque exponit his verbis: *Pater Caesar, Divus Julius est; nepos, Augustus:* & paullo

(*a*) Indicat carmen illud, quod *Pervigilium Veneris* dicitur: quodque a Pithoeo primum ex Codice MSto editum, deinde à Lipsio *Elector. lib.* 1. *cap.* 5. insertum, & hic illic emendatum fuit.

lo post: *Venus conciliatrix Romanorum Sabinarumque nuptiis, ut ex his Rhamnes & Quirites crearet, & in postera saecla utrumque Caesarem, patrem cum nepote.* Ego vero vocem, *Matrem*, omnino conservandam censeo, historia pro sententia mea strenue stante & feliciter pugnante: quae haec est. C. Julius Caesar sororem habuit Juliam, quae nupta Attio Balbo Attiam filiam genuit. Haec Attia ex C. Octavio marito C. Octavium filium suscepit hunc, qui postea imperavit & Augustus dictus est. Non ergo Divi Julii, id est, C. Julii Caesaris nepos fuit Augustus, sed nepos fuit Juliae sororis C. Julii Caesaris. Accipitur autem *Nepos* à Lipsio pro filio sororis, sed male. Conservetur igitur auctori sua lectio, nec ullo modo vox *Matrem* in *Patrem* vertatur.

CAPUT XIX.

Cornelii Taciti locus perpensus, & defensus. Imagines gentilium tantum in pompis funerum adhiberi solitas.

Idem Lipsius epistula III. *lib.* IV. *Epist. Quaestion.* & in Notis ad Cornelium Tacitum *lib.* III. [*cap.* 5.] suspicatur, vocem hanc, *Juliorum*, vertendam esse in, *Liviorum*, in his, quae adponam, Taciti verbis initio *lib.* III. ubi de Drusi fratris Tiberii funere loquitur: *Circumfusas lecto Claudiorum, Juliorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro rostris.* Ad quae verba Lipsius sic scribit: *Drusus hic in Juliam familiam ne adoptatus quidem venit. Unde ergo in pompa funebri imagines illi gentis Juliae? nisi forte, quia mater deducta in domum Augusti. Haec & talia de summo pectore dici possunt. At mihi nondum evi-*

eviluit conjectura mea, Liviorum, *caussa duplici. Primum non praeposuisset Claudios Juliis Tacitus. id nefas. deinde, cum a patre latae imagines, cur omissae a matre, quae praesertim antiquae & multae?*

Ego mutandum nihil censeo his de caussis. Primum non temere recedendum est a consensu veterum & novorum librorum, in quibus est, *Juliorum*, non, *Liviorum*. Deinde in aedibus Juliorum Drusum mater Livia edidit. Praeterea quam carum honestumque habuerit Augustus eumdem Drusum vivum & mortuum, docent insignes conlati in eum honores apud Tacitum initio libri primi, & alibi: & apud Dionem. Quorum verba adponere prohibet brevitatis studium. Quid? quod ex verbis Dionis *lib.* LV. [*p.* 567. *Ed. Leuncl.*] justa suspicio nascitur, eumdem Drusum in gentem Juliam adoptione venisse, ut omnino hac de caussa ejus funus Juliorum imaginibus honestari debuerit. Et quoniam Graeci libri Dionis in praesentia copia non est, adponam Xylandri interpretis translationem. Sic igitur ille: *Germanicus Caesar, & Ti. Claudius Nero filii Drusi in honorem patris munus gladiatorium praebuerunt. Hoc plebem memoria Drusi consolatum est. Idque etiam, quod in dedicatione aedis Castoris & Pollucis non Claudiani modo (adoptatus enim in familiam Augusti se Claudianum nuncupabat) sed Drusi etiam nomen ei imposuit.* Hactenus de adoptione. Quod ad imagines gentis maternae adtinet, quas Lipsius ornamentis funebrium pomparum, nullo citato suae opinionis auctore adhiberi consuevisse tradit, Plinius *lib.* XV. *cap.* 2. in contrariam sententiam lectorem trahit, sic scribens: *Expressi cera vultus singulis exponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera. semper defuncto aliquo aderat familiae ejus, qui umquam fuerat,*

 popu-

populus: & paullo post, ibidem: *Extat Messallae indignatio, quae prohibet inseri genti Levinorum alienam imaginem. Similis caussa Messallae seni expressit volumina illa, quae de familiis condidit. Cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam inrepentem Scipionum nomini.*

Quod autem Tacitus Claudios Juliis antepofuit in enumeratione imaginum, non est, quod quisquam miretur. Recte fecit Tacitus, qui ordinem fecutus est. Namque Drusus fuit natura primum Claudius, deinde adoptione Julius.

Adoptionem probant etiam verba Eusebii Olymp. CXCV. *Augustus* (inquit) *Tiberium, & Agrippam in filios adoptat.* & Olympiade CC. *Tiberius Drusum consortem regni fecit.* Idem leges apud Suetonium in Augusto & Tiberio. Quae universa si Lipsius paullo adtentius perpendisset, nos hac admonendi necessitate, aut saltem occasione liberasset.

FINIS LIBRI PRIMI.



JOAN-

JOANNIS MARII MATTII,

Brixiani,

OPINIONUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Non intellecta hactenus aliquot Epistularum Ciceronis libri XVI. *ad Tironem loca. Veterem lectionem ibi duobus in locis immerito a doctis tentatam.*



uantum intersit ad intelligendum pluribus in locis epistulas Ciceronis plurimas, nosse quo tempore, unde, & quo singulae datae sint, dictum est alibi: facileque & fortasse aliqua cum gratia cognoscetur ex his, quae dicturi nunc hic sumus. Epistulae fere omnes *libri* XVI. *ad Tironem* agunt de Tironis valetudine. Universi autem, qui in illum librum scripserunt, existimant, de uno tantum & eodem morbo ibi ubique tractari: in quem morbum incidit Tiro, decedente de provincia Cilicia Cicerone. Sed res aliter habet. Namque universae eae ejusdem libri litterae si non de pluribus, certe de una & altera tractant valetudine, in quas diverso tempore Tiro incidit. Quod non animadversum, caussa fuit docto viro Paullo

Manucio multipliciter errandi in illarum litterarum explanatione. Nos de utroque Tironis morbo, inlustrandi plures locos gratia, dicemus.

Una valetudo, quae posterior fuit, adcidit Tironi Cicerone de Cilicia decedente, quo tempore coactus est ille graviter aegrotantem commendatum amicis Patris relinquere. De hac agitur in primis x. epistulis *libri* XVI. quae scriptae fuerunt partim sub finem anni ejus, partim sub initium sequentis, pullulante jam initio belli civilis inter Pompejum, & Caesarem. Altera valetudo ea est, de qua scribit in reliquis aliquot ejusdem voluminis sequentibus litteris, longeque est alia ab ea, quam modo dixi.

Ex hac aegrotavit Tiro ante turbatam bellis civilibus rempublicam, adciditque per ea tempora, quando Pompejo cum Caesare in administratione Reipublicae conveniebat, ipso Pompejo ocioso & ab omni suspicione discordiarum publicarum securo. Id declarant verba XII. epistulae dicti jam libri, quae ex Formiano scripta fuit. *Pompejus erat apud me, cum haec scriberem, hilare & libenter. Ei cupienti audire nostra dixi, sine te omnia mea muta esse.* Hic laudo equidem acumen Sebastiani Conradi, cui pusilla quaedam veri imago adfulsit, sed per nebulam, & inluni (ut ille loquitur) nocte: itaque aberrans statim, de via deflectit, multas temporum inversiones inducens omnino repudiandas. Ibi etiam vocem, *Pompejus*, immerentem suspectam habet, proque ea *Pomponium* substituit, cujus opinionem reliqui post eum sunt secuti, decepti universi hoc, quod crediderunt, de una tantum Tironis valetudine Patrensi toto eo libro a Cicerone scribi, non animadvertentes, posteriores ejus libri epistulas prioribus ejusdem libri epistulis tempore scribendi ante-

antecedere: ſcilicet datas, quando Tiro Romae adhuc ſervus aegrotabat, Cicerone in villis ſuis ruſticante: priores autem longo tempore poſt ſcriptas fuiſſe a Cicerone decedente de Cilicia in navigatione & via partim, partim cum in Italia, & cum ad urbem eſſet, Tirone pridem libertate donato, & tunc Patris ex febri cubante. Tantum vero abeſt, ut Tiro per ea tempora in Italiam venerit, ut eodem morbo preſſus etiam Patris eſſet eo tempore, quando ardente civili bello Pompejus relicta urbe & Italia Dyrrhachium copias omnes trajeciſſet, Cicerone hoc teſtante epiſtula *libri noni* XX. *ad Atticum*, quae incipit: *Trebatium* VI. *Kalend.* & *lib.* ejusdem operis X. epiſtula quarta, quae incipit: *Multas a te accepi epiſtulas.*

Haec omnia non animadverſa, ut debuit, occaſionem praebuerunt Paullo Manucio, atque aliis, gravium errorum. Nam praeterquam quod Paullus putat, ſemel tantum aegrotaſſe Tironem (de morbis intelligo, de quibus ibi loquitur Cicero) & omnes illas epiſtulas de ea una Patrenſi valetudine ſcriptas cenſet, etiam judicavit (& habet ibi rivales non paucos) Tironem Cicerone tenente provinciam Ciliciam, & aegrotantem Patris, ſervum adhuc fuiſſe. In medicis etiam, qui aegrotanti Tironi adfuerunt, aeſtuant iidem & haerent, ut clarum faciemus. Sed prius de ſtatu & de priore valetudine Tironis probemus ea, quae diximus exemplis ex eodem libro Ciceronis XVI. adlatis. Illic igitur epiſtula X. ſic ſcribit: *Ego vero cupio te ad me venire, ſed viam timeo, graviter aegrotaſti.* Paullo poſt ibidem. *Jam ad id triduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, adcedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d.* III. *Kalend. Januarias eſſe volo, ibi te ut firmum offendam,*

mi

mi Tiro, effice. Litterulae meae, ſive noſtrae tui deſiderio oblanguerunt. Hac tamen epiſtula, quam Acaſtus adtulit, oculos paullulum ſuſtulerunt. Pompejus erat apud me, cum haec ſcribebam hilare & libenter. Ei cupienti audire noſtra dixi, omnia mea ſine te muta eſſe. Tu Muſis noſtris para, ut operas reddas. Noſtra ad diem dictam fient, docui enim te, fides etymon quod haberet. Fac plane, ut valeas. Nos ad ſummum. Vale. XIII. *Kalend. Januarii.* Epiſtula XV. ad eumdem Tironem tota huc eſt advocanda. *Aegypta ad me venit pridie idus Aprilis. Is, etſi mihi nunciavit, te plane febri carere, & belle habere, tamen, quod negavit te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi adtulit, & eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili ſum ſolicitudine de tua valetudine, qua me ſi liberaris, ego te omni cura liberabo. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibique conſervandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta jam epiſtula Hermia venit. Accepi tuam epiſtulam vacillantibus litterulis, nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Aegyptam miſi, quod nec inhumanus eſt, & te mihi viſus eſt diligere, ut tecum eſſet, & cum eo cocum, quo uterere. Iterum vale.* Epiſtula XIV. *Dies promiſſorum adeſt, quem etiam repraeſentabo, ſi adveneris. Etiam atque etiam vale.* III. *idus Aprilis.* Quod ſequitur, initium eſt epiſtulae Qu. Ciceronis *ad M. Fratrem.* [16. *ejusd. lib.*] *De Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratiſſimum feciſti, cum eum indignum illa fortuna nobis amicum, quam ſervum eſſe maluiſti.*

Ex his omnibus teſtimoniis adlatis liquido adparet, non Patrenſem valetudinem intelligi: ſed urbanam Patrenſi priorem. Adparet ſtatus Tironis:

Ad-

Adparet, inquam: servum eo tempore fuisse. Adparet priores xi. literas multo post posteriores tempore scriptas fuisse.

Ex his, quae de valetudine Tironis urbana & Patrensi sunt disputata, duo alii tolluntur errores eorumdem, qui satagunt de *medico*, & *Mumio* ad haec verba xiv. epistulae *libri* jam dicti xvi. *Medico, mercedis quod poscet, promitti jubeto. Id scripsi ad Mumium.*

Priorem errorem genuit praecepta opinio de una tantum Patrensi valetudine; putant enim intelligi hic Asclaponem Patrensem medicum, falso. Nam urbanus *medicus* intelligendus est hic non nominatus, qui Romae aegrotanti Tironi adfuit: quod etiam ex eo adparet, quod Asclaponi pecunia jussa erat dari, quod est in epistulis vi. & ix. Huic vero non nominato promitti, non dari: *Manii* etiam praenomen, qui est alius error, non substituendum fuit pro *Mumio*, sive *Ummio*, sive quo alio modo scriptum ibi reperiatur. Cur? quia hic de urbano medico & morbo agitur, non Patrensi: qua in urbe degebat Manius, non Romae. Haec hactenus.

Qui vero M. Tullius adparuerit scriba Ciceroni in provincia Cilicia (nam hic quoque interpretes soliciti sunt) facilius est dicere, qui non adparuerit. Tironem hominem studiis suis adcommodissimum non occupasset Cicero adparitione molestiarum plenissima. Philotimus Romae fuit. Plura testimonia possunt adferri, sed contentus uno, reliquis supersedebo. Coelius *lib.* viii. *epist. tertia* sic scribit: *Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis adtinet, dedimus operam, ut & Philotimus quam honestissime Miloni absenti, ejusque necessariis satisfaceret, & secundum ejus fidem & sedu-*

ſedulitatem existimatio tua conſervaretur.

M. Tullium Lauream cenſet Paullus Manucius: ſed illum in eo comitatu fuiſſe, non memini usquam legere.

De ſcriba Tullio mentio eſt in epiſtula IV. *lib.* V. epiſtularum ad Atticum, quam in provinciam proficiſcens Benevento dedit. *Ac binas quidem tuas Beneventi accepi, quarum alteras Feſſulanus multo mane mihi dedit, alteras ſcriba Tullius.*

CAPUT II.

Pie quid ſignificet in Oratione pro Cluentio. Sincerus. Suſpectus locus in Epiſt. Familiar.

Erat huic inimicus Oppianicus: erat, ſed tamen erat vitricus, crudelis. & huic infeſta mater, attamen mater. poſtremo nihil tam remotum ab adcuſatione, quam Cluentius & natura, & voluntate, & inſtituta ratione vitae. Sed cum eſſet haec illi propoſita condicio, ut aut juſte pieque adcuſaret, aut acerbe indigneque moreretur, adcuſare quoquo modo poſſet, quam illo modo emori maluit.

Propoſui haec verba ex Ciceronis pro Cluentio oratione [*cap.* 14.]: ut acuti judicii homines conſiderent, quo ſenſu vox illa *Pie*, de qua locuti ſumus etiam *capite* XIV. libri ſuperioris, ſit accipienda in cauſſa ancipiti, ubi aliud pietatis, aliud ſalutis ratio ſuaderet. Ego, *pie*, expono, *parce*, *molliter*, *leniter*, *remiſſe*, *placate*, *mitiſſime*: hoc ſenſu. Capitis periculum adcuſationem, & in adcuſando acrimoniam, pietas in matrem ab adcuſando deterret, & lenitatem ſuadet: tamen quoquo modo adcuſare potius, quam acerbe indigneque mori maluit. Sic ab ſedata & temperata ex neceſſitate & pieta-

pietate adcusatione atque oratione, homines facile intellecturos judicaturosque, non animo in matrem inimico, sed conservandae vitae gratia, quam natura universo animantium generi commendat, coactum ad adcusandum descendisse. Aut pro, *pie*, *impie*, est legendum. sed propono hoc, non statuo. Nam quod Paulus Manucius exponit. *Erga se ipsum, est enim pietas a se ipso mortem depellere*, vix probare eum puto posse interpretationem istam suam iis, qui sciunt, pietatem foras, tamquam partem Justitiae respicere: quam sapientes magistri ideo bonum esse alienum scite dixerunt.

Lib. XIII. *epist. Familiar. epist.* LI. locus hic suspectus est. *Ut M. Curium sartum & tectum, ut ajunt, ab omni incommodo, detrimento, molestia sincerum integrumque conserves.* Verba illa, *sincerum integrumque*, glossema fuisse puto in illa verba, *sartum & tectum*, quod postea ex ora libri in ordinem opera parum diligentis, & fortasse parum intelligentis librarii venerit. Festus Pompejus auctor est [*in voc. Sarte*], *sartum*, *integrum* significare: ut non necessarium fuerit (quod proverbio dicitur) Nauson Naucrati. Praeterea verbum, *sincerum*, est ad fidei, sanctitatis, & omnino ad animi integritatem, quam ad fortunas adcommodatius.

CAPUT III.

Non omnes unius Municipii, aut Coloniae, &c. cives, civitatem Romanam adepti in una & eadem tribu Romae suffragium ferebant.

Carolus Sigonius, vir de universis literis optime meritus *lib.* III. *cap.* 3. *de antiquo jure Italiae*, ingenue pro sua natura & more fatetur, non adfir-

adfirmare posse se, in qua tribu Romae quaeque aut Colonia, aut Municipium, aut Praefectura, aut foederata civitas post Romanam civitatem inpetratam suffragium tulerit. Ego virum universae antiquitatis scientissimum sapienter dubitare puto. Addo hoc amplius de meo: judicare me, non universos cives unius Coloniae, aut Municipii, aut Praefecturae, aut Foederatae civitatis in una & eadem tribu, sed singulos in ea tribu censos fuisse & suffragium tulisse, quam quisque arbitratu suo delegisset, vel quae initio civitatis adeptae singulis esset adsignata. In hanc opinionem adducor verbis Ciceronis ex epistula quinquagesima *libri* XIII. *epistularum familiarium*, ut vocant: *L. Custidius est tribulis, & municeps, & familiaris meus.* Si enim universi unius Municipii &c. cives in unam & eamdem tribum coniciebantur, quid adtinuit tribulem eum suum adpellare, qui esset Municeps suus? Praeterea opinionem hanc meam, sive libet suspicionem adpellare, adjuvant inscriptiones antiquorum lapidum, qui sunt Albae Pompejae, & Hastae: qui lapides diversas tribus, ejusdem Coloniae aut Municipii civibus adtribuunt. Hastae igitur sunt lapides, hi quorum plures mea commendatione & opera a tenebris & ab ignoratione vindicati nuper inventi sunt in sepulcreto aedis Maximae, ecfossa in altitudinem amplius pedum x. terra, cum ingentibus, sed in plures partes fractis egregii versicolorisque marmoris columnis. Ex quibus, quod ad praesens argumentum faciat, subsidium petam ad probandum, quod propositum est.

Hastae

Haſtae ecfoſſum haud ita pridem in aedibus
Virginum Orbarum.

P. VERGILIO. P. F. P. N. POL.
LAVREAE. AED. II. VIR. I. D. PRAEF. FABR
IVDICII. DE. IIII. DECVRIIS. EQVITI.
SELECTORVM. PVBLICIIS. PRIVATISQ
PRAEF. DRVSI. CAESARIS. GERMAN. II. VIR. QVINQ
P. VERGILIO. P. F. P. N. POL. PAVLLINO
EQVO. PVBLICO. IVDICI. DE. IIII. DECV
PRAEF. FABRVM. PRAEF. CHORTIS. II. DECV
.... IORVM. EXERCITVS ......
....

In aedibus Mattiolarum.

....
CONCORDIAE
COLL. FAB. HASTENS FAB
M. VETTIVS SECVNDVS
IN. MEMORIAM
VETTIAE. CIVITATIS. SO RORI

In hortis aedium, quae conditae olim a magno Jacobo Triultio, nunc nobilis familiae Asinorum. Postea translatum haud ita pridem Taurinum vecordia eorum, qui prohibere cum possent, debuerunt, est nunc in aedibus Puteorum Taurini (*a*).

T. ARRIO. T. F. TRO. TERTIO
ANN. XXI
MVCIA. T. F. MODESTA
MATER. V. F.
SIBI. ET. T. ARRIO. M. F. VIRO.
INVIDA. FLORENTEM. RAPVERVNT
FATA. IVENTA
NEC. LIQVID. MISERO. ME. SVPER
ESSE. MEIS
FLEVIT. PRAESENTEM. MATER
FLEVERE. SODALES
ET. MATER. TEPIDO. CONDEDIT
OSSA. ROGO
QVAE. PRIVS. HOC. TITVLO
DEBVIT. IPSA. LEGI
IN AGRO P XX. IN. FRONTE P XX

In

(*a*) Est hæc inscriptio etiam apud Gruterum pag. DCLXX. ubi tamen *lin.* 1. pro TPO. legitur ETPO. & *lin.* 7. IVVENTAM.

In aedibus Mattiolarum.

P. LAETILIVS. P. L. PAL. HILARUS. SPVRI
MAGISTER. MINERVALIS
NAEVIA. Ɔ. L. CLVSIA. C. L.
ALMYRIS TOPIA

Ecce quattuor in his monimentis Haſtae Coloniae (Coloniam enim Ptolomaeus & Sempronius tradunt fuiſſe) diverſae tribus Pollia, Fabia, Tromentina, & Palatina, ſatis indicant, non univerſos unius Coloniae, & Municipii cives in unam tribum fuiſſe conjectos.

Albae quoque Pompejae, in Coenobio Divi Dominici Polliae, extra urbem in aedicula D. Frontalionis, & in urbe in Coenobio Monacharum D. Magdalenae Camillae, & quidem ter repetitae tribus eſt mentio. Quorum trium lapidum inſcriptiones idem, quod diximus, probant. Sic autem habent.

Q. CARRINAS. C. F
POL. PRIMI. PILI
AED. IIII. $\overline{\text{VIR}}$

In Divae Magdalenae.

M. GEMINIVS. L. F
CAM. VETERAN
SIBI: ET. L. GEMI
NIO. L. F. CAM
MANCIAE. PATRI
VIBIE. Q. F. SEC$\bar{\text{V}}$D
MATRI

In Divi Frontalionis (*a*).

C. FABRICIVS. L. F
CAM. AED. SIBI. ET
M. FABRICIO. L. F. CAM
LIGVRI. FRATRI AED. T. F. I
PHILETVS. ET. FVSCVS. L. F. C

Libet

(*a*) Habet hanc inscriptionem *Gruterus pag*. MXCIII. *num*. 10.

Libet adponere etiam ad rem faciens lapidis epigramma, qui est in arce Pollentiae ad III. ab Alba Pompeja lapidem. Fuit olim insigne oppidum Pollentia: nunc castellum est pusilllum, cum titulo tamen Comitatus.

SEX. LIVIO
C. F. CAM. SENECAE
IIIIII VIRO
M. LIVIVS. C. F
CAM. FRATER
IIIIII VIR
FAC. CVR

Brixiae quoque in patria mea, mihi semper cum egregia & debita praescriptione nominanda, sunt marmora, quorum aliqua tribum Fabiam, aliqua Publiliam civibus Brixianis adtribuunt. Inscriptio, quae Fabiam habet, refertur a Sigonio, quae Publiliam laudat, etiam est in libro Apiani sic. [pag. 65.]

P. CLODIVS. L. F
PVB
NIGER
D. D

IN EODEM APIANI LIBRO. [*pag.*105.]

Apud Petrinum Sinuessanum.

L. PAPIVS. L. F. TER
POLLIO. II. VIR. L. PAPIO
L. F. FAL. PATRI

Ubi patri & filio duae diversae tribus adsignatae sunt, Terentina & Falerina.

CAPUT IV.

Logeum. Scribendo adfuerunt. Si vales, bene est. Kalendae primae.

Libro Ep. Fam. v. in Epiſtula [xx.] ad Rufum ſunt haec verba: *Nam de Luceio ita eſt actum.* Joſephus Scaliger ad Catulli epigramma in Mamurram [LIV.] legit, *Lucello.* Temere facere tantum virum ne ſuſpicor quidem. conſiderandum tamen eſt, an locum hunc, & vocem ipſam aliquid juvet Modeſtinus Jureconſultus, qui tradit rationes civitatum adpellari λόγεια (*a*).

Lib. VIII. *Epiſtula* VIII. legitur: *ſcribendo adfuerunt.* qui loquendi modus ſignificat, *teſtes fuerunt.* Lampridius in Heliogabalo [*cap.* 4.]. *Quae* (mater) *cum veniſſet ad conſules, ſcribendo adfuit, id eſt, Senatusconſulti faciendi teſtis.* Idem ſcriptor interdum dicit, *ad ſcribendum.* Joſephus *lib.* XIII. Antiquitatum [*cap.* IX. §. 2.], *Praeſente M. Manlio.* & *lib.* XIV. *Praeſente L. Coponio.* Scribebant autem Senatusconſulta illi ipſi, qui ſcribendo adeſſent. Itaque Cicero ad Catonem *lib* XV. *Epiſt. Familiar.* [*Ep.* VI.] ſic ſcribit: *Reſque ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſuplicationis fuiſſe jucundum, quod ſcribendo adfuiſti. Haec enim Senatusconſulta non ignoro ab amiciſſimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolere.*

Lib. V. ejusdem operis, *epiſt.* XIV. cur uſurpat formulam hanc? *Si vales bene eſt*, quae ſollemnis fuit iis, qui vel ipſi, qui ſcribunt, vel ii, ad quos dan-

(*a*) Vid. *l* 15. §. 7. *ff. de excuſat.* & *Auguſtinum* libro ſingulari *ad Modeſtin. p. m.* 290.

dantur literae, essent simul cum imperio & potestate, aut cum potestate solum? cum neuter magistratum, honoremve ullum gereret? soluit dubitationem hanc Plinius Junior. *lib.* I. epistula ad Fabium [11.], quae incipit: *Olim nullas mihi epistulas mittis. Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe: nihil esse, quod scribas. Vel solum id, unde incipere priores solebant. Si vales bene est, ego valeo.* Quod Plinii testimonium probat, privatos etiam consuevisse formulam illam epistulis suis anteponere.

CAPUT V.

Expositus Coelii Epistulae ad Ciceronem locus. Nonius emendatus.

In ultima Epistula Coelii *lib.* VIII. ad Ciceronem sunt verba ita distinguenda, ut nos nunc facimus: nam antea male. *Tu porro, cum ad te, proficiscens noctu Ariminum, venissem, dum mihi pacis mandata das ad Caesarem, & mirificum civem agis, amici officium neglexisti, neque mihi consuluisti.*

Profectus est Ariminum Coelius una cum aliis fautoribus caussae Caesaris. In eo itinere Coelius ad Ciceronem, qui Capuae, atque orae maritimae praeërat, devertit. Adcessit quidem & Cicero Ariminum, sed multo post ad Caesarem Juniorem, ut est apud Nonium in verbo *Rogare* [*pag*, 700. *Ed. Gothofr.*] *Sic Rogare quaerere & sciscitari. M. Tullius ad Caesarem Juniorem lib.* I. *Roga ipsum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.* Quae verba sunt etiam in voce, *Accipere* [*pag*. 619.] apud eumdem Nonium, quamquam ibi pro, *Arimini*, conrupte legitur, *Armis*. Sed hic auctor eget multa ope; in quam cu-

curam incumbit Fabius Bellonus, juvenis non ſpei, ſed meſſis uberrimae: qui nondum declaratus I. C. juris interpres merito virtutum ab excellentiſſ. Senatu Mediolanienſi, Ticini eſt conſtitutus. Ubi in nobili auditorum frequentia docet cum legum majeſtate & gravitate, linguae Latinae Graecaeque ſplendorem, pridem a libris juris peritorum exſulantem, conjungere.

CAPUT VI.

De libertorum nominibus declaratus locus Epiſt. Familiar. lib. XIII. [Ep. 69.]

Si Mithres, libertus Poſtumii fuit, cur libertatem conſecutus praenomen & nomen alterius, nempe C. Curtii, adſcivit ſibi? Liberti enim praenomina & nomina patronorum ſimul cum libertate referebant plerumque. An Mithres Poſtumii libertus principio cum libertate habuit nomina patroni? poſtea heres a C. Curtio inſtitutus cum condicione, ut nomen mutaret (plerumque enim id jubebant, qui alienum heredem inſtituebant: ut eſt in *epiſtula* VIII. *lib.* VII. *ad Atticum* his verbis: *Dolabellam video Liviae teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente, ſed juberi mutare nomen.*) relictis patroni nominibus praenomen & nomen C. Curtii, in cujus hereditatem veniſſet, accepit? An C. Curtius poſt datam Mithrae libertatem tranſivit in gentem Poſtumiam adoptione, aut adrogatione, aut hereditate juſſus nomen mutare? An Mithres Poſtumii ſervus commendatione & ſtudio C. Curtii libertatem a domino conſecutus praenomen & nomen commendantis accepit? Interdum enim ſervi facti liberi nomina eorum ſumebant, per quos

 eſſent

essent libertatem adepti. Harum unam, aut aliam, si qua sit his similis, si admittimus caussam, nulla opus erit mutatione nominis *Postumii* in cognomen *Postumi*, quod putavit Paullus Manucius. Atque haec nostra disputatio atque expositio opportuna erit ad aliquot alia etiam harum epistularum similia loca.

CAPUT VII.

Pudor inutilis.

Planci ad Ciceronem haec sunt verba x. *lib. epist.* XXIII. *Pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc casum coëgit subire: verebar enim, ne cui obtrectatorum viderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia alere bellum.* Pudor hic Planci Graecis δυσωπία dicitur, quae non tantum est inutilis, sed plerumque damnosa. Legatur *lib.* I. *Officiorum* [*cap.* 24.] Ciceronis, ubi de jactura opinionis & gloriae interdum, cum rationes reipublicae poscunt, facienda disputat: adfertque exempla Callicratidis & Cleombroti, quorum temeritate factum est, ut Lacedaemoniorum imperium graves plagas acceperit: dum ambo verentes, ne timidi censerentur, maluerunt iniquo loco se tenere, & cum paratioribus pugnare, quam parendo sapienter monentibus locum mutare, & praelii conserendi occasionem in opportunius tempus rejicere, & necessario tempore facere pusillam jacturam privatae existimationis, maximo reipublicae suae emolumento illam fortasse paullo post redempturi. At non sic Contator Fabius, ab Ennio jure laudatus, qui solidam gloriam non in vulgi opinione & praedicatione, sed in

in ſapientia & patriae incolumitate locabat.

Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Legatur etiam Plutarchi libellus de hac inutili verecundia.

CAPUT VIII.

In Epiſtulam 1. *lib.* 1. *Epiſtularum ad Atticum. Frater modis accipi poteſt pluribus.*

Caecilius avunculus tuus a P. Vario cum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum ejus fratre Caninio Satiro. Verba ſunt Ciceronis ex *prima libri primi ad Atticum epiſtula*, in quibus quaeri poteſt, quomodo Caninius Satirus fuerit P. Vario frater; qui gente fuerunt diverſa, hic Varia, ille Caninia. Verum ſic ſolvi & expediri dubitatio poteſt. Aut germani quidem ambo fratres fuerunt: ſed alter tranſierit in nomen & gentem aliam vel adoptione, vel adrogatione, vel hereditate cum condicione, ut nomen mutaret in nomen adoptantis, aut adrogantis, aut inſtituentis heredem. Aut fratres uterini fuere tantum, matre divortio, aut poſt obitum prioris mariti alteri diverſae gentis nupta. Aut ex ſororibus, vel fratre & ſorore patrueles fuerunt.

CAPUT IX.

Ciceronis locus in Oratore perpenſus.

Ex uſu dicunt, & e republica, quod in altero vocalis excipiebat, in altero eſſet aſperitas, niſi x literam ſuſtuliſſes: ut exegit, edixit, effecit, extulit, edidit. Verba ſunt Ciceronis *in Oratore* [*cap.* 47.]

47.] in quibus ego existimo abundare vocem illam, *effecit*, adductus ratione hac. Cicero hic habet sermonem de oratione, in qua *x*. vel servatur vel tollitur. *Exegit*, & *extulit*, *x*. servant: at *edixit*, & *edidit*, amittunt. In voce *effecit*, neutrum contingit, sed mutatur. Haec est caussa, quamobrem verbum illud expungendum censeam. Observa praeterea, Ciceronem statuere, *edico* & *edo*, aliaque horum similia non ex *E*, sed *Ex*, praepositione componi. Sequitur statim locus alter fortasse conruptus, certe obscurus: *Adjuncti verbi primam literam praepositio commutavit, ut suffugit, summutavit, sustulit. Quid in verbis junctis?* Majoragius legebat, *adjuncti verbi prima litera praepositionem mutavit*. Sed tam audax tot verborum mutatio non placet Paullo Manucio, qui sic legit, divisa prima dictione composita in duas simplices, sic. *Ad juncti primam literam praepositio commutavit.* exponitque *commutavit*, *commutata est*, quemadmodum legimus apud Virgilium [*Aen*. II. *vs*. 8.],

Nox humida caelo Praecipitat, pro, *praecipitatur.* Sed nec ipse duabus de caussis satisfacit. Prior est. Si de hujusmodi junctis verbis intelligeret Cicero, quorsum statim subdidisset, *Quid in verbis junctis?* Altera. sententia non procederet: nam si intelligi vult, nihil aliud significare, praepositionem commutatam ad primam literam verbi juncti, nisi in primam verbi juncti literam transire, id est, si prima litera verbi sit *M*, etiam ultimam literam praepositionis fieri M, quid fiet verbo *sustulit?* quod verbum est in exemplo Ciceronis, in quo *B*, in *S*, non in *T*, est commutatum? Itaque suspicari aliquis jure possit, vocem, *sustulit*, omnino esse delendam, quippe quae huc se librariorum incuria intruserit. Sed quemadmodum nonnulli medici interdum

dum (bene ne, an male, videant ipſi) in corpore aegrotantis humores tantum excitant & commovent, non diſcutiunt, & eiciunt: ſic ego hic admoneo tantum, aut etiam conſulo: non cenſeo, aut ſtatuo.

CAPUT. X.

Duos Germanos Fratres eodem Praenomine.

Exiſtimant viri docti, Q. Caecilium Metellum Nepotem, & Q. Caecilium Metellum Celerem fratres Germanos non fuiſſe, quoniam uterque eodem praenomine fuit. Non temere cenſere eos judico. Eſt tamen in Haſta Colonia in pavimento maximi ſacelli templi D. Secundi ad forum, antiqua tabula marmorea cum hac inſcriptione.

C. FVLVIVS. C. L. TARCVSSA
PATER
C. C. FVLVII. FIDELIS. ET.
PACATVS. FILII
FVLVIA. C. L. EPICHARIS
MATER

Quid de Flaviis dicemus? quorum non modo pater Veſpaſianus, & duo filii Titus & Domitianus, ſed etiam Veſpaſiani pater & avus, frater quoque cum filiis praenomine Titi univerſi fuerunt nominati? Verum jam ea tempeſtate mores & literae ab antiqua puritate recedebant.

CAPUT XI.

Pridie Kalend. Januarii Consul prope privatus erat. Annuus magistratus.

Ciceronis *lib.* v. *ad Metellum epist. secunda* sunt haec verba: *Atque ille, quod te audivisse certo scio, pridie Kalend. Januarias, qua injuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis adfectus est, ea me Consulem adfecit, cum rempub. conservassem, atque abeuntem magistratu concionis habendae potestate privavit.*

Qua specie juris Metellus sibi licere existimavit in Consulem tantam injuriam audere? suspicor (fieri potest, ut fallar) diem pridie Kalend. Januarias, id est, ultimum Consulatus diem fuisse tamquam vacuitatem Consulatus, & quasi interregnum, ut Cicero eo die fuerit prope privatus, & quasi (ut sic dicam) sine Consulatu Consul. Propterea Metellus Tribunus plebis judicavit, minore invidia sibi licere eo die injuriam cum ignominia Ciceroni imponere. Alioqui tam insignem in maximum magistratum audaciam, tacitam a Senatu populoque Romano ferre non debuit. Suborta est autem mihi suspicio haec ex verbis Digestorum, quae adponam. *Lex* 5. *ff. de feriis. Ulpianus lib.* LXII. *ad edictum. Pridie Kalend. Januarias magistratus nec jus dicere, sed nec sui potestatem facere consueverunt.*

Mos porro jurandi in concione pridie Kalend. Januarii transivit sublata libertate ad Imperatores; dicis videlicet gratia. Quo Plinius Junior respiciens in Panegyrico ad Trajanum inquit [*cap.* 65.]: *Itaque abiturus consulatu jurasti, te nihil contra leges fecisse.* Occasionem hujus observationis dedit mihi

Octa-

Octavianus Giglijnus Patricius Alexandrinus J. C. excellentiss. meae disciplinae gratissimus alumnus.

CAPUT XII.

Festi locus adjutus.

Miratur vir doctus, cur Festus [*in voce Septimontio*] faciens verba de septem montibus Romae, enumeret octo his verbis: *Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriae. Palatio, cui sacrificium, quod fit, Palatuar dicitur. Veliae, cui item sacrificium. Fagutali, Saburrae, Germalo, Oppio, Coelio monti, Cispio monti.* Locus est omnino conruptus. Totum tentare sine ope veteris alicujus melioris libri insanire est. Sed quod adtinet ad numerum montium, constabit ille, si, ubi scriptum est, *Veliae, cui item sacrificium, Fagutali, Saburrae*, & reliq. sic legamus: *Veliae, cui item sacrificium Fagutal.* Recte. Nam ut Palatio *Palatuar* sacrificium fuit, sic *Fagutal* Veliae: quam rem alibi etiam idem Festus tradit. Varroni quoque *lib.* IV. [*p.* 36. *edit. H. Stephani.*] est Sacellum sive lucus Jovis *Fagutalis*, ubi sacrificium fiebat *Fagutal.* Ausim etiam in iisdem verbis Festi, ubi legitur, *Veliae, cui item sacrificium Fagutal*, tollere vocem, *Veliae*, & reponere, *Esquiliae.* Fuit enim *Fagutal* in Esquiliis auctore P. Victore [*in Region.* V. *urbis.*] & Varrone *lib.* IV. [*pag.* 15.] Non me latet, Marlianum *lib.* V. *cap.* XIX. scribere, sacrificium nomine *Fagutal* fieri solitum esse in Viminali. Sed idem Marlianus eodem capite dixerat, *Viminalem a Varrone inter Esquilias connumerari.*

CAPUT XIII.

Statius Praenomen, interdum Nomen & Cognomen. Volcatii Sedigiti versus emendatus.

Statius modo praenomen, modo nomen, modo cognomen fuit. Praenominis testimonium exstat Aquis Statiellis in antiquo marmore aedium Juliani Ecclesiae.

L. METTIO. L. F
L. ATTIO. ST. F. RVBRIA
VARIENO. C. F. SECVDA
FILIO. VIRO. SIBI. V. F

Tauri-

Taurini, in turri templi Antoniani
Sancti Delmatii.

T. AEBVTIVS
SECVNDVS
SIBI. ET
ST. AEBVTIO.
OPTATO. PATRON
ST. AEBVTIO. SEC
P. C

Ibidem in aedibus Hieronymi Agathiae.

DOMITIO. M. F
ST. MARCELLO
CACTIA. VXOR

Meminit etiam Livius *lib* IX. [*cap*. 44.] Statii Gellii imperatoris Samnitium. Valerius quoque Probus Statium inter praenomina enumerat. Gentile vero fuiſſe etiam nomen ſatis probant marmora aliquot in libro Petri Apiani: in quibus eſt mentio C. Statii Fauſti: C. Statii Primigenii: C. Sta-

tii Neureti: Statii Saturnini. Est etiam apud Plinium *lib.* IX. *cap.* 15. Statius Sebosus. Fulvius quoque Ursinus in *lib. de familiis* de hac doctrina differit.

De cognomine vero satis sit referre verba Agellii *lib.* IV. *cap.* 19. Quod etiam eo libentius facio, quod a nonnullis (*a*) non omnia verba, a quibusdam etiam fide non integra adponuntur: ea sic habent: *Et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis, quam equus curatior? Quoniam (inquit) ego me curo, equum Statius. Visum parum reverens esse responsum: relatusque in aerarios, ut mos est. Statius autem servile nomen fuit. Plerique apud veteres servi eo nomine fuerunt. Caecilius quoque ille comoediarum poëta inclytus, servus fuit: & propterea nomen habuit Statius. Sed postea versum est quasi in cognomentum, adpellatusque est Caecilius Statius.* Recte Agellius: nam servorum nomina, cum libertate erant donati, postremo loco ponebantur. Opportune autem juvandus est conruptus apud Agellium Sedigiti Volcatii versus *lib.* XV. *cap.* 34.

Caecilio palmam statuo de comico.

Nonnulli habita tantum ratione versus, claudicantem defectu temporis & syllabae sic fulciunt.

Caecilio palmam statuo dandam comico.

sed tanta & tam audax mutatio non placet. Aldus Manucius, amicus meus, peritam arte & consuetudine medendi manum feliciter adhibuit. Ille cum aliquot ab hinc annos Genua Venetias reverteretur, & de recta via nonnihil deflectens, ut me paternum amicum, quem tamen de facie nondum norat, viseret, Alexandriam venit: perhumaniterque pro sua liberali natura & probitate domi me salu-

(*a*) In margine prioris editionis erat: *Panvinum innuit.*

lutavit. Accepi laetans, & amplexus, ut debui, hominem, blande tamen & molliter adcuſatum atque increpitum, quod non recta ad Mattium, pro paterna amicitia, & pro merito ſuo (boni enim ad bonorum ut convivium, ſic hoſpitium non vocati adcedunt) devertiſſet: pro peccatoque ſtatim impoſita eſt a me multa, ut apud me cenaret, & eſſet, quamdiu Alexandriae moraretur. Renuenti initio verecunde, & excuſanti, apage, inquam, delicias cum putidiuſcula iſta modeſtia & pudore. Non alio pretio redimes culpam, quae admiſſa eſt, cum de porta ad januam noſtram recta non veniſti. ſic condicionem accepit, cum exceptione tamen, ne aſymbolus ſederet. Feſtive, ego inquam, atque ut lubebit, modo ſymbola ſit muſica. Ergo adpoſita menſa, cum ego: heus vos κατὰ χεῖρας ὕδωρ: excipiens ille: at ego prius ſymbolam: & ſimul prolato verſu Sedigiti, vitium in eo indicat & tollit, ſic illum reſtituens.

Caecilio palmam Statio dem comico.
Probam (*a*), ἦν δ' ἐγώ, *proba moneta ſymbolam*,
Judice me: ita medius fidius amet bene.
Ut ſi ſecus quis ſentiat, male ſentiat.

Antequam autem ab ejusdem Volcatii epigrammate diſcedamus, reſtituamus ibi duobus verſibus legitimam menſuram.

Eum me judice errorem diſſolvam tibi.

ſi, *judice me*, legas non, *me judice*, conſtabit verſus. Ea vero forma dicendi: *Eum errorem me judice diſſolvam tibi:* rara quidem eſt, uſurpata tamen cum ab aliis, tum a Cicerone ad Atticum *lib.* x. [*ep.* 11.] *Obſignata jam epiſtula ſuperiore, non placuit ei dari, cui conſtitue-*

(*a*) *Noſtri ſunt hi verſus:* inquit Mattius in margine prioris editionis.

tueram. Caesar belli Gallici *lib.* v. [*cap.* 44.] *Quo percusso & exanimato, hunc scutis protegunt hostes.* Ubi legitur *hos*, legamus *illos*, vel *istos.* in hoc porro versu.

In sexto consequitur hos Terentius.

pro *hos Terentius*, lege, *istos*, vel *illos Terentius.*

In sexto consequitur illos Terentius.

vel, quod multo blandius adridet mihi, addito uno maxime proprio, & hic adcommodato verbo.

In sexto consequitur loco hos Terentius.

Quod autem nonnulli possint suspicari, parum esse consultum primis duabus syllabis in verbo, *Licinius*, in illis versibus:

Si quid quarto detur, dabitur Licinio.

sciat ille, utrasque syllabas cadere in arbitrium scribentis carmen. Papinius Statius *lib.* IV. *Thebäid.* [*vs.* 734.]

Si stagna Licinia restant.

Horat. *lib.* II. *Carmin.* [*Od.* XII. *vs.* 13.]

Me dulcis dominae Musa Liciniae.

& iterum ibid. [*vs.* 23.]

Permutare velis crine Liciniae.

Idem. [*Od.* x. *pr.*]

Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo.

& in epist. ad Pisones. [*vs.* 301.]

Tonsori Licino commiserit.

C A.

CAPUT XIV.

Plinii loca duo emendata.

Ex ipſo Plinio Plinii locum juvemus *lib.* xxxvi. *cap.* 9., ubi de obeliſcis agit. *Naves duas* (inquit) *in latitudinem patulas pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminati per duplicem menſuram ponderis oneratas, ita ut ſubirent obeliſcum pendentem extremitatibus ſuis in ripis utrinque, poſtea egeſtis laterculis adlevatas naves excepiſſe onus ſtatutum.* Lege addita, poſt illa verba, *pedalibus ex eodem lapide*, voce, *laterculis:* ſic. *Naves duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide laterculis, ad rationem geminati per duplicem menſuram ponderis oneratas.* ſequitur enim in eadem periodo paullo poſt, *poſtea egeſtis laterculis adlevatas naves:* in quibus his verbis poſtremis vox haec, *naves*, ſupervacua eſt, & ideo delenda: namque cum jam dixerit ante, *naves duas*, ea vox non fuit repetenda.

Eodem capite, ubi legitur: *Omnibus, quae umquam in mari viſa ſunt.* Scribe, *viſae ſunt: naves* ſcilicet.

Sequenti in capite [xi.] ſunt haec verba: *Tertius Romae in Vaticano Cai & Neronis Principum circo ex omnibus unus omnino fractus eſt in molitione, quem fecerat Seſoſtris filius Numcoreus.* Hic eſt ille obeliſcus, quem jacentem & neglectum dignus immortali memoria Xiſtus V. Pontifex Maximus erexit ad limina D. Petri, adhuc totus integer, & nulla in parte laeſus: nedum fractus aetate Plinii fuerit. Quae obeliſci integritas admonuit Philippum Pigafettam diligentem narratorem erectionis hujus obeliſci, ut conſuleret veteres Vaticanae Bibliothecae

ſcriptos calamo Plinii libros: in quorum uno diſerte ſic invenit ſcriptum: atque ita omnino locus ad illius exemplum eſt reſtituendus. *Tertius Romae in Vaticano Cai & Neronis Principum factus imitatione ejus, quem fecerat Seſoſtris filius Numcoreus.*

CAPUT XV.

Eiusdem Plinii locus emendatus.

Hactenus non eſſe animadverſum inſigne vitium in verbo Plinii *lib.* VIII. *cap.* XLIII. ad finem, jure omnes admirari poſſunt. ſunt autem verba haec. *Aſino moriente viſo celerrime id genus deficit.* Inepta, & contra naturae rationem ſcripturae huius eſt lectio. Primum quis umquam teſtetur, id vel ſemel adcidiſſe? Deinde genus ullum non interit. Ego & ex ſympathia, communi non aſino ſolum, ſed homini etiam, & multis aliis animantibus, quae viſo compare mejere, mejunt & ipſa: & ex Aphrodiſaei problemate XXXV. ſuam Plinio integritatem ſic reſtituo. *Aſino mejente viſo, ceterum genus idem facit.* Arbitror, fore neminem, qui non faſſurus ſit, parva paucarum literarum jactura & mutatione ſuccurſum eſſe foede laborantibus Plinii verbis. Aphrodiſaei verba Latine ſic habent. *Mejente aſello ceteri item mejunt.*

CAPUT XVI.

Eiusdem Plinii declaratus locus.

Libro III. *cap.* XVII. inquit Plinius. *Vercellae Libycorum ex Salijis ortae. Novaria ex Vertomacoris Vocontiorum hodieque pago, non, ut Cato exiſtimat,*

Li-

Ligurum: ex quibus Laevi & Marici condidere Ticinum non procul a Pado: ſicut Boii trans Alpes profecti Laudem Pompejam. In his Plinii verbis vox illa relativa, *ex quibus*, non refert propinquiorem dictionem *Ligurum:* ut perperam putavit Georgius Merula (ſi tamen primus ille hujus ſententiae auctor fuit) & multi alii, etiam qui nunc ſcribunt, Merulae errorem ſecurius ſecuti: ſed reſpicit ad *Vertomacorum*, vel potius *Vocontiorum*, hoc ſenſu. *Ex quibus Vertomacoris, ſive Vocontiis Laevi & Marici condidere Ticinum: ſicut Boii* (Galli hi quoque ex eadem Gallia profecti) *Laudem Pompejam:* Inſubres Mediolanium. Porro Plinius Bojos trans Alpes dixit: ut diſcerneret a Boiis Italicis, qui ex eadem gente multo ante cis Alpes incolebant. Qui diligenter locum Plinii perpendent, ſine dubio mecum facient. Sed Merula, qui in hujuſmodi conjecturis temerario judicio ſaepe praeceps ruit, non ſolum credidit, Laevos & Maricos iſtos fuiſſe Ligures in ea parte, ubi nunc eſt Alexandria, non intellecto loco Plinii: ſed etiam (rem riſu excipiendam) non ſemel ſtatuit, Maricos iſtos incoluiſſe loca, ubi eſt Marencum, qui eſt nunc viculus deſertus, ac ruricolarum, & plerumque inquilinorum ſtatio, ad ſecumdum ab Alexandria lapidem Dertonam euntibus. Eamdem quoque hiſtoriam Livius *lib.* v. [*cap.* 35.] tradit his verbis. *Poſt hos Salvii, qui praeter antiquam gentem Laevos, Ligures incolentes citra Ticinum amnem expulere. Poenino deinde Boii, Lingonesque transgreſſi, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pellunt.*

CAPUT XVII.

Duo Xiphilini loca animadverſa.

Xiphilinus, qui Dionem in compendium contraxit, fallitur: cum ſcribit: [*p.* 743. *E. Ed. Leuncl.*] Vitellium ex propinquis Othonis & Veſpaſiani occidiſſe neminem. Namque ex Suetonio in Vitellio, [*cap.* 15.] & ex Joſepho *lib.* IV. de bello Judaico [*p.* 312. *Ed. Haverc.*] conſtat, Sabinum Veſpaſiani fratrem ad Vitellium adductum juſſu ejus necatum fuiſſe.

Idem ſcribit, Pertinacem Imperatorem Afrum natione fuiſſe: qui Ligus fuit, Alba Pompeja oriundus: quae urbs eſt in ea Liguriae parte, quae ad Ligures Epanterios pertinet, ad ripam Tanari ſita. Sed hominem duxit in fraudem vel Imperator Severus, qui aliquot poſt annos imperavit, adſumpto ſibi nomine Pertinacis: (hic enim vere Afer fuit): vel vox Graeca, quae apud Dionem Λιγὺς, id eſt, *Ligus*, fuit. Ille properans & ſecurus animi, Λιβὺς eſſe putavit (*a*): itaque *Afrum* vertit. In Alba vero Pompeja duae fuerunt gentes Pertinacium, Julia & Helvia, inſigni errore eorum, qui apud Spartianum, *Aelium*, ſcribunt. Qui enim Romae imperavit, fuit P. Helvius Pertinax. Juliae gentis exſtat adhuc Albae Pompejae in aedibus Scotiarum monimentum in marmore ſculptum hoc.

(*a*) Aſt *Xiphilinus p.* 831. *B. Ed. Leuncl.* diſerte ſcribit. Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λιγὺς ἐξ Ἄλβης Πομπηΐας. Sed decepiſſe *Mattium* videtur vulgata ſcriptura, quae Λιβὺς habet pro Λιγὺς; & erronea forte *Xylandri* interpretatio, qui *Afrum* prius erronee verterat. Vid. ejus & Sylburgii notas ad illum locum.

CN.

CN. JULIO
PERTINACI
AED. QUEST
PRAE. FABR
CN. DIDIUS
HERMES
FILIO. PIISSIMO
LDDD

CAPUT XVIII.

Terentii locus animadverſus. Prolubium.

In fine Adelphorum Terentii legitur. *Quod proluvium? quae iſtaec ſubita eſt largitas?* Ego ex Donati docti hominis interpretatione, qui προθυμίαν exponit, non *proluvium*, ſed *prolubium* lego: intelligoque non prodigam profuſionem, ſed nimiam animi voluntatem & libidinem largiendi. Neque a *proluendo*, ſed a *prolubendo* (liceat enim ſic nunc loqui) deduco. Quod ſi *proluvium* retineamus, erit eadem verbi ſignificatio, more ſcribendi antiquorum, apud quos in multis vocibus B. & V. invicem ſibi cedebant. Itaque in antiquis inſcriptionibus legimus *Dannuvium*, & *Veneventi*, pro *Dannubium*, & *Beneventi*: quemadmodum contra, *Bixit* pro

Vixit: & *Suebico bello*, pro *Suevico* ſcripſerunt. Sic apud Apulejum *lib.* x. Aſini aurei. [*p.* 185. *Ed. Colvii*] *Et unguento fragrantiſſimo proluvium libidinis ſuſcitaram.* Haec poſtea ab aliis quoque obſervata eſſe animadverti.

CAPUT XIX.

A ſignificat Non. Auſonius declaratus.

Verſus ille Auſonii [*Carm.* 418. *vſ.* 36.]

Vna fuit tantum, qua reſpondere Lacones,
Litera, & irato regi placuere negantes.

multos habet expoſitores, & conjectores: ſed nemo adhuc, quod ſciam, conlimavit recte. Alii enim pro, *litera*, reponunt, *ſyllaba:* quoniam τὸ ὄυ negativa vox, ſit ſyllaba, non una litera tantum. Alii ſervant, *litera:* ſed literam pro ſyllaba accipiunt. Ego & *litera* retineo, & iudico, Auſonium, cum, *litera*, dixit, non τὸ όυ ſed τὸ ά, intellexiſſe, quae eſt vox recuſantis & negantis. Huius interpretationis me commonuit Suidas in Φιλοξένου γραμμάτιον. Hic Philoxenus Cytherius fuit, qui acceptis a Dionyſio literis, quibus ille hominem ad ſe invitabat, nihil quidem per literas reſpondit; ſed libellum miſit, nihil aliud ſcriptum habentem, niſi ſaepius repetitum ά. Inde proverbium, *Philoxeni libellus.* Quod proverbium & recuſandi obſtinatam conſtantiam, & brevitatem Laconicam ſignificat.

CA-

CAPUT XX.

De Trismegisto. Aesculapii locus animadversus. De antiquitate linguae Graecae.

Mercurii plures fuerunt. Auctores id docent multi. Uni ex illis antiqui cognomen posuerunt *Trismegisto*, id est, *Ter maximo*. Caussam cognominis tradunt alii aliam. Suidas in voce Ἑρμῆς, censet: quod de Trinitate Dei nostri, Dei veri, & de tribus Trinitatis personis locutus est; & quidem primus, ut nonnulli tradiderunt: fortasse non male. Sed id paullo post videbimus. Nunc quid Suidas dicat, audiamus. Ἑρμῆς ὁ Τρισμέγιστος, οὗτος ἦν Αἰγύπτιος σοφός· ἤκμαζε δὲ πρὸ τοῦ Φαραώ· ἐκέκλητο δὲ Τρισμέγιστος, διότι περὶ Τριάδος ἐφθέγξατο εἰπών, ἐν Τριάδι μίαν εἶναι θεότητα οὕτως, ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ· καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς νοὸς φωτεινός· καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν, ἡ τούτου ἑνότης, καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον. ἐκτὸς τούτου οὐ Θεὸς, οὐκ Ἄγγελος, οὐκ ὀυσία τὶς ἄλλη. πάντων γὰρ κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ Θεὸς, καὶ πάντα ὑπ' αὐτὸν καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν· ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς ἐν γονίμῳ φύσει παῖς ὢν, καὶ γονίμῳ ὕδατι ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. Καὶ ταῦτα εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων· ὁρκίζω σε οὐρανὲ Θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον· ὁρκίζω σε φωνὴν πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα πάντα κόσμον ἐστηρίξατο· ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ Πατρὸς, τοῦ περιέχοντος πάντα. ἵλεως ἵλεως ἔσο. Cum Suida facit etiam Georgius Cedrenus in compendio historiarum [*p.* 16. *Ed. Basil.*] sic scribens, cum de Sesostre rege Aegypti loquitur. Ἐπὶ τούτου Ἑρμῆν φάσιν ἐν Αἰγύπτῳ θαύμαστον ἄνδρα γνωσθῆναι, καὶ φόβερον ἐπὶ σοφίᾳ, ὃς ἔφρασε, τρεῖς μεγίστας εἶναι δυνάμεις τοῦ δημιούργου τῶν ὅλων Θεοῦ,

μιὰν

μιὰν θεότητα εἶναι· διὸ καὶ Τρισμέγιςος Ἑρμῆς κατωνόμαςαι. Libenter autem retulimus verba a Suida relata: quoniam in libro, qui nunc circumfertur, Mercurii Trismegisti, non sic posita eadem & continuata sunt, licet sententia non discrepent. Hinc conicere possumus, multa alia in eodem libro desiderari: quam rem etiam fragmenta quaedam comprobant, quae sunt apud Stobaeum, quae in hoc libro non sunt. sed ad rem. Alii Trismegistum adpellatum tradunt, quod maximus rex, quod maximus philosophus, quod maximus sacerdos fuerit. Falli hos puto, adductus ad hoc putandum ab historia. Diodorus namque Siculus regem non fuisse aperte testatur libro I. & II. Verba ex primo [*Cap.* 17. *p.* 20. *Ed. Wesseling.*] latine haec sunt, ubi de rege Osiride loquitur. *Tradunt autem Osiridem, Aegypti regno constituto, rerumque omnium cura Isidi uxori permissa, tradidisse ei Mercurium, cuius consilio, quoniam prudentia videretur excellere inter omnes, uteretur.* & paullo post. [*Cap.* 27. *p.* 31.] *Ego sum Isis Aegypti regina a Mercurio erudita. Quae ego legibus statui, nullus solvat. Ego sum uxor Osiridis. Ego sum prima frugum inventrix. Ego sum Ori regis mater.* & quae sequuntur. Quod epigramma etiam insculptum est in columna Calletiae, Urbis Hispaniae Tarraconensis (*a*). Idem Diodorus lib. II. [*Lib.* I. *cap.* 43. *pag.* 53.] *At vero sacerdotes, disciplinarum artiumque repertorem Mercurium fuisse, tradunt. Eorum vero, quae ad vitam spectant, Reges.* Berosus quoque & Manethon in suis chronologiis ullum fuisse Aegyptiis regem nomine Mercurium non tradunt. Lactantius ex praestantia ingenii & virtutum nomen hoc esse consecutum scribit *lib.* I. de Fal-

(*a*) Vid. P. *Apiani* Inscriptiones *pag.* XXIII.

Falſa religione [*Cap.* 6.] his verbis. *Inſtructisſimus omni genere doctrinae adeo, ut e multarum rerum & artium ſcientia Triſmegiſto nomen imponerent.* Idem libro de Ira Dei. [*Cap.* 11.] *Idem teſtatur Hermes: quem Cicero ait in numero Deorum apud Aegyptios haberi: eum ſcilicet, qui ob virtutem, multarumque artium ſcientiam Triſmegiſtus nominatus.* De huiuſmodi cum ternario numero compoſitione nominum memini alias [*In Annotat. Cap.* XXVI.] a nobis alibi in hanc ſententiam fuiſſe diſputatum.

Literarum Agyptiarum uſus fuit etiam aetate Gordiani Auguſti. Cuius ſepulcrum (ut eſt in libro Apiani inter epigrammata Urbis Romae [*pag.* CCXXVIII.]) inſcriptum fuit variarum linguarum literis, Graecis ſcilicet, Latinis, Perſicis, Judaicis, & Aegyptiis. Qui autem credunt Mercurium ſcripſiſſe prius quidem ſua, id eſt, Aegyptia lingua, deinde etiam Graeca, ſomnia ſomniant anilia.

Quaeri hic poteſt, qua lingua Triſmegiſtus myſteria tanta atque tam ſublimia ſcripſerit, & expoſuerit. Tradunt omnes, ſua. Quae vero ſua fuerit Aegyptiis lingua in controverſia eſt. Cenſent nonnulli Hieroglyphicas literas fuiſſe: ſed id a vero abeſt. nullum enim in hoc Triſmegiſti, quem habemus, libro exſtat ſacrarum literarum veſtigium. Ego ſuam Aegyptiis linguam fuiſſe illam Aramaeam cenſeo, ab illis ſecum ex Armenia in Aegyptum portatam, duce Cham, quem aliter etiam Chem, Cameſenum, & Zoroaſtrum adpellatum ſcribunt. Quo a patre Noë, ſive Noa, qui Ogyges aliis, aliis etiam Janus dicitur, cum magno ſociorum numero ad incolendum illam provinciam miſſus fuit: ut apud Beroſum (*a*) legitur. Qui autem credunt, Mercurium ſcrip-

(*a*) Reſpicit Pſeudo-Beroſum Annii Viterbienſis *Lib.* IV.

ſcripſiſſe primum ſua, id eſt Aegyptia lingua, deinde etiam Graeca, quo in numero eſt Marſilius Ficinus in Pymandrum Triſmegiſti, ualde errant. Tantum abeſt, ut id verum ſit (de Graeca intelligo) ut Aegyptii exiſtimarint, ſuas doctrinas Graeca lingua nullo modo poſſe recte exprimi. Cuius rei quod locupletius teſtimonium citabimus, quam ipſius Mercurii: cuius verba ſunt relata ab Aeſculapio, Mercurii: diſcipulo, initio *lib.* 1. Definitionum? [*in Triſmegiſti Pimandro Cap.* 16. *Edit Colon. Agripp.* 1630.] ſic enim inſcribit opuſculum ſuum ad Hammonem, Aegypti regem: quem etiam monet atque hortatur, ne Graecis tranſlationibus contaminari, & quaſi profanari majeſtatem ſcriptorum Triſmegiſti patiatur. Ἑρμῆς μὲν γὰρ (inquit Aeſculapius) ὁ ἐμὸς διδάσκαλος πολλάκις μοι διαλεγόμενος, καὶ ἰδίᾳ, καὶ τȢ Τὰτ ἐνίοτε παρόντος ἔλεγεν, ὅτι δόξει τοῖς ἐντυγχάνουσί μου τοῖς βιβλίοις ἁπλουςάτη εἶναι ἡ σύνταξις, καὶ σαφὴς· ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἀσαφὴς οὖσα, καὶ κεκρυμμένον τὸν νοῦν τῶν λόγων ἔχουσα. Καὶ ἔτι ἀσαφεςάτη τῶν Ἑλλήνων ὕςερον βουληθέντων τὴν ἡμετέραν διάλεκτον εἰς τὴν ἰδίαν μεθερμηνεῦσαι. ὅπερ ἔςαι γεγραμμένων μεγίςη διαςροφή τε, καὶ ἀσάφεια· ὁ δὲ λόγος τῇ πατρῴᾳ διαλέκτῳ ἑρμηνευόμενος ἔχει σαφῆ τὸν τῶν λόγων νοῦν. Καὶ γὰρ αὐτὸ τὸ τῆς φωνῆς ποιὸν, καὶ ἡ τῶν Αἰγυπτίων ὀνομάτων δύναμις, ἐν ἑαυτῇ ἔχει τὴν ἐνέργειαν τῶν λεγομένων. Ὅσον οὖν δυνατὸν ἐςί σοι βασιλεῦ (πάντα δὲ δύνασαι) τὸν λόγον διατήρησον ἀνερμήνευτον· ἵνα μήδε εἰς Ἕλληνας ἔλθῃ, τοιαῦτα μυςήρια, μήτε τῶν Ἑλλήνων ὑπερήφανος φράσις, καὶ ἐκλελυμένη, καὶ ὥσπερ κεκαλλωπισμένη, ἐξίτηλον ποιήσῃ τὸ σεμνὸν καὶ ςιβαρὸν, καὶ τὴν ἐνεργητικὴν τῶν ὀνομάτων φράσιν. Ἕλληνες γὰρ, ὦ βασιλεῦ, λόγους ἔχουσι κενοὺς, ἀποδείξεων ἐνεργητικȢς. Καὶ αὕτη ἐςὶν Ἑλλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος. ἡμεῖς δὲ οὐ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μεγίςαις τῶν ἔργων. In fine loci huius duae ſunt maculae, co-

cognitae quidem a nonnullis & tentatae, ſed non feliciter elutae & purgatae. Etenim pro κενοὺς, quam vocem viderunt hic locum non habere, repoſuerut καινοὺς. & ubi eſt, φωναῖς μεγίσαις: μεγίσας legunt. Ego κενοὺς conſervo, & pro μεγίσαις detracta media ſyllaba μέσαις repono. ſic ſua gratia utrique loco vindicabitur. Ita igitur lego. Ἕλληνες γὰρ, ὦ βασιλεῦ, λόγους ἔχουσι κενοὺς, ἀποδείξεων ἐνεργητικὰς, καὶ ἄυτη ἐςιν Ἑλλήνων φιλοσοφία λόγων ψόφος. ἡμεῖς δὲ οὐ λόγοις χρώμεθα, ἀλλὰ φωναῖς μέσαις τῶν ἔργων. id eſt: *Graeci enim, o Rex, verba habent (rerum) inania, compoſita ad oſtentationem: eſtque haec Graecorum philoſophia verborum ſtrepitus. At nos non verbis, ſed vocibus rerum plenis, utimur.*

Ex his, quae retulimus, evidenter adparet, nec regem fuiſſe Triſmegiſtum Mercurium, nec Graeco idiomate myſteria ea conſcripſiſſe, ſed ſuo: id eſt, ut ego conicio, Aramaeo. Neque vero quisquam ſuſpicetur, haec a me ſcripta ideo fuiſſe, quod de dignitate Graecae linguae, cui honorem habeo, quidquam derogatum velim. Sciant omnes, iudicare me, ab omnibus Graecarum literarum ſtudioſis magnam eſſe habendam gratiam Aeſculapio: qui niſi ſit, inſignem fortaſſe illae jacturam faciant dignitatis, quam ex antiquitate (ut alia praeſtantiora merita ſileam) ſunt conſecutae. Etenim nonnulli ex antiquis ſcriptoribus adfirmare non dubitaverunt, literas Graecas per belli Trojani tempora, ſi non deſideratas, certe inchoatas & rudes: quippe quae a Cadmo ex Phoenicia in Graeciam centeſimo, aliis centeſimo quadrageſimo primo, plus minus, ante everſam Trojam anno adlatae ſint. Ut eorum opinionem praetereqam, qui recentiorem faciunt. Cum tamen ex hoc Aeſculapii teſtimonio, literarum Graecarum uſum in hono-

no-

nore, multo ante Trojam conditam, fuisse videamus: siquidem hic Aesculapius floruit sub Aegypto, Danäi fratre, & rege Aegypti; quem ipse Aesculapius Hammonem vocat, & cui librum suum Definitionum inscribit. Hujus regni anno undecimo Dardanus Dardaniam condidit, quae postea Troja est dicta. Hac tempestate florebat Trismegisti filius Tat: quo tempore Moses, auctore Eusebio, in deserto genti Hebraeorum praeërat: ut necesse sit, Trismegistum, τοῦ Tat patrem, aetate antecessisse Mosen. Quod ideo dictum est, ne quis miretur id, quod supra est narratum, censere aliquos, Trismegistum ante Mosen scripsisse. De Pharaone, quem Suidas nominat, & qui a Beroso Chencres adpellatur, non est hic dicendi locus. sed occasio admonet, ut de Danäi & Aegypti fratrum variis adpellationibus dicamus. Notissimi, cantatissimique sunt Graecis perinde atque Latinis monimentis Aegyptus & Danäus fratres: prole Aegyptus L. filiorum, Danäus L. filiarum: & scelere, ac poenis Danäidum, quae patrueles fratres & sponsos, una excepta Hypermnestra, quae sponsum suum servavit incolumen, prima nocte jussu patris Danäi interemerunt. Aegyptus Aegypti rex (provincia enim a domino nomen invenit) is est, quem Aesculapius, ut supra dictum est, Hammonem vocat. Berosus in fine suae Chronologiae, & Eusebius Ramesen cognomine Aegyptum nuncupant. Josephus vocat Sethosim *lib.* I. *contra Apionem* [*Tom.* II. *p.* 447.] Frater Armaus, sive etiam Armeus, cognomine Danäus, ab iisdem Beroso & Eusebio nominatur. Tangendam hic putavi breviter hanc nominum varietatem, ne quis in horum nomenclatura auctorum, quos nominavi eorum aliquos putet errare, aut eorum libros esse cor-

rup-

ruptos, & reliquos ex uno esse emendandos. sua cuique nomina sunt relinquenda & servanda.

CAPUT XXI.

De Genitivis nominum propriorum in ius, *una syllaba finientium Nominativos. Composita a* jacio, *ut* abicio, *uno* i. *scribenda. Emendati versus Ennii & Plauti. Actii versus apud Ciceronem restitutus.*

Nemo non novit, propria nomina flexus secundi, finientia nominativum in *ius* duarum syllabarum in duo *ii* genitivos finire: vocativos vero una syllaba minores esse. *Julius*, *Julii*, *Juli*. Sed quid sentiemus in nominibus illis propriis, quorum nominativi in *ius* unicam syllabam exeunt? qualia sunt *Appuleius*, *Atteius*, *Aurunculeius*, *Caius*, *Cicereius*, *Cocceius*, *Fonteius*, *Petreius*, *Partumeius*, *Pompeius*, *Saufeius*, *Tarpeius*, *Varginteius*, *Veius*, *Vulteius*? Quid, inquam, hic statuemus? Cujusmodi illis Genitivos, Vocativos, & reliquos casus dabimus? Ego, etsi vix quemquam invenias, (excipio inter aliquot alios doctos viros eos, quibus in purgando Festi Pompei libro ratio rectam scripturam monstravit) qui horum nominum genitivos duobus *ii* non scribat, & scribendos censeat: tamen ego contra judico, existimoque genitivos istos formari a Nominativis, abjecta non tota ultima syllaba, *ius*, sed *us* tantum, remanente *i* cum eadem potestate consonantis, quam in Nominativo habuit. sic continget, ut Nominativi syllabarum numero non vincantur ab obliquis: quam rationem servant etiam reliqua Latina ejusdem declinationis nomina, ex-

 ceptis,

ceptis, ut ante dictum est, Vocativis Nominativorum in *ius* duarum syllabarum desinentium, quibus una syllaba est detracta: *Julius*, *Julii*, *Juli*. Atque res postulat, ut antequam longius progrediamur, probemus exemplis poëtarum, *ius* syllabam in supra citatis Nominativis unam tantum esse, non duas: ne quem forte in fraudem ducat mos Graecorum scribentium ea nomina una syllaba, quam nos facimus, longiora. Πομπήϊος, Ταρπήϊος. Horatius igitur *lib.* I. *Sat.* v. [*vs.* 32. *seqq.*]

Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo. —— ——

Lucanus *lib.* VII. [*vs.* 121.]

Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen.

Idem *lib.* VIII. [*lib.* IX. *vs.* 133.]

Nec Pompeius erit. —— ——

Reliqui quoque casus Nominativorum sunt aemuli. Horatius *lib.* I. *epist. ad Maecenat.* [*ep.* VII. *vs.* 55.]

It, redit, & narrat, Vulteium, nomine Maenam.

Lucanus *lib.* VI. [*vs.* 570.]

Hunc, ut fama loci Pompeio protulit, alta.

Propertius *lib.* IV. *Eleg.* IV. [*vs.* I.]

Tarpeium nemus, & Tarpeiae turpe sepulcrum.

In quo versu etiam notandum est, derivata syllabis primigenia non superare. Sic etiam Lucanus *lib.* III. [*vs.* 154.]

Tunc rupes Tarpeia sonat. —— ——

Virg. *lib.* VIII. [*vs.* 652.]

In summo custos Tarpeia Manlius arcis.

Ovidius IV. *Ponti.* [*Epist.* v. *vs.* 9.]

Protinus inde domus vobis Pompeia petatur.

Sed ad Genitivos revertamur: quos ut uno *i.* terminari, & syllabis esse Nominativis pares, diceremus, ea ratio movit, quae docet, Genitivos Latinorum nominum in numero syllabarum convenire

cum

cum Dativis, Adcusativis, & Ablativis: si quidem illa certam regulam aliquam sequuntur: ne quis forte obiciat nomina illa, quae propterea etiam ab nonnullis antiquis Grammaticis ad pronomina relegantur, *unus*, *totus*, *solus*, & reliqua ab iisdem Grammaticis adnotata. Deinde praesto poëtae sunt, qui dubitationi nullum relinquunt locum. Lucanus *lib.* II. [*vs.* 283.]

Hunc neque Pompei Brutum, neque Caesaris hostem.

Idem *lib.* VI. [*vs.* 589.]

Quem prior adfatur Pompei ignava propago.

Idem *lib.* VII. [*vs.* 196.]

Impia concurrunt Pompei & Caesaris arma.

Idem *lib.* VIII. [*vs.* 793.]

—— *Placet hoc Fortuna sepulcrum*
Dicere Pompei: quo condi maluit illum.

Ibidem [*vs.* 820.]

Haud procul est ima Pompei nomen arena.

Ibidem [*lib* IX. *vs.* 227.]

Nos Cato da veniam, Pompei duxit in arma.

Horatius *lib.* I. *Sat.* V. [*vs.* 50.]

Hinc nos Coccei recipit plenissima villa.

Atque haec ad Genitivos. Vocativos quoque eosdem esse cum Genitivis docebunt, quae nunc in mentem veniunt, sequentia exempla. Ovidius *lib.* IV. *ep.* I. *Ponti* [*vs.* I.]

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo.

Lucilius *lib.* XXX. *apud Nonium in Incilo.* [*pag.* 554. *inter Auctor. L. L. Gothof.*]

Nunc Cai quoniam incilans nos laedi' vicissim.

Martialis [*lib.* IX. *Epigr.* 93.]

Quod debes Cai, redde inquit Phoebus: & illinc.

Dicet aliquis. Recte hactenus res habet: sed restat scrupulus, quem excuti velim. Si uno *i* scribantur Genitivi isti, atque Vocativi, quid fiet

praecedente vocali, quam vocalis ſequens ſolet brevem facere? Reſpondetur. Conſervat illa in his ſua tempora. Graeci probant, qui illam per η ſcribunt. Praeterea ipſum *i*, licet relinquatur ſolum, tamen eamdem ſervat vim, quam habuit in Nominativis, reliquisque caſibus. Neque ſolum contingit hoc in horum nominum caſibus, ſed in aliis quoque aliquot vocibus idem uſu venit: praeſertim in verbo *Jacio*, in quo compoſito τὸ *i.* ſolum remanens praepoſitionis antecedentis ultimam vocalem, cum poëtis eſt libitum, longam praeſtat: ut in illo Virgilii verſu [*Georg.* III. *vſ.* 389.]

Reice ne maculis &c.

Quaſi vero in quibusdam Genitivis & Dativis quinctae declinationis huic vocali eamdem poteſtatem non tribuamus; cum, *aciei*, *rabiei*, dicimus. Quid? apud Lucretium nonne in *ei*, ab *is*, pronomine, in *rei*, a *res*, & *fidei*, penultimam ſemper longam ope ſolius *i* vocalis legimus? ſingularum aliquot ab ipſo poëta adponam exempla, cum plura citari poſſent [*lib.* V. *vſ.* 103.]

Nunc jacere indu manus, via qua munita fidei.

Idem *lib.* II. [*vſ.* 236.]

Tempore inane poteſt vacuum ſubſiſtere rei.

Eodem *lib.* [*vſ.* 548.]

Corpora jactari unius genitalia rei.

Eodem *lib.* [*vſ.* 1135.]

Nec facile indu venas cibus omnis diditur ei.

Idem *lib.* V. [*vſ.* 285.]

Nam primum quidquid fulgoris deperit ei.

Sic verſus ille apud Ciceronem *lib. de Senectute.* [*cap.* I.]

Ille vir haud magna cum re, ſed plenu' fidei.

Quid? Latinos poëtas, cum *ae* diphthongum in fine caſuum primae declinationis volunt reſolvere

in

in duas syllabas, quae alia caussa coëgit ad *ai* diphthongum Graecam confugere, cum *Aulaï*, dicunt, *Feraï*, *Naturaï*, *Viaï*? ut alia multa Lucretio familiaria sileam. Nimirum eam vocali huic esse vim norant, quae adquirere temporis adcessionem vocalibus & syllabis brevibus praecedentibus posset: ut in Virgilii duobus versibus adcidit, qui nunc opportune in mentem venerunt. [*Aenëid.* IV. *vs.* 64.]

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

[*Georg.* I. *vs.* 185.]

—— *Populat ingentem farris acervum.*

sic enim legendum est, non: *populatque ingentem farris acervum.* Idem ter fecit Cicero in paucis suis versibus, qui sunt in *lib.* de Divinatione. [*I. Cap.* 47. *& seq.*]

Subigit ipsa feris transfigens unguibus anguem.
Abicit efflantem & laceratum adfligit in undas.
Omnis cura viris, uter esset Induperator.

Ausonius in Alcone. [*Epigr.* LXXIII.]

Falsum convicit ilico haruspicium.

Tandem ergo in his compositis a verbo *Jacio*: *Abicio*, *Adicio*, *Deicio*, *Eicio*, *Obicio*, *Proicio*, *Reicio*, *Subicio*, *Obices*, & *Subices*, admirari desinant graves viri Orthographiae nostrae, nostrae dico? immo antiquorum, consilium: qui praeter eas, quas diximus, rationes, nitimur auctoritate veterum magni nominis Grammaticorum, Velii, Festi, (Festum cum cito, Verrium quoque cito) Servii, Bedae, atque aliorum: nitimur testimonio veterum calamo scriptorum librorum. Marmora quoque antiqua nos juvant, quibus testimonium ad nos nullum venit inconruptius. Glossarium vetus numquam aliter habet in omnibus illis verbis. Ac ne forte ambitiose & falso Grammaticorum testimoniis & nominibus abuti videar, duo Servii loca, optime

ad firmandam meam ſententiam facientia, libitum eſt adponere. Reliquorum teſtimonia, cum Servio idem ſentientium, quilibet ſibi ex eorum libris petat. Servius igitur ad eum ex IV. Aeneïdos libro verſum [550.]

His germana malis oneras, atque obicis hoſti.

ſic ſcribit. Ob *naturaliter brevis eſt, ſicut* re, *&* ab: *ſed plerumque producuntur hac ratione in* obicio, reicio, adicio: *quia habent vocalem ſequentem, quae per declinationem poteſt in conſonantis formam tranſire: ut* objeci, rejeci, adjeci. *Ergo etiam antequam tranſeat, interdum fungitur officio conſonantis, & praecedentem longam facit.* Idem in *lib.* x. ad eum verſum [473.]

Atque oculos Rutulorum reicit arvis.

ſic ait. *Reicit.* Re *naturaliter brevis eſt, & pro longa poſuit. ſic alibi. Reice, ne maculis infuſcent vellera fuſcis. Quod licet poſſit excuſari: quia cum facit* rejeci, *inter duas vocales vocalis i poſita producit ſuperiorem: ut dicamus, eam longam eſſe ſpe, quae per declinationem longa futura eſt: tamen, quia in hac re argumentum magis eſt, quam ratio, dicamus Ectaſim factam, quae poëtis plerumque conceditur.*

Sed ad rem. Igitur ſtantibus adjumentis, quae adtulimus, Genitivi hi, de quibus agimus, uno, i, tantum ſcribendi ſunt. Vocativi etiam, ut probatum eſt, pares ſunt Genitivis. Quamquam hos Vocativos interdum per συνίζησιν contrahi in pauciores ſyllabas non me latet. Sic facit Horatius *lib.* II. *Carm. od.* VII [*vſ.* 5.]

Pompi meorum prime ſodalium.

pro, *Pompei.* Idem *lib.* I. *epiſt.* VII. [*vſ.* 91.]

Durus ait, Vulti, nimis, adtentuſque videris.

pro *Vultei.* Quoniam autem in hunc ordinem redegimus praenomen *Caius*, libet admonere, illud mo-

modo duarum, modo trium ſyllabarum legi. Martialis. [*Lib.* III. *Epig.* 38.]

Egit Atheſtinus cauſſas, & Caius uterque.

Auſonius [*Epig.* LXXV.]

Quis tu? Caius ait: vivisne? &c.

Sic paullo poſt ibidem.

Tum Caius: melius nil Eunome.

Martialis *lib.* IX. [*Epigr.* 93.] trium ſyllabarum facit.

Non mavis, quam ter Caius eſſe tuus.

Lucillius *lib.* XI. apud Nonium in *Damnare.* [*cap.* 4. *p.* 641. *inter Auct. L. L. Gothofr.*]

Caſſiu' Caius hic operariu', quem Cephalenem.

Idem ferme adcidit, cum in aliis ſimilibus, tum in voce *Boius.* Silius *lib.* IV. [*vſ.* 706.]

Boiorum nuper populos turbaverat armis.

Idem paullo poſt [*ante. vſ.* 159.]

Unde Boiorum ſociata examina denſant.

Quod additurus ſum non eſt a ſuperiore argumento alienum. *Maius* (menſis nomen) *Mai* genitivum facit, priore ſyllaba remanente longa. Sic *Nais, Naidis; Lais, Laidis; Thais, Thaidis:* in quibus omnibus τὸ ἰῶτα producit praecedentem vocalem. Propertius *lib.* II. *elegia* XXIII. [*vſ.* 96.]

Suppoſita excipiens Nai Caduca manu.

Quo in verſu ante male legebatur. *Naica dona manu.* Idem obſervandum eſt in *Laius* trium ſyllabarum apud Statium [*Lib.* I. *Thebaid. vſ.* 296. & *Lib.* II. *vſ.* 66.] & reliquos. Nobiles etiam Grammatici, librique calamo ſcripti veteres, inprimis Virgilii, & Gloſſarium vetus, ſcribunt ſemper *Di,* & *Dis, Grai,* & *Grais,* non *Dii,* & *Diis:* nec *Graii,* & *Graiis.* Aquis Statiellorum eſt vetus marmor cum hac inſcriptione.

DIS
MANIBUS
SEPTICIAE
SURAE
L. PETRONIUS
MELIOR

Etiam obſervatum eſt in vetere Vaticanae bibliothecae libro ſcripto Tibulli verbum hoc *Idem*, nominativo plurali, non *iidem* ſcriptum eſſe. Verum quid Grammaticos, & manum librariorum laudo? Audiamus Ciceronem in Oratore [*ad M. Brutum cap.* 45.] ſic loquentem. *Nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illae ipſae horridulae Catonis: indicant omnes poëtae praeter eos, qui ut verſum facerent, ſaepe hiabant: ut Naevius. Vos, qui adcolitis Iſtrum fluvium, atque Algidum.* & ibidem [*eod. cap.*] *Quam numquam nobis Grai, atque barbari.* Ibidem aliquot poſt verſus. [*cap.* 47.] *Idem campus habet, inquit Ennius: & in templis isdem probavit. At eisdem erat verius, nec tamen eisdem erat opimius: male ſonabat iisdem.* Agellius de hac re agens *lib.* IV. *cap.* XVII. confundit ſonum vocalium cum quantitate ſyllabarum. Cicero in Oratore ad Brutum, & alibi, dilucidius & diſtinctius eſt locutus. Egregie etiam a doctiſſimis viris, Julio Caeſare Scaligero, Lipſio, & (ſi memoria

ria non me fallit) Castelvetro de eadem hac ratione est disputatum. Qui omnes propriis rerum vocabulis erudite & perspicue docent, quantum a quantitate syllabarum vocalium sonus & pronunciatio differat. Sed ad superius adlata verba. Quod Agellius tradit, in *Obiicio*, *Coniicio*, *Iniicio*, *Obiices*, *Subiices*, & *Proiicio*, praepositiones produci, quod secunda litera (al. syllaba) in his verbis per duo *ii*, non per unum scribenda est, satis supra videmur sententiam istam discussisse: tamen addamus aliorum quoque poëtarum exempla: quorum alii producunt, alii conripiunt praecedentem praepositionem. Silius Italicus *lib.* IV. [*vs.* 24.] conripit hoc versu.

Et fidos certant obices adolescere silvae.

Virgilius producit, ut supra adlatis exemplis patuit, & demonstratur versibus hic sequentibus [*Georg.* II. *vs.* 19.]

Parva sub ingenti matris se subiicit umbra.

et [*Georg.* II. *vs.* 480.]

Obiicibus ruptis. —— ——

et [*Georg.* IV. *vs.* 422.]

—— —— *Obiice saxi.*

Sic facit Ennius in tragoedia, quae Achilles inscribitur, versu hoc adlato ab Agellio [*lib.* IV. *cap.* 17.]

Ergo Deum sublimes subiices humidas.

quo in versu innovandum nihil esse censeo. Si tamen & de syllabae quantitate intelligit ipse Agellius, & versum ab Ennio auctore fideliter descripsit. Adhibeo autem hanc exceptionem: quoniam iidem versus (sunt enim duo) aliter ab Agellio, aliter a Nonio, aliter a Festo citantur. Agellius sic. *Ennius in Tragoedia, quae Achilles inscribitur, Subiices pro aëre alto ponit, qui caelo subjectus est, in his*

verſibus. *Ergo Deum ſublimes ſubiices horridus. Unde oritur imber ſonitu ſaevo, & ſtrepitu.* Nonius vero [*cap.* 2. *pag.* 579.] in ſignificatione vocabuli facit cum Agellio: in ratione verſus diſſentit: ſic enim habent ejus verba. *Subiices nove poſitum non a Subiiciendo:* (ſervo ego hic ſcripturam cum duobus *ii*, quae eſt in meo libro: cum tamen credam, auctorem unico *i*, ſcripſiſſe) *ſed altitudine. Ennius Achille. Per ego Deum ſublimes ſubiices humidas: Unde oritur imber.* Feſtus ab utroque Agellio & Nonio & in explanatione vocis *Subiices*, & in lectione verſus abit longe diverſus: apud quem nunc ſic legitur totus locus. *Subiices Ennius in Achille pro ſubjecto poſuit, cum dicit. Nubes per ego Deum ſubices humidas: Unde oritur imber ſonitu aërio ſpiritu.* In marginis area eſt. *Inde oritur ſonitu ſaevo ſpiritu.* Quoniam autem Ennii verſus a tribus auctoribus, Feſto, Agellio, & Nonio, non concordi ſententia legitur, Gabriel Faërnus, eruditus vir, judicavit, vocem, *nubes*, de ſuo additam a Feſto. Ego tamen, Nonii explanationem non reiciens, libenter aut vocem illam a Faërno damnatam retineam: & verſum probem, qui eſt hic.

Nubes per ego Deûm ſubices humidas.

aut loco *Deûm* ſubſtituam vocem, *Sublimes*, hoc modo. *Nubes per ego ſublimes ſubices, humidas.* & ſic lectus ſublime quoddam & tragicum verſus ſpirabit. Porro, *humidus* ne, an *humidas* in eo verſu legatur, parvi refert: non enim minus recte *nubes humidas*, quam *imbrem humidum* dicimus.

Quod ad alterum verſum adtinet, admonet me Feſti lectio, fore verſum integrum, & elegantem apud Agellium, ſi pro *ſtrepitu*, quae vox eſt in Agellio, reponatur *ſpiritu:* ſcilicet, ne Trochaeus inſit in Trimetro Jambico: ſicque ſcribatur.

Nu-

Nubes per ego ſublimes, ſubices, humidas:
Unde oritur imber ſonitu ſaevo, & ſpiritu.

vel ſic.

Per ego Deûm ſublimes, ſubices: humidus
Unde oritur imber ſaevo ſonitu, & ſpiritu.

Actii poëtae verſus huic perſimilis adfertur a Cicerone *lib.* 11. de Natura Deorum. [*cap.* 35.] quem non eſt ſupervacuum hic adjungere. *Fremebunda ex alto ingenti ſonitu & friritu.* Ubi Nizolius legi ſcribit aliter, *fremitu.* Sed hoc pacto verſus Jambicus hoſtem ſuum Trochaeum haberet. Priſcianus lib. de Comicis metris [*pag.* 1325. *Ed. Putſchii*] legit *ſpiritu:* recte. ſicque rationi carminis eſt conſultum. Germani in ſua editione ſervant, *Friritu.* Porro in verſu, quem Agellius ex Epidico Plauti citat, pro *pallium* legendum eſt *palliolum*, ut verſus recte incedat: aliter claudicaret.

Franc. Cicercius, Rhetorum antiquorum apud Mediolanienſeis publicus interpres.

Heus, Lector, inquit, quiſquis es, modo in litteras bene animatus ſis. Hoc ipſum de rebus non vulgaribus σύνταγμα, caue, putes ἀδιέσποτον eſſe; ſed ſcias, ab Io. Mario Matio Brixiano, V. C. aliquot amicorum rogatu nuper fuiſſe conſcriptum: a Matio, inquam, illo polyhiſtore, qui olim Alexandriae Statiellae, nunc Mediolani in Conlegio Divi Simonis, quondam Taeglorum liberalitate inſtituto, ſumma cum bonorum omnium laude, literas Graecas & Latinas docet. Cujus quidem homi-

minis animus cum ad ſerviendum commodis utilitatique ſtudioſorum ſemper fuerit intentus; tam multa edidit, doctiſſimi cujuſque hominis lectione digniſſima, quam multa unum de nobis habere puto neminem. Hoc te ſcire volebam, amice Lector. Vale. Mediolani, anno ꝏ D X C V. Kal. Maii.

CAPUT XXII.

De vi duarum conſonantium M, & D. Proptera.

Duas liquidas, duas mutas, & mutam ſequente liquida, non ſemper producere antecedentem ſyllabam brevem probant ea, quae adferemus poëtarum ſequentia exempla (*a*). Ovid. *lib.* XIII. Metamorph. [*vſ.* 430.]

Biſtoniis habitata viris Polymneſtoris illic.

Propertius [*lib.* III. *El.* XI. *vſ.* 57.]

Et ſcelus accepto Thracis Polymneſtoris auro.

Silius *lib.* VIII. [*vſ.* 414.]

Ecce inter primos Teramneo a ſanguine Clauſus.

Muſaeus [*vſ.* 312.]

Δὴ τότε Λειανδρὸς πὲρ ἐσθήμενος ἐλπίδι νύμφης.

Ennius apud Varronem *lib.* VI. de lingua Latina. [*pag.* 72. *Edit. Stephan.*]

Subulo finitimas propter adſtabat aquas.

Quo in verſu nonnulli docti viri legunt: *proptera ſtabat aquas:* ut ſit antiquo more dictum *proptera*, pro noſtra uſitata praepoſitione, *propter.* Cujus ex-

(*a*) Conferantur Maſii Annotationes cap. XCVIII.

excellentis viri (*a*) acumen hic valde probarem, nisi reluctetur natura ultimae syllabae praepositionis & aduerbii *proptera*, quae longa est, ut in *supera*, apud Ciceronem ex Arato [*lib.* II. *De N. D. cap.* 42.]

Torvu' draco serpit subter, superaque retorquens.

Sic Lucretius *lib.* I. [*vs.* 430.]

Id, quod jam supera tibi paullo ostendimus ante.

Verum redeamus ad propositam, & ad inchoatam caussam. Horat. [*lib.* II. *od.* IV. *vs.* 6.]

Forma captivae dominum Tecmessae.

Petronius Arbiter [*cap.* 131.]

Et bacis redimita Daphne, tremulaeque cupressi.

Possem ex Graecis poëtis non minus paradoxa exempla adferre. Sed petant ex illis observando, qui volent. Quae sequuntur additamenta non admodum ab hoc argumento diversa sunt. M. interdum abicitur sequente consonante, remanente tamen vocale praecedente. Lucret. *lib.* II. [*vs.* 660.]

Lanigerae pecudes, & equorum duellica proles.

Quamquam ad vitandam novitatem hanc doctiss. Scaliger in voce hac quattuor syllabarum, *Duellica*, duas primas syllabas in unam contrahit, tamen Lucilii versus, quem proferam ex *lib.* VII. Satirarum, ut est apud Nonium in *Fulgit.* [*cap.* x. *p.* 769.] nullo modo hanc potest Eclipsim effugere. *Primum fulgit ubi caldum, & fornaceum ferrum.* Sic illud Ennii apud Apulejum in oratione pro se ipso. [*pag.* 335. *Ed. Colvii.*]

Quid?

(*a*) In margine prioris editionis erat. *Lipsium innuit.*

Quid? Scarum praeterii cerebrum Jovis paene supremi.

quem tamen versum video a nonnullis ἀκέφαλον scribi. D. quoque & T. idem patiuntur. Lucilius apud Ciceronem *lib.* II. de Finibus [*cap.* 8.]


Laelius praeclare, & recte sophos, illudque vere.

Idem apud Agellium *lib.* XVIII. *cap.* VIII.

Quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo.

Nisi forte hic quis malit in *Tametsi*, *M* cum sua praecedente vocali abicere, quod minus probo.

FINIS LIBRI SECUNDI.



JOANNIS MARII MATTII,

Brixiani,

OPINIONUM

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.



unt, qui ſupinis, *ſumptum*, *emptum*, *comptum*, & aliis ejuſdem notae vocibus cum ab eis derivatis, adimendam eſſe *p* literam putent. Ego contra cenſeo, motus cauſſis, quæ ſequuntur. Valerius Probus in libro de Notis, *emptum*, & *emptorem*, cum *p*, ſcribit. In tabula aerea antiquiſſima, quae Reipublicae temporibus inciſa fuit, quaeque edita eſt a Fulvio Urſino, *emptum*, *redemptum*, *emptor*, *exemptum*, *emptio*, eodem modo, quo dico ego, legitur. Marmora quoque quaedam vetuſta ſic habent. Nec aliter eſt in Gloſſario vetere. Quod ſi Grammatica eſt ſcientia loquendi ex uſu, (neque vero aliter ſcribimus, ac loquimur) uſus autem eſt conſenſus bonorum felicis linguae, profecto loquendum & ſcribendum eſt, ut boni, felicis linguae temporibus, fecerunt. Quomodo autem locuti ſint illi & ſcripſerint, Grammatici antiqui, libri auctorum veteres, tabulaeque aereae & marmoreae fideliter teſtantur.

CAPUT II.

Jocus, Venus, Cupido. Omnipotens aecoris. Horatii loca duo inluſtrata.

Ad verſus, quos adponemus ſecundae Odes Horatii libri primi [*vſ.* 33.] hos:

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circum volat, & Cupido.

belle facit pictura relata ab auctore Epigrammatum Orbis. [*pag.* CCCCLI.] quam rei ante oculos ponendae gratia hic expreſſam pingi curavimus.

Oda V. *lib. ejusdem.* [*vſ.* 15.]

Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Cum his verbis Horatii facit nummus argenteus M. Agrippae Coſ. III. in cujus altera parte eſt Neptunus cum his verbis: HIC. OMNIPOTENS. AECORIS

CAPUT III.

Phraärtes. Inretortus oculus. Diem frangere. Diffindere meridie. Horatii locus inluſtratus.

Quoniam interpretes non plane explicant eam hiſtoriae partem, quam tangit Horatius eo verſu *lib.* II. *od.* II. [*vſ.* 17.]

Redditum Cyri ſolio Phraärten.

viſum eſt breviter admonere, unde integra res tota peti poſſit. De hoc igitur Phraärte, quem alii auctores Graeci perinde ac Latini varie ſcribunt: ſed ſua cuique eſt ſcriptura relinquenda: quomodo ille

MORAVIAE PROVINCIAE GERMANIAE MAG.

Epigramma repertum a Conrado Celte in Gemma ſignatoria, aureae cruci inſertum in Monaſterio Ritiſch juxta Olmuntz. menſe Julio

Anno Domini M. D. IIII.

IOCUS

CUPIDO

VENUS





ille patrem interemerit, & se regem constituerit: utque a populo ob impium ac tetrum facinus regno sit dejectus: iterumque Scytharum auxilio regnum receperit: & cum Augusto pacem aequis condicionibus fecerit; timensque a filio talionem, ne scilicet ab eo pelleretur, ut ipse parentem ejecerat, filium ad Augustum usque in Hispaniam simulatione legationis aut officii relegaverit ab se, lege Plutarchum in Crasso ad finem: & in Antonio. [*p.* 932.] Justinum *lib.* XLII. [*cap.* 5.] Strabonem *lib.* VI. [*pag.* 441. & *lib.* XVI. *pag.* 1085.] & Dionem. *lib.* XLIX. [*pag.* 406.]

Ibidem apud eumdem Horat. [*vs.* 23.]

Quisquis ingentes oculo inretorto
Spectat acervos. ——

Lege LXXV. caput nostrarum Adnotationum pridem editarum. Nam Lambinus magno conatu ibi agit nihil.

In *Oden* VII. *ejusdem libri* [*vs.* 6.]

Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi —— ——

Frangere diem mero est, de meridie, aut etiam ante meridiem non exspectata legitima coenae hora epulari. Varro *lib.* I. *cap.* 2. de Re Rustica *Diffindere* dicit his verbis: *Ego hic, ubi nox & dies modice redit & abit, tamen aestivo die, si non diffinderem meo instititio somno meridie, vivere non possem.*

In Oden XVI. *lib.* I. [*vs.* 1.]

O matre pulchra filia pulchrior.

Imitatur Characis poëtae versum, a Suida relatum in voce χάραξ.

CAPUT IV.

Qui fuerit Quinctilius apud Horatium. Varus cognomen. Possessiva Patronymica a Romanis nominibus.

Horatius *Oda* XXIV. *lib.* I. consolatur Virgilium in morte Quinctilii communis amici. Nec constat, qui fuerit hic Quinctilius: quod fuerint plures eo nomine tunc Romae Quinctilii. Quaeramus nos. Duo fuere Quinctilii insignes amici Virgilii, P. Quinctilius, Varus cognomine, vir Consularis: de quo Poëta intelligit *Ecl.* IX. his versibus: [26. *seqq.*]

Immo haec, quae Varo nec dum perfecta canebat.
Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua, vae miserae nimium vicina Cremonae,
Cantantes sublime ferent ad sidera cygni.

De hoc intelligi hic apud Horatium nullo modo potest. Etenim mores Quinctilii, de quo intellligit Horatius, longe dissimiles fuere moribus Quinctilii Vari Consularis: qui fama fuit parum secunda ob rapinas & socordiam, concordantibus omnibus auctoribus, qui de administratis ab eo provinciis scripsere. Paterculus [*lib.* II. *cap.* 117.] de hoc loquens: *Praeterea declaravit Syria: quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Ejusdem etiam rapinis effectum est, ut a Germanis totus exercitus ejus trucidaretur, fato mirabili trium Quinctiliorum. *Tribus* (inquit idem Paterculus [*lib.* II. *cap.* 119.]) *Quinctiliis Varis adcidit, avo, patri, & filio: ut sibi ferro vitam adimerent. Duci plus animi ad moriendum, quam ad pugnandum fuit. Quippe paterni, avitique exempli successor se ipse transfixit.* Praeterea Virgilius XXVII. annis ante Varianam

nam cladem obiit, auctoribus Donato, Eusebio [*Olymp.* CLXXXIX.], & iis, qui Fastos conscripserunt. Alter fuit Quinctilius, Vari & ipse cognomine. Id conligo ex commentariis utriusque Acronis & Porphirionis conruptis in versum illum Epistulae ad Pisones de Poëtica [*vs.* 438.]

Quinctilio si quid recitares, conrige sodes
Hoc ajebat. —— ——

Hic Quinctilius (inquiunt Acron & Porphirio) erat Varus poëta Cremonensis amicus Virgilii. in quorum tamen verbis *Varius* male legitur pro *Varus*. *Varius* enim gentile nomen est, non cognomen. Hic est ille Quinctilius, quem hic deflet Horatius. De cujus Praenomine comperti habeo nihil. L. Varius fuit orator, poëta Epicus, & Tragicus: scripsit etiam Eclogas. Haec discimus ex Horatio [*lib.* I. *Carm. Od.* VI. *princ.*], & ejus interpretibus, & Virgilio [*Ecl.* IX. *vs.* 35.]. Hunc eum fuisse credo: cui cum Plotio Tucca post obitum Virgilii mandatae sunt ab Augusto partes recognoscendi certis condicionibus Aeneïdem, ab auctore relictam, morte interveniente, non recognitam. Quamquam pro *Vario*, multi male *Varum* scribunt. Addam corollarium.

Consuevere res insignes a gentilibus Ducum nominibus, non a cognominibus adpellationem sortiri. Itaque legimus: *Fossas Marianas: Castra Corneliana*: & alia eodem modo. Attamen clades, quam Quinctilius Varus accepit, a cognomine *Variana* est adpellata. Credo, quod cognomine quam nomine esset notior. Sic *Fossae Drusianae* Cornelio Tacito *lib.* II. *Annal.* [*cap.* 8.] Sic *Lepidianae feriae* Ciceroni *lib. ad Atticum* XVI. [*Ep.* XI.] Idem observatum est in patronymicis: *Appiades* a praenomine, *Scipiades* a cognomine: quod hic cogno-

mine, ille praenomine frequentius adpellabatur. *Memmiades* vero apud Lucretium [*lib.* I. *vſ.* 26. & *alibi.*] eſt a nomine: quoniam ei cognomen, vel nullum fuit, vel parum celebre. *Varum* praeterea fuiſſe cognomen aliquot quoque aliarum Gentium, notum eſt ex Ligariana Ciceronis, ex Plutarchi Catone, Dione, Oroſio, & Faſtis.

CAPUT V.

Nefas. Mare avidum. Paphiae Veneris, & templi forma. Neceſſitas Serva.

Nefas in eo Horatii verſu Odae XXIV. *lib.* I. [*vſ.* 20.]

Quidquid conrigere eſt nefas.

expono ego, οὐ θέμις. Suidas in 'Αλλ' οὐ θέμις. alii interpretantur ἀδύνατον. utrumque recte. Sed prior expoſitio magis placet,

Oda XXVIII. [*vſ.* 18.]

Exitio eſt avidis mare nautis.

Acron videtur legere: *Exitio eſt avidum mare nautis*: ſcilicet eo modo, quo *avidum orcum* legimus. Utraque lectio optima, ſed Acroniana figuratior.

Oda XXX. [*vſ.* I.]

O Venus regina Gnidi, Paphique.

Templi Paphiae Veneris ſitum, & formam Deae (neque enim alibi ſic exprimebatur & colebatur) lege cum aliquot aliis paradoxis hiſtoriis ſive fabulis apud Cornelium Tacitum *lib.* XVIII. [*Hiſtor.* II. *cap.* 2. & 3.]

Oda XXXV. [*vſ.* 17.]

Te ſemper anteït ſaeva neceſſitas.

Lambinus adſeverat in libris vetuſtis legi *Saeva*, non

non *Serva*. At Pierius *lib.* XLVIII. capite de Clavo, teſtatur, ſe in libris antiquiſſimis obſervaſſe ſcriptum eſſe, *Serva*: quam ſcripturam ego ſic probo, ut omnino retinendam cenſeam. Neceſſitatem enim antiqui Fortunae *ſervam* finxere, & quidem πρόπολον. Ideo Horatius vim & notionem Graeci vocabuli προπόλου expreſſurus verbis Latinis dicit: *Servam Fortunae Neceſſitatem anteire.*

CAPUT VI.

Gyges & Gigas priorem habent ſyllabam communem. Horatii quaedam loca non mutanda. Lambinum falli. Monaeſes. Plutarchum ab Horatio diſſentire. Parthorum Rex. Cotiſo Dacorum Rex.

Lambinus ferre non poteſt, *Gyges* apud Horatium legi priore brevi. Itaque non ſolum in hoc poëta, ſed ubicumque apud alios ſic inveniatur, cenſet loca eſſe conrupta, & pro ea voce *Gyam* reponendum judicat. Verum exempla poëtarum, quae adferemus, falli eum docebunt. Suntque haec brevis ſyllabae exempla. Ovidius [*Triſt. lib.* IV. *El.* VII. *vſ.* 18.]

Centimanumque Gygen, ſemibovemque virum.

ſic enim libri veteres habent: ubi bis repetita copulativa conjunctio venuſtiorem verſum facit. Idem elegia prima ſecundi Amorum [*vſ.* 12.]

Centimanumque Gygen. & ſatis oris erat.

Seneca Hercule Oetaeo. [*vſ.* 167.]

Qui vaſtus Briareus: qui tumidus Gyges.

Automedon, ſive Anacreon *lib.* II. Epigrammatum Graecorum. [*cap.* 47. *Epig.* 17.]

Ου μοι μέλει Γύγαο.

Gregorius Thessalonicensis. (*a*).

Θέλει γύγεω τὰ καὶ τά.

Longae vero syllabae exempla sunt, quae sequuntur. Virgilius [*Aenëid.* IX. *vs.* 762.]

—— *Succiso poplite Gygen.*

Horatius *oda* V. *lib.* II. [*vs.* 20.]

Luna mari, Gnidiusve Gyges.

Idem *oda* VII. *lib.* III. [*vs.* 5.]

Gygen? ille Notis actus ad Oricum.

Alphaeus *lib.* I. epigrammatum Graecorum [*cap.* 12. *Epigr.* 2.]

Ουκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης.

Propertius *lib.* III. [*Eleg.* IX. *vs.* 18.]

Lydia Gygeo tincta puella lacu.

Ut jam mirandum non sit, Horatium quoque vocis ejusdem mensuram ad commodum suorum carminum aptasse. Quasi desint exempla poëtarum, qui in eodem verbo eamdem vocalem modo productam, modo conreptam conlocarint. Sedigiti Volcatii licentiam, atque Horatii supra [*lib.* II. *cap.* XIII.] retulimus in verbo *Licinius.* Itaque si quis sibi interdum parum constat in quantitate alicujus syllabae, aut si duo pluresve inter se discordent, mirum cuiquam non debet videri.

Lib. III. *oda* VI. [*vs.* 9. *seq.*] Horatius de Monæse Duce Parthorum loquens abit diversus a Plutarcho, qui in Antonio [*pag.* 937. *E.*] tradit, Antonium multum secretis nunciis a Monæse adjutum fuisse. Horatius autem scribit, Romanos clades a Monaese accepisse his versibus.

Jam bis Monaeses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus.

Oda

(*a*) Puto Mattium respicere Gregorii Nazianzeni Odam II. sed ibi *vs.* 7. legitur *Θέλεις τὰ Γύγεω σοι.*

Oda VIII. *lib.* III. [*vſ.* 18. *ſeqq.*]

Occidit Daci Cotiſonis agmen:
Medus infeſtis ſibi luctuoſis
Diſſidet armis.

De Cotiſone Dacorum rege, a Cornelio Lentulo Auguſti legato in Pannonia ſuperato, Paterculus, Florus [*lib.* IV. *cap.* 12. §. 18.], & Eutropius. Medos autem, id eſt Parthos tunc inter ſe dicit diſſidentes: quod pulſo Phraärthe a populo, ut ſupra diximus, Tyridates rex creatus fuerat: qui tamen, Phraärthe a Scythis reſtituto, Romam ad Auguſtum cum filio Phraärthis indiligentius cuſtodito confugit.

CAPUT VII.

Purpura candida apud Horatium. Lambini error. Acuta belli.

Oda prima *lib.* IV. non Veneri canitur. Itaque inſcriptio mutanda, & Q. Fabio Paullo Maximo adtribuenda: cui in conſulatu conlega fuit M. Antonius Julus M. Antonii Triumviri filius Africanus, ad quem ſequens ſtatim oda ſcribitur. In hac oda ad Q. Fabium ſunt hi verſus. [*vſ.* 9. *ſeqq.*]

Tempeſtivius in domo
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi.

Lambini audacia hic decipiat neminem: qui non dubitavit vocem *purpureis* in *marmoreis* vertere: quoniam latuit hominem, eſſe etiam genus purpurae candidae: quod jam pridem ab Hermolao Barbaro traditum eſt. Hoc non fefellit olim Plutarchum, qui in Alexandro [*pag.* 686. *D.*] *candidae purpurae* meminit: nec C. Pedonem Albinovanum,

in cujus carmine ad Maecenatem eſt hic verſus. [*Eleg.* II. *vſ.* 62.]

Brachia purpurea candidiora nive.

Cautior fuit in ejus verbi ſignificatione explicanda Porphirio: qui *purpureis*, *pulchris* interpretatur. Qua in ſignificatione etiam Virgilius dixit. [*Georg. lib.* I. *vſ.* 405.]

Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.

Sed idem Lambinus in muſtaceo lauream quaerens, in eum verſum Horatii *oda* IV. *lib.* IV. [*vſ.* 76.]

Expediunt per acuta belli.

verba multa impendit, ut doceat legendum eſſe, ut legitur: *per acuta belli*, non *acuta bella:* quaſi Porphirio non multis ſaeculis ante admonuerit, legendum eſſe, *acuta belli:* non *acuta bella.* *Acuta* autem *belli* ego eſſe exiſtimo, non quae ſcribit Lambinus, ſed momenta & occaſiones: ut poëta reſpiciat ad novaculam, quam manu geſtari ab Occaſione Dea eleganter fingit Poſidippus *lib.* IV. Epigrammatum Graecorum [*cap.* XII.]. Et quis neſcit, momenta, vel minima in bello ſemper (ne plerumque dicam) inclinationes habere inſignes? &, vel laetos captata & adrepta: vel triſtes neglecta exitus ferre? Itaque probe in hanc ſententiam idem Poſidippus. [*l. c.*]

Χειρὶ δὲ δεξιτέρῃ τί φέρεις ξυρόν? ἀνδράσι δεῖγμα.
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.

Legantur etiam proverbia: *In acie novaculae:* & *noſce tempus.*

CAPUT VIII.

Arbitria. Justa. Funera. Exsequiae. Ciceronis locus declaratus.

Interpretes Horatii exponunt, *Arbitria fecerit: judicarit, & sententiam tulerit:* ad eum versum *Odae* VII. *lib.* IV. [*vs.* 21.]

Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria. —— ——

Ego non memini legere: *Facere arbitria*, aut *Facere sententiam*, pro *judicare*: cum tamen *Facere praejudicium* frequenti sit in usu. Contra, cum *Facere funus*, *Facere justa*, *Facere justa funerum*, *Facere justa funera*, *Conficere justa*, &, *Solvere justa funeri*, Latine optime dicatur: quibus modis Cicero atque alii usi sint, videor facere posse sine suspicione temeritatis, si hic apud Horatium suspicer, *fecerit arbitria* nihil aliud significare, quam sepulturae mandatus sis, & splendida justa mortuo sint persoluta: id est, cum obieris. Etsi enim tristem sententiam Minois sequitur mors, tamen verbum hoc, *splendida*, non ad judicia, sed ad funerum magnificentiam egregie est adcommodatum. Cicero etiam alicubi *sumptuosa* dicit. Hic autem Ciceronis verba in oratione post reditum ad Senatum aemulatur felicissime sine dubio Horatius. Verba Ciceronis haec sunt. [*cap.* 7.] *Nondum palam factum erat concidisse Rempublicam, cum tibi arbitria funeris solvebantur.* Ecce, quod Cicero ait: *concidisse Rempublicam*, Horatius, *cum semel occideris*, dicit: & quod idem Cicero: *arbitria funeris solvebantur*, Horatius explicat: *Et de te splendida Minos Fecerit arbitria.* Aliud exemplum Ciceronis est superiori simile

le in oratione pro Domo ſua. [*cap.*37.] *Vidi praetextatos inimicos nondum morte complorata arbitria funeri petentes.* & in Piſonem [*cap.* 9.]. *Eodem in templo arbitria non mei ſolum, ſed patriae funeris abſtuliſti.* Exempla autem earum, quas dixi, figurarum non adpono, quoniam ſine ullo negocio quisque ſibi petere poteſt ex Nizoliis. *Confectis juſtis funebribus*, dixit Caeſar *lib.* VI. *de bello Gall.* [*cap.* 19.]

Quod addam ſuperpondii loco erit. In verbis illis Ciceronis: *Non palam factum erat concidiſſe Rempublicam, cum tibi arbitria funeris ſolvebantur.* Hoc in loco Ciceronis verbum illud, *ſolvebantur*, venuſtam habet dilogiam. Nam proprie, *ſolvere arbitria funeris*, eſt, *funus facere*, *curare funus faciendum*, *ſolvere juſta funeri*, *juſta facere:* & ſi quae aliae ſunt formulae hujusmodi. At hic alio, ſed tamen conjuncto ſenſu accipi debet, hoc pacto interpretando. Qui ſumptus fieri, & qui honor haberi ſolet mortuis, ille habitus, & perſolutus eſt tibi: perſolutus, inquam (hic enim eſt διλογία) id eſt, pro mercede ruinae meae, & everſae Reipublicae atque oppreſſae, provincia tibi decreta eſt.

CAPUT IX.

Horatii vetus lectio retenta: plures ejusdem loci inluſtrati. Luxere.

Oda prima Epodωn Horatii ſunt hi verſus, [*vſ.* 19. *ſeqq.*]

Ut adſidens inplumibus pullis avis
Serpentium adlapſus timet
Magis relictis: non, ut adſit, auxili
Latura plus praeſentibus.

Legunt hic aliqui, *minus relictis:* ſed peſſima eſt iſto-

rum

rum lectio. Ordo & ſenſus verſuum hic eſt. Mater avis pullis inplumibus timet quidem adſidens: magis tamen timet relictis: non quod plus auxilii adlatura ſit avicula ſcilicet imbecilla, ſi adſit.

Oda tertia ejusdem libri. [*vſ.* 4. *& ſeq.*]

O dura meſſorum ilia!
Quid hoc veneni ſaevit in praecordiis?

Ex interpretibus nemo ſatis hinc ſe explicat in ordine verſus poſtremi. Lambinus & Cruquius ſenſum adſecuti verba duo ingerunt in explicando minime omnino neceſſaria, ſic exponentes. *Quid eſt hoc veneni, quod ſaevit in praecordiis?* Ego mihi perſuadeo, verbum illud, *hoc*, parelcon eſſe: abundat enim, more ſcilicet antiquis ſcriptoribus uſitato, praeſertim in ejusmodi pronominibus: ut patebit exemplis. Cicero *lib.* I. *ad Lentulum* [*Ep.* 2.] *Quem ipſum cum audio, prorſus eum omni ſuſpicione libero.* Quibus in verbis abundant duae voces: *ipſum*, & *eum.* Plautus [*Poen. Act.* III. *ſc.* 3. *vſ.* 31.]

—— *Hunc chlamydatum, quem vides,*
Ei iratus eſt Mars. —— ——

Terentius Heautont. [*Act.* III. *ſc.* 3. *vſ.* 43.]

Hanc ſecum huc adduxit, ea, quae eſt ad uxorem tuam.

Oda VI. ejusdem libri [*vſ.* 4.]

Quin huc inanes, ſi potes, vertis minas.

Cruquius legit, *verte:* ſed male: haberet enim Jambicus verſus Trochaeum a Jambico verſu excluſum.

Oda XVI. *ejusdem libri.*

Ruinam futurae aliquando urbis Romae praeſagit nolens Horatius. Nec falſus fuit vates: cum deteſtans civilia bella ſic queritur. [*vſ.* 10. *ſeqq.*]

Feriſque rurſus occupabitur ſolum.

Bar-

Barbarus, heu, cineres insistet victor: & urbem
Eques sonante verberabit ungula.

Hae calamitates contigerunt anno a Domino nostro JESU CHRISTO nato quingentesimo quadragesimo septimo, urbe a Totila capta, direpta, & tota prope funditus eversa. Auctores sunt Marcellinus Comes, & Otho Frisingensis.

Oda XVII. eiusdem libri.

Quod testatus sum alibi, idem hic quoque repeto: suam veterem scripturam auctoribus esse conservandam, etiamsi meliorem possis substituere. Id ideo dico, quoniam Lambinus ad odam XVII. Epodωn, ubi libri omnes antiqui habent, *Unxere*, in hoc versu [11.]

Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,

legendum longa disputatione adserit, *Luxere*. Sed praedicet & praecipiat aliis Lambinus ista: mihi certe non persuadebit. Mortem Hectoris luxere & statim eo interempto, & toto eo tempore, quo ejus cadaver ab Achille est retentum. Unxere autem, posteaquam inpotentem iram domuit exoratus Achilles & placatus: patrique redemptum concessit. Itaque subdit statim poëta [*vs.* 13.]

Postquam relictis moenibus Rex procidit,
Heu, pervicacis ad pedes Achillei.

Consilium poëtae Lambinus non est adsecutus. Studet enim Horatius probare exemplis, nullum dolorem, nullamque iracundiam tantam umquam fuisse in quoquam, ut non aliquando animus flexus ad aequitatem redierit, finemque fecerit dolori & furori. Sententia igitur est. Etiam Achilles, quamquam ira prope inexpiabili exardesceret, aliquando tandem tamen illam conculcavit & placatus est, cadaverque Hectoris reddidit, ut commendari

sepul-

ſepulcro poſſet. Id enim ſignificat verbum hoc *Unxere.* Tunc enim ungendi, & juſta cetera ſolvendi facultatem habuerunt Iliae matronae, cum Achilles ira ſopita & depoſita cadaver reddidit. Concluditque Horatius, & ait: exemplo illius etiam Canidiam debere tandem odio modum finemque ponere. Quod ſi aliquo in libro legeretur *Luxere* (quod tamen nemo adſerit) eamdem tamen illi ſententiam tribuerem, quam dixi, loco iſti: agnoſceremque ibi eum ſenſum, in quo accepit Cicero: cum interrogatus, quid agerent conjurati, reſpondit, *Vixerunt.*

CAPUT X.

Quid apud Horatium ſignificent nova & ficta verba. Parce. Adſpergere.

IN epiſtulam de Poëtica ad Piſones poſt tot excellentium virorum lucubrationes fortaſſe temerarium ſit quidquam audere amplius aliquem. Attamen quid agas? Nec omnes omnia vident, & norunt: & pridem ſic vivitur: ſcripturimuſque plerique omnes ad inſaniam: & pruritus morbi huius his unguibus eſt ſcabendus. Praeterea haec epiſtula eſt pictura praetereuntes omnes ſpectans; id eſt, univerſis praebens amplum multarum & ſaepe diverſarum atque inter ſe contrariarum conjecturarum & formarum argumentum. Proponamus nos quoque quibusdam in locis eius epiſtulae opinionem noſtram, relicturi omnino doctioribus illius iudicium: [*vſ.* 52. *ſeq.*]

Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, ſi Graeco fonte cadant parce detorta.

Par-

Parce detorta non habent eam vim, quae parcitatem (ut utar verbo Senecae) & raritatem significent: sed monent, novata verba tunc probatum iri & placitura, si de Graeco aliquo verbo sint non penitus deducta, id est, etymologia integra servata: sed si aliquantulum sit deflexum discessumque a principis verbi sua naturalique in vicinam aut cognatam significationem: veluti dicamus, illa non esse a fonte, sed quasi per dividicula alio deducta & detorta. Ecce, quem Graeci λυαῖον dicunt, si *solutorem* vertissent nostri, nihil a fonte Graeco esset discessum. Itaque egregie & perite *Liberum* vertentes, detorserunt non nihil a fonte & deflexerunt: discessusque iste pauculus reddit verbum, figura ipsa etiam adiuvante, gratius & venustius. *Detorquere* autem significare id, quod dico, probant multa multorum exempla: sed uno contenti erimus Ciceronis de Universitate [*cap.* 7.]. *Eumque, qui erat eiusdem detorsit a latere in dextram partem.* Graeci quoque auctore Polluce *lib.* VII. *cap.* XI. πλύνειν, καὶ πλύνεσθαι dicunt pro λοιδορεῖν. Horatius quanta cum venere dixit *adspergere?* eo versu IV. *Satirae lib. primi?* [*vs.* 87.]

----- *Quavis adspergere cunctos,*
Praeter eum qui praebet aquam? -----

Porro verba illa, *nova fictaque*, τὸ ἀυτό ἐστι. Sic *natum inventumque*, hoc versu.

Sic animis natum inventumque poëma iuvandis.

Sic Cicero non semel dixit: *Novamus & facimus: Formamus & fingimus:* sine ulla varietate sensus.

CA-

CAPUT XI.

De Imitatione. Horatium decipi. De Epopoeïa, & Tragoedia.

Unum ex tribus imitandum poëtae praecipit Ariſtoteles. [*Poët. cap.* 25.]

Vel qualia erant, aut ſunt: οἷα ἦν, ἢ ἐστιν.

Vel qualia dicuntur, & videntur: οἷά φασι, καὶ δοκεῖ.

Vel qualia eſſe oportet: οἷα εἶναι δεῖ.

Horatius tria haec Ariſtotelis praecepta adſtrinxit in Epiſtula de Poëtica, cum ſic ſcribit [*vſ.* 119.]

Aut famam ſequere: aut ſibi convenientia finge.

quibus in verbis priora duo Ariſtotelis praecepta Horatius uno nomine *Famae* comprehendit: ſcilicet. *Qualia erant aut ſunt:* & *Qualia dicuntur & videntur.* Quodque Ariſtoteles vocat, *Qualia oportet,* Horatius vertit. *Aut convenientia finge.* Ibidem [*vſ.* 125. *ſeqq.*]

Si quid inexpertum ſcenae committis: & audes
Perſonam formare novam, ſervetur ad imum,
Qualis ab incoepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Cum Ariſtoteles [*Poët. cap.* 13.] & Strabo *lib.* 1. [*pag.* 37.] doceant; argumentum fabulae ſumendum eſſe ex hiſtoria, id eſt, ex re, quae fuit, aut eſt, aut etiam ex re: quae dicatur & videatur, & ſit vulgi opinione recepta: cumque Epici & Tragici viam hanc univerſi triverint, videtur Horatius juſta reprehenſione carere non poſſe, quando concedit cuique facultatem fingendi ſibi argumentum rei & perſonae novae, inexpertae, quae hactenus non fuerit, & de qua ſitopinio nulla. Novi quidam interpretes exiſtimant,

Ho-

Horatium de persona tantum sentire: sed verba poëtae aperti mendacii eos arguunt: nam distincte diserteque Horatius de utroque praecipit. De re, cum dicit. *Si quid inexpertum scenae committis.* De persona, cum addit. *Et audes personam formare novam.* & paullo post. [*vs.* 129.]

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictaque primus.

ut omnino negari non possit, quin Horatius de utrisque re, & persona praecipiat. Atque, quod ad personam adtinet, concedo, personam novam fingi a poëta posse: sed quae non sit princeps persona fabulae: ut in Aiace Mastigophoro Sophoclis, principes personae sunt Aiax & Ulysses: in Electra eiusdem, Orestes & Electra. Has personas non finxit poëta, sed ex historia est mutuatus: propterea mutari non possunt. Reliquas personas fingere ex libidine poëta potest: ut Minervae & Paedagogi. Sed laxata ab Horatio novis poëtis licentia de persona & re ignota, indicta, nova, & a novo poëta excogitata, cuius nulla historia, nulla fama, & nulla opinio exstat, traxit in fraudem Arbeccae auctorem aetate nostra Fracastoriumque, & nonnullos alios, qui in suis poëmatis commenti sunt fabulas sine ullius historiae, aut famae vulgaris, aut opinionis fundamento. Etsi autem Horatius hic de Tragoedia tantum tractat, quod adparet satis, cum Scenae & Actus meminit, tamen idem praeceptum etiam ad Epopoeïam pertinet.

CA-

CAPUT XII.

Proicio. Sermo Pedestris. Perpensus locus in epistula Horatii de Poëtica.

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus & Peleus. ---

Non incommode ordinari haec [*Artis Poët. vs.* 95.] possent verba: si Telephus & Peleus antecedant verbum *dolet:* non autem cum sequente verbo *proicit* jungatur, hoc modo. Et tragicus Telephus & Peleus plerumque dolet sermone pedestri: totumque locum sic interpungas.

Interdum tamen & vocem comoedia tollit:
Iratusque Chremes tumido dilitigat ore.
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus & Peleus: cum pauper & exsul uterque
Proicit ampullas, & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Nam quemadmodum de comoedia loquens Horatius, posteaquam de comoedia mentionem fecit, statim comicarum personarum nomina subiungit, sic dicens:

Interdum tamen & vocem comoedia tollit:
Iratusque Chremes tumido dilitigat ore.

Sic de tragoedia agens, post tragoediae mentionem, debuit tragicarum personarum testimonium adferre: quod continget, si verba ordinentur, ut diximus: sed hoc propono, non statuo.

Quod autem interpretes veteres, & novi exponunt *proicit*, *abicit & deponit*, eo modo, quo Virgilius [*Aen.* VI. *vs.* 835.] dixit:

Proice tela manu sanguis meus.

omnino recte sentiunt: non tamen negandum fuit,

quod faciunt, *proicere*, interdum esse *proferre*, & *promere*: alioqui peccasset Virgilius, cum *lib.* v. [*Aen. vs.* 401.] dixit.

In medium geminos immani pondere caestus
Proicit. —— ——

quod Donatus quoque sentit, qui interpretatur, *protulit.* Pedestris autem sermo cum alibi prorsam orationem etiam apud Horatium significet, tamen hic pro humili, demisso, & abiecto, atque supplici est accipiendus.

CAPUT XIII.

Cyclicus. An Stasimus Parvae Iliadis auctor fuerit. Eusebii locus adnotatus. Lescolesinus.

[HOrat. de *Art. Poët. vs.* 136.]

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim.
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

De Cyclo poëmate (*a*), & Cyclico poëta superva-

(*a*) De Cyclo Epico & Poëtis Cyclicis merentur omnino videri, quae habent summi Viri, *Casaubonus* ad *Athen. Lib.* VII. *cap.* 3. & *Salmasius Exercitat. in Solin. pag.* 594. *seqq. Ed. Traject.* In eo autem falli videtur *Mattius* noster, quod cum *Scaligero* & *Casaubono l. c.* Ἰλιάδος τῆς μικρᾶς auctorem faciat Stasimum, vel Stasinum Cyprium: neque enim is Parvam Iliadem scripsit, sed aliud Poëma, cui nomen fuit κυπρία, & cujus hoc initium.

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον:

sicuti eum versum profert *Herodotus*, qui illud Poëma etiam Ἰλίαδα τὴν ἐλάσσω dictum scribit. Alii tamen Grammatici in fine hujus versus habent, Δαρδανίην ἐρατεινήν. Verum diversum, ut dixi, opus fuit Ἴλιας ἡ μικρὰ: quam *Leschen Lesbium* auctorem habere censent *Scholiastes Pindari*, *Eusebius*, *Syncellus* aliique; & qui cum illis sentiunt *Salmasius l. c. p.* 598. *seqq.* &

vacaneum est quidquam addere ad ea, quae supra nos diximus, & quae observavit in Catullianis commentariis [*ad Epigr.* XCII.] Iosephus Scaliger, vir is, in quo singularis eruditio certat cum nobilissimi generis splendore. Unum ibi in disquisitionem adduci fortasse potest: Si Stasimum Parvae Iliadis auctorem facimus, quod ille sentit. Iliadis autem Parvae primus versus hic fuit.

Ἴλιον ἀείδω, καὶ Δαρδανίην ἐρατεινήν.

quid excogitabimus, ut persuaderi nobis aequo animo patiamur, poëtam illum, quem Horatius Cyclicum adpellat, a vitio immensi & numquam finiti & eodem semper recurrentis poëmatis (*a*) (est enim ἐν τῷ κύκλῳ ut initium nullum, sic finis nullus) Stasimum fuisse? cum a Graeco, quem citavimus, primo Parvae Iliadis versu longe diversissimus sit hic

& *Fabricius Biblioth. Graec. Lib.* II. *cap.* 2. *Vol.* I. *p.* 279. Ast apud ipsos etiam veteres non plane certum fuisse Parvae Iliadis auctorem crediderim. *Pausaniam* certe illam *Lescheo* non tribuisse puto: quicquid contendat *Salmasius*, qui *Leschei* Ἰλίου Πέρσιν à *Pausania* sæpius adductam non diversam fuisse censet ab illo Poëmate, quod aliis Ἴλιας ἡ μικρὰ dicitur. Unusquisque enim, qui attente leget ea, quae scribit *Pausanias in Phocicis cap.* XXV. *pag.* 860, 861. & *cap.* XXVI. *pag.* 862. satis intelliget, *Leschen* illum & Iliadis Parvae auctorem tamquam distinctos plane scriptores memorare: & *Leschei* Ἰλίου Πέρσιν à Parva Iliade omnino distinguere: sicuti etiam in Laconicis *cap. ult. pag.* 278. nulla *Leschei* facta mentione simpliciter ait. ὁ τὰ ἔπη ποιήσας τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Caeterum vix, ac ne vix quidem capio, quod in fine hujus capitis refert *Mattius, Eusebium* Parvae Iliadis auctorem adnotare *Lescoselinum*. Apud *Eusebium* enim ad *Olympiad.* XXX. *lib.* II. *pag.* 143. *Ed. Scalig.* hodie legitur Λέσχης Λέσβιος ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα ποιήσας. & in Latinis *ibid p.* 121. *Alcmaeon clarus habetur, & Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem.*

(*a*) In Margine prioris editionis habebatur. Τὰ τὴν αὐτὴν ὑποθέσιν ἔχοντα, ταῦτα κύκλικα ἔλεγον. *Scholiastes Aristophanis.*

hic Cyclici poëtae versus, ab Horatio sic latine redditus?

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Quid est etiam, quod Eusebius *lib.* IV. *Olympiadis* XXX. Lescoselinum quemdam eadem aetate cum Alcmaeone auctorem adnotat Parvae Iliadis? An Lescoselinum (sic enim diserte in meo manu in pergamenis scripto libro scribitur) Stasimum adpellatum esse cognomine dicemus a nugis? λέσχαι enim id significant.

CAPUT XIV.

Locus Horatii in eadem epistula non recte ab interpretibus declaratus. Fabulae constitutio. Indignatio.

Ficta voluptatis caussa sint proxima veris:
Nec quodcumque volet, poscet sibi fabula credi:
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.

Credunt interpretes poëtae, tradi ab Horatio hic [*de Art. Poët. vs.* 338. *seqq.*] praeceptum. *Non esse* (verba sunt interpretum) *in fabulis fingendum, ex Lamiae alvo vivum puerum extrahi, quem paullo ante sua ingluvie devoraverit*: sed falluntur. Immo, nisi hujusmodi miracula fingeret poëta, poësis fundamentum maximum convelleretur: quoniam fabula constituitur ab optimis poëtis ex argumento earum etiam rerum, quae fieri non possunt, dummodo fama & vulgi opinione sint receptae. προαιρεῖσθαι δεῖ (inquit Aristoteles.) [*de Poët. cap.* 24. *p.* 29.] ἀδύνατα, καὶ εἰκότα μᾶλλον, ἢ δύνατα, καὶ ἀπίθανα: quo in loco posuit Aristoteles εἰκότα pro πίθανα, ut non multo post ab eodem auctore docemur sic repetente. πρός τε γὰρ τὴν ποίησιν αἱρετώτερον πίθανον ἀδύνατον, ἢ ἀπι-

ἀπίθανον, καὶ δύνατον. Docet ergo Horatius, poëtae non esse enixius laborandum, postulandumve, ut fabulam spectatores verum esse credant: quod obtinere conati nonnulli mali poëtae oculis spectatorum interdum facinora & flagitia subiciebant malo exemplo, & eventu etiam infelici: abhorret enim animus, atque oculi celeres & fidi ad animum nuncii a spectando atrocia & facinorosa. Itaque hanc rem omnino non tentandam paullo supra probat his versibus [179. *seqq.*]

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius inritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, & quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis: quae mox narret facundia praesens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet.
Aut humana palam coquat exsta nefarius Atreus.
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Ibidem. [*vs.* 357.]

Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille.
Quem bis terque bonum cum risu miror: & idem
Indignor: quandoque bonus dormitat Homerus:
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

Quidquid dicant post Petrum Victorium Jason, Lambinus, & alii, persto ego in sententia: quam in libro mearum Adnotationum [*Cap.* C.] pridem declaravi cum adprobatione excellentium virorum: qui librum illum meum legerunt. Omnino *indignor* verbum Horatii refertur ad felicem casum Choerili, indigni tamen felicitate illa: quasi dicat poëta: admiror, & rideo felicem illum, ut in tesseris jactum: aequo tamen animo ferre non possum: excandesco, doleo, & indignor, sortem eam, & fortunam conti-

tigiſſe ea felicitate indigno. Quis autem neſcit, indignationem eſſe aegritudinem naſcentem in animis hominum: quando non merenti & indigno boni aliquid contingit? De riſu porro atque admiratione ſi qui cupiunt legere ſcitu ad hanc cauſſam opportuna, adeant Vincentium Madium, civem meum, Fracaſtorium, & aliquot alios: qui aetate noſtra docte & ſapienter de utriſque ſcripſerunt.

CAPUT XV.

Horatium non recte diſſentire a Cicerone. Pythia canere. Plinii locus emendatus.

IN eadem epiſtula Horatius ſic ſcribit [*vſ.* 372. *ſeq.*].

--- -- *Mediocribus eſſe poëtis*
Non homines, non Di, non conceſſere columnae.

At longe aliter ſentit Cicero: cuius judicium multis partibus juſtius Deorum, hominum, ac columnarum interdicto antepono. Ciceronis verba haec ſunt in Oratore ad Brutum [*cap.* 1.]. *An in poëtis niſi Homero ſoli locus eſt, ut de Graecis loquar? aut Archilocho? aut Sophocli? aut Pindaro? & non horum ſecundis, aut etiam infra ſecundos?*

Ibidem [*vſ.* 467.].

Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.

Seneca Thebaïd. [*vſ.* 99. *ſeqq.*] ex hoc Horatii verſu belle ludendi occaſionem nactus ſic argutantem inducit Oedipum.

Nolentem, in aequo eſt, & qui properantem impedit:
Occidere eſt vetare cupientem mori.
Nec tamen in aequo eſt: alterum gravius reor.
Malo imperari, quam eripi mortem mihi.

Ibi-

Ibidem [*Artis Poët. vſ.* 414.]
Caecutiunt interpretes in expoſitione hemiſtichii hujus.

-- -- *Qui Pythia cantat.*

ego expono, qui in Pythiis cantat. Sic Plin. *lib.* xxxv. *cap.* xv. *Alcimachus Dioxippum, qui Pancratia Olympia citra pulveris jactum, quod vocant aconiti: coniti Nemaea.* Ubi tamen libri vulgati habent: *Olympiae*: male: nam & ratio ſic & uſus poſtulat: & ſtatim ſequitur: *coniti Nemaea.* Apulejus quoque ſic locutus eſt in libro de Dogmate Platonis, [*pag.* 250.] ſic ſcribens. *Tantoſque progreſſus exercitatio contulit ei, ut Pythia, Iſthmia deluctata certaverit.* Huiuſmodi vero formulae apud Lucianum non ſemel leguntur. Horatius quoque epiſtula prima libri primi. [*vſ.* 49.]

Quis circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia? cui ſpes,
Cui ſit condicio dulcis ſine pulvere palmae?

Legantur quoque, quae in hos verſus paullo poſt ſum dicturus.

CAPUT XVI.

In eadem epiſt. Senes δυσελπίδες. λεχιθοπώλης.

[V*ſ.* 172.]

--- *Spe longus, iners, avidusque futuri.*

exponunt, alii

Spem longiorem habet vivendi.

alii,

Sperat, ſe adhuc victurum.

alii.

Sibi ſpem longi temporis proponit.

Concors est omnium istorum interpretatio: quam ne probem faciunt verba haec in eodem versu, *avidusque futuri.* Quae verba non spem, sed cupiditatem longioris vitae indicant. Igitur expono, *spe longus*, δύσελπις. *Longus* enim hic est in eo sensu, in quo accipitur a Terentio Andria. [*Act.* v. *sc.* VI. *vs.* 13.]

> *Atque adeo longum 'st, nos illum exspectare dum exeat.*

& Cicero *lib.* VII. *Epist. ad Marium.* [*Ep.* 3.] *Haec tecum coram malueram: sed quia longius fiebat, volui per literas eadem.* & Caesar *lib.* VI *belli Gallici* [*cap.* 8.] *Longum esse perterritis Romanis Germanorum auxilia exspectare.* Senectutis autem hoc quoque vitium est, ut lenta sit ad sperandum, longe enim ab ea abest spes. *Aluntur senes* (inquit Aristoteles *lib.* II. *Rhetor.* [*cap.* 29.]) *memoria magis, quam spe.* Φιλόζωος est senex. Itaque Horatius recte dicit, *avidusque futuri:* sed aliud est longiorem vitam optare, aliud sperare.

In eadem epist. male expositum versum poëtae. Λεχιθοπώλης. *Niti. Centum. As.*

Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res.

In hujus versus [248.] expositione Grifolus & Jason Nores praeter ridicula cetera, turpissime etiam confundunt ordines, & genus, cum explanant his verbis: *Equites, & Patricii, & Res. id est, qui sunt divites, nec eos modo, qui censum habent equestrem, vel patricium, sed omnes locupletes intelligi: quorum solet esse magna inter cives potentia.* Misere (inquam) labuntur. Nam si de Gentibus voluerunt intelligere, dicendum, fuit *Patricii & Plebei.*

Si

Si de Ordinibus, *Senatores*, *Equites*, *&* *Plebs*. Sed de hac doctrina consulendi sunt libri doctissimi, & mei, dum vixit, amantissimi Caroli Sigonii.

Ibidem. [*vs.* 249.]

Nec si quid fracti (al. fricti) ciceris probat, aut
nucis emptor.

id est, λεκιθοπώλης. quod est leguminum venditor: de vilibus personis: quarum si est venditor vilis, ergo & emptor, ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα. legatur Aristophanis Scholiastes in Pluto. [*vs.* 42.]

Ibidem [*vs.* 280.]

—— —— *Nitique cothurno.*

Niti hic est *Incedere*. Pacuvius Periboea apud Nonium [*cap.* 4. *pag.* 684. *Ed. Gothofr.*] *Ardua per loca agresti & trepidante gradu nititur.* Virgilius [*Aenëid.* II. *vs.* 380.]

Pressit humi nitens.

Varro Pranso parato. [*ap. Non. l. c.*] *Fertur bisulcis unguibus nitens humi.*

Ibidem [*vs.* 323.]

Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem, nullius avaris.

Ovidius in hanc sententiam [*Art. Amat. l.* III. *vs.* 403.]

Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poëtis.

Ceteri mortales, quae arant, navigant, aedificant, pretium spectant. Solos poëtas inanes beant lauri, atque ederae.

CAPUT XVII.

Fortiſſima Tyndaridarum. Ambubaiae. Io Bacchae. Labeone inſanior. Aqua cur viliſſima. Ingenuus.

Libri primi Sermonum Horatii Satira prima ſunt hi verſus [99. *ſeqq.*]

—— —— At hunc liberta ſecuri
Diviſit medium fortiſſima Tyndaridarum.

Quot docti viri in horum expoſitione verſuum laboraverunt? univerſique parum feliciter. Fortaſſe non abſurdum fuerit conjungere vocem *Tyndaridarum* non cum *fortiſſima*, (id enim natura ſuperlativi non patitur,) ſed cum *ſecuri*: ut ſit. Liberta fortiſſima hunc medium diviſit ſecuri Tyndaridarum: id eſt, imitata Clytemneſtrae Tyndari filiae facinus: quae ſecuri in caput inliſa maritum interemit. Nec obſtat, quod maſculino genere comprehendit Clytemneſtram. Immo ſic ratio poſtulat. Nam quemadmodum diceremus: *Filii Tyndari Pollux, Caſtor, Helena, Clytemneſtra, Phoebe:* ita hoc loco maſculinum genus femininum comprehendit. Frequens eſt auctoribus figura haec. Terent. *Eunucho* [*Act.* v. *ſc.* II. *vſ.* I. *&* 2.]

Uterque mater & pater
Quaſi dedita opera domi erant.

Vix enim umquam femineo generi maſculinum cedit. Vix dixi: quoniam commodum venit in mentem illud Ciceronis *epiſt.* xxv. *lib.* x. *ad Furnium. Iſtamque operam tuam, navitatem, animum in Rempublicam, celeritati Praeturae anteferendam cenſeo.* Auſonius imitatus Horatium patronymico maſculino

no comprehendit femininum, de Niobe loquens. [*Epigr.* 244.]

Thebarum regina fui, Sipyleia cautes
Quae modo sum; laesi numina Latoïdûm.

est enim ibi *Latoïdûm* contractum pro *Latoïdarum*. Non est vero alienum a superiore argumento admonere, quod Athenaeus [*lib.* II. *cap.* 15. *p.* 57.] scriptum reliquit, de ovo Laedae: ovum adpellatam fuisse aulam, in qua Laeda liberos peperit. Hinc fabulae origo.

Paullo supra in ea, quam nominavimus, satira, adnotandus est dativus verbo, *refert*, additus in eo versu [49. *seq.*]

Vel dic: quid referat intra
Naturae fines viventi.

Quod exemplum fortasse est singulare.

Balatrones & *Ambubaiae* vocabula sunt initio Satirae secundae libri primi Horatii. Otho Frisingensis *lib.* V. *cap.* 13. *Balatrones* exponit scurras & moriones. Alii *Balatronem* proprium nomen fuisse cujusdam insignis scurrae tradunt. *Ambubaiae* vocem esse Syriacam dicunt significantem tibicinas. Quo in sensu fortasse *Ambubaïae* illae apud Suetonium in Nerone [*cap.* 27.] sunt accipiendae.

Satira tertia *lib.* I. [*vs.* 7.] legendum esse, *Iö Bacchæ*, non autem, *Iö Bacche*, ultimae syllabae ratio admonere Lambinum potuit. Fuit autem vox Baccharum se invicem cohortantium.

Ibidem [*vs.* 82.]

In cruce suffigat Labeone insanior ipso.

De hujus Labeonis procacissima linguae libertate in Augustum, qui maledicta malefactis cumulate poterat retundere, legatur Dio *lib.* LIV. [*p.* 531. *C. Ed. Leuncl.*]

Ibidem poëta vilissimam aquam adpellat, cum dicit [*Sat.* V. *vs.* 88.] *Ve-*

Venit vilissima rerum
Hic aqua. ——

non quod contemptui sit, & neglectui, sed quod obvia, multa, abundans, & nulla impensa parabilis. Sic Virgilius de pomis, & faselis [*Georg. lib.* I. *vs.* 274.]

Vilibus aut onerat pomis. ——

[*Georg.* I. *vs.* 227.]

—— *Vilemque faselum.*

Ingenuus Satira sexta ejusdem libri in his versibus. [*vs.* 7. *seq.*]

Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus. ——

non refertur ad libertinum, ut censet Lambinus: sed significat probum, verecundum, & justum. Sic Cic. *lib.* v. *epist. Familiar.* [*epist. ult.*] *Verum enim scribam: teneriore mihi animo videbare: sicut omnes fere, qui vita ingenua in beata & libera civitate viximus.* Rectius igitur Acron sentit, qui exponit sic: *Ingenuus autem ad moris probitatem pertinet.*

CAPUT XVIII.

Satira fuerit ne tota Romanorum. Satiram nullam soluta oratione scriptam.

Controversia est inter veteres scriptores, fuerit ne Satira tota Romanorum: quoniam aliqui eamdem etiam Graecis vindicant. Horatius, Quinctilianus, & Acron Latinorum partes fovent. Diogenes Laërtius, & Diomedes Grammaticus ab usu Satirae Graecos non excludunt. Singulorum verba audiamus. Ponemus autem prius testimonia eorum, qui Latinis Satirae inventionem, & usum tri-

tribuunt: deinde addemus eorum auctoritates, qui Graecorum etiam fuisse crediderunt (*a*). Horatius Satira x. libri primi [*vs.* 55. *seqq.*]

Hoc erat experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem
Inventore minor. Neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi, fluere hunc lutulentum. ——

Idem Satira I. *lib.* II. [*vs.* 62. *seq.*]

—— *Quid? cum est Lucillius ausus*
Primus in hunc operis componere carmina morem.

Fabius *lib.* X. *cap.* I. *Satira quidem tota nostra est, & in qua primus insignem laudem adeptus est Lucillius: qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operae auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitent.* Plinius Secundus in epistula ad librum Naturalis historiae. *Quod si hoc Lucillius, qui primus condidit styli nasum.* Acron ad illum versum Horatii in epist. de Poëtica ad Pisones. [*lib.* I. *Sat.* X. *vs.* 66.]

—— *& Graecis intacti carminis auctor.*

sic inquit: *Hoc ideo dictum: quia primus Satiram Graecis intactam versibus hexametris scripsit. Etiam Graecis auctor operis est.* Atque hi sunt, qui totam Latinorum esse Satiram volunt.

Nunc proferamus testimonia illorum, qui Graecis non ignotam fuisse eamdem tradiderunt. Diogenes Laërtius *lib.* II. Menedemo [*sect.* 140.]. *Ea omnia*

(*a*) Conferri huc omnino debent *Isaaci Casauboni de Satyrica Græcorum Poësi*, & *Romanorum Satyra* libri duo: quos in *Musei Philologici parte I.* recudendos curavit *Th. Crenius.* Egregie in illis docet Vir Maximus, Satyricam Græcorum Poësin cum Romanorum Satira pessime confundi: atque hujus inventionem & usum solis Romanis merito ab Horatio, & Quinctiliano tribui. Vid. præcipue *Lib.* II. *cap.* 2. & 3.

omnia memorat Lycophron in Satira, quam inscripsit Menedemus. Idem IX. Timone. [*sect.* 110.] *Nam & poëmata conscripsit, & versus, Tragoedias, & Satiras, & Comoedias* XXX. Idem *lib.* V. Demetrio [*sect.* 85.] *Demetrium alium Satiricum* recenset. Idem *lib.* III. Platone [*sect.* 56.] *Erat autem quartum poëma Satiricum.* Apulejus IV. Floridorum. [*p.* 246. *Ed. Colvii*] *Canit enim Empedocles carmina: Plato dialogos: Socrates hymnos: Epicharmus modos: Xenophon historias: Xenocrates satiras.* Diomedes Grammaticus. [*lib.* III. *p.* 480. *Ed. Putschii*] *Poëmatos Dramatici genera sunt quattuor apud Graecos. Tragoedica: Comica: Satirica: Mimica.* Idem paullo post [*p.* 482.] verbis, quae referam: in quibus vitii est sine dubio aliquid (*a*). *Satira est carmen apud Romanos nunc quidem, apud Graecos maledicum, & ad carpendum hominum vitia Archaeae Comoediae charactere compositum: quale scripserunt Lucillius, Horatius & Persius.* Neque vero dederim, pedestri stylo ante Lucillium fuisse illam apud Romanos conscriptam: ne forte veteres Horatii interpretes aliquem decipiant: qui harum ineptiarum sunt auctores. Omnino Graecis (si quidem illi Satiram habuerunt) & Latinis metro illa adstricta fuit. Primum Satira poëma est. Id docent Horatius & Diomedes. Deinde nullum habemus solutae orationis exemplum. Nam illud Ennii exemplum, quod exstat apud Nonium in *Obstringillare* [*cap.* 2. *p.* 567.] *Restitant, occurunt, obstant, obstringillant, obagitant*: est Brachicatalecticum metrum Jambicum (si modo ea omnia verba uno versu sunt comprehendenda) cui supra Trimetri

(*a*) Varie hic Diomedis locus scribitur, uti jam observavit Crenius ad Casaub. *de Rom. Sat. Lib.* II. *cap.* 3. *p.* 208.

tri versus naturam pes unus superabundat: sic enim adpellat Diomedes versus uno pede longiores. Etiam Menippeas Satiras suas Varro carmine condidit: vario quidem, sed tamen carmine: cujusmodi exempla multa apud veteres Grammaticos, praecipue Nonium Marcellum (quamquam pleraque incuria librariorum conruptis numeris) leguntur: ex quo pauca quaedam citare est operae pretium. Ille igitur in voce *Merum* [*cap*. 4. *p*. 679.], ex Menippea τοῦ πατρὸς παιδίον περὶ παιδοποιίας.

Ac liberos parare cui necesse sit.

In verbo *Seplasium* [*cap*. 3. *p*. 611.] *Varro* ἀνθρωπολίδι περὶ γενεθλιακῆς.

Doti dato insulam Chium, agrum Caecubum.
Seplasia Capuae, Macellum Romuli.

In *Coagulum* [*cap*. 1. *p*. 498.] *Varro. Est modus matulae* περὶ μέθης.

Vino nihil jucundius quidquam bibit.
Hoc aegritudinem ad medendum invenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum convivia.

In *Cogere* [*cap*. 4. *p*. 634.]: ex Varronis Satira Eumenidibus.

Furando tamen, ac morbo stimulatus eodem,
Ex sese ipse aliquid quaerat, cogatque peculi.

In *Tempestas* [*cap*. 1. *p*. 484.]: *Varro Eudaemonibus.*

Interea tonuit bene tempestate serena.

Lucillius quoque vario genere carminis Satiras scripsit: ut *lib*. XXIX. Satirarum apud Nonium in *Ignominia*. [*cap*. 1. *p*. 496.]

Deliciis maculam, atque ignominiam inponere.

In *Munes* [*cap*. 1. *p*. 495.] *Lucillius lib*. XXVI.

——— ——— *munifici*
** Comesque amicis nostris * videmur viri.*

In *Rudus* [*cap*. 1. *p*. 492.]: *Lucillius lib*. XI. *Satirarum.*

Viam

Viam ſtruendum, & iniciendum huc adgerem.
Et id genus rudus. —— ——

In *Tollere* [*cap.* I. *p.* 483.]: *Lucill. lib.* XXV.
At cui, quem febris una, una ἀπεψία,
Uni, inquam, Cyathus unus potuit tollere.

In *Tricae*, & *Tricones* [*cap.* I. *p.* 487.]: *Lucill. Satira prima lib.* XI.
Nec mihi amatore hoc opus, nec tricone vadato.

Idem [*cap.* I. *p.* 495.]
Lucius Cotta ſenex Craſſi pater hujus παναίθου,
Magnus trico fuit, nummarius, ſolvere nulli.

In *Cernuus* [*cap.* I. *p.* 494.]: *Lucill. Satirarum lib.* III.
Cernuus extemplo plantas conveſtit honeſto.

Ibidem: *Lucill. Satirarum lib.* XXVII.
Modo ſurſum, modo deorſum, tamquam collus cernui.

Brachycatalecticus eſt verſus. In *Tolutim* [*cap.* I. *p.* 485.]: *Lucill. Satirar lib.* VIII.
Si omne iter evadit, ſtadiumque adclive tolutim.
&:
Velle tolutim hic ſemper incoepturus videtur.

In *Capulum* [*ibid.*]: *Lucill. Satirar. lib.* II.
Quem cum vidiſſet Hortenſius, Poſtumiusque,
Ceteri item in capulo hunc non eſſe, aliumque cubare.

CAPUT XIX.

Lucillium non primum Romanae Satirae scriptorem fuisse: sed Ennium. Rudior vox Latina non est.

Horatio patronos acres ac defensores hic quaero in caussa, ut mihi videtur, conclamata (*a*). Ait ille; Lucillium fuisse Satirae primum inventorem Romae. Et tamen idem paullo post alium Satirae auctorem praedicat. Audiantur ejus versus ex Satira x. *lib.* I. [*vs.* 55. *seqq.*]

Hoc erat experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod dicere possem
Inventore minor. Neque enim illi detrahere ausim
Haerentem capiti multa cum laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum. ——

Satira I. *lib.* II. [*vs.* 28.]

Millia me pedibus delectat claudere verba;
Lucilli ritu nostro melioris utroque.

Paullo post ibidem [*vs.* 62.]

—— *Quid? cum est Lucillius ausus*
Primus in hunc operis conponere carmina morem?

Clare his omnibus locis primum Satirae inventorem Lucillium praedicat. At in eadem x. Satira *lib.* I. alium, non nominando, auctorem Satirae ante Lucillium dicit, cum sic scribit. [*vs.* 64. *seqq.*]

—— *Fuerit Lucillius, inquam;*
Comis & urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis & Graecis intacti carminis auctor:
Quamque poëtarum seniorum turba. ---- ---

Ecce hic alium a Lucillio Satirae auctorem fuisse scri-

(*a*) Egregie pro Horatio causam dixit ὁ πάνυ *Casaubonus de Rom. Satira. Lib.* II. *cap.* 3.

ſcribit. Quo in loco excuſem libenter, ſi queam, Poëtam: quod ſubſidium quando praeſtare non queam, admirari interea licet ſecuritatem tot doctorum virorum: qui poſita multa opera in eo explanando hic mutum faciunt (*a*). Lambinus tamen ſatagit, acumenque ſuum piſtillo acutius in eo loco explicando oſtendit, ſic ſcribens: *Fuerit limatior idem Quam*] *Hunc locum, quem ſcio difficilem & impeditum haberi, ſic expedio, atque explico. Demus* (*inquit Horatius*) *Lucillium limatiorem fuiſſe, quam auctorem Satirae Graecis intactae eſſe oporteat, quod idem fere valet, ac ſi dicat. Demus Lucillium fuiſſe ſublimiorem, quam eſſe debuerit. Atque ita nomen* Rudis *in patrio caſu accipio, & cum voce* Carminis *conjungo. Nam quod alii recti caſus faciunt, hoc modo. Fuerit limatior idem, quam rudis: id eſt, fuerit limatior potius, quam rudis & impolitus, hoc illi non recte. Sic enim eſſet locutus Horatius. Fuerit limatior, quam rudior.* Probandaeque formae ejus dicendi multa adgerit exempla: quod facere in re omnibus nota non oportuit. Qua tamen in parte bis ac fortaſſe ſaepius peccat. Primum adhibet vocem auribus Latinis inauditam *rudior:* ut non fuerit Horatius docendus non Latine loqui. Deinde non perpetuum eſſe praeceptum illud, quod dicit: *Limatior, quam rudior*, ſatis docet Columella (eo enim nunc ſolo auctore contenti erimus) in prooemio *lib.* XII. ſic ſcribens: *Idcirco reddit timidiorem, quam virilem.* Terminus etiam poſterior comparationis diverſus eſſe debet a re, aut perſona comparata: quae ratio ſervatur a Poëta, cum ſubdit [*vſ.* 66.]

Quam

(*a*) Tu vide *Caſaub.* in opere ſæpius laudato *Lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 194. *Ed. Crenii.*

Quam rudis, & Graecis intacti carminis auctor:
Quamque poëtarum seniorum turba: ——

id est, limatior auctore carminis rudis & intacti Graecis. Dicet hic aliquis: quemnam tu censes fuisse eum: quem Horatius in illo loco auctorem rudis & intacti Graecis carminis dicit? Rem breviter expedio. Ennius ille fuit. Antecessisse autem aetate Ennium Lucillio, quilibet discere ex Eusebio potest. Scripsisse vero eumdem Satiram, probatur testimonio Porphirionis: qui ad illum Horatii versum, *Frustra Varrone Atacino*, sic scribit: *Item Ennium: qui quattuor (al.* IX.) *libros Satirarum reliquit.* Agellius quoque *lib.* XVIII. *cap.* 2. idem testatur, sic scribens: *Quorum prima fuit enarratio horum versuum, qui sunt in Satiris Q. Ennii, uno multipliciter verbo concinniter inplicati: quorum exemplum hoc est:*

Nam qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse.
Nam qui sese frustrari quem frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra est: si non, ille est frustra.

Nonius in *Obstringillare* [*cap.* 2. *pag.* 567.], quod etiam supra posuimus. *Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obagitant.* Nomen & locum antiqui scriptoris, qui hic egregie faceret, non memini. Ejus vicem subibit Petrus Crinitus, sic in lib. de Poëtis de Ennio loquens: *Satirarum libros scripsit quadratis versibus: qui in magno pretio habiti sunt.*

CAPUT XX.

Acer, intactus.

Sunt quibus in Satira videar nimis acer: & ultra
Legem tendere opus. —— ——

Acer hic, initio primae Satirae ſecundi libri, non eſt in reprehendendis atque inſectandis hominum vitiis nimis vehemens, nimis ſaevus & aſper, ut exponunt nonnulli: ſed altus, robuſtus, nervoſus, elatus, grandis, vehemens in Satira ſcribenda: cujus ſtylum eſſe oportet humiliorem: quippe qui proxime adcedere debeat ad ſtylum antiquae comoediae: cujus locum ſubiit apud Latinos Satira. Hanc eſſe veram hic verbi hujus ſententiam, ſatis declarant ſtatim ſequentia haec carmina.

—— *Sine nervis altera quidquid*
Compoſui pars eſſe putat: ſimilesque meorum
Mille die verſus deduci poſſe. ——

Acer igitur ad vires & nervos carminis referri debet, non ad acrimoniam atque mordacitatem. Immo Horatius in Satira adeo fuit multis partibus Lucillio mitior & temperantior: ſtylo vero adeo leni & demiſſo, ut nonnulli olim, & tempeſtate noſtra doctiſſimi viri (*a*) auſi ſint, jure an injuria? hunc praeſtantiſſimum Poëtam Juvenali, ſi Dis placet, poſt habere.

Ibidem [*vſ.* 23.]

Cum ſibi quisque timet, quamvis intactus, & odit.

Quoniam laeſi & tacti homines dolent accepto jam malo, non timent: timor enim eſt damni venturi: propte-

(*a*) In margine primae editionis erat. *Divus Thomas, Jul. Cæſar Scaliger.*

propterea moveor, ut hoc loco *intactus* interpreter, *Innocens*, *Integer*: quique vere non queat tangi: & de quo juste detrahere nullus posset. Lucretius *intactilis* diceret. [*lib.* I. *vs.* 438.]

CAPUT XXI.

Malis alienis ridere. Triplex.

Cum Latine dicatur, *in jus vocare*, aut *rapere*: non autem, *in Jura*, ego versum illum Horatii Satira III. *lib.* II. [*vs.* 72.] qui nunc sic legitur:

Cum rapias in jura malis ridentem alienis.

sic restituendum censeo.

Cum rapias in jus malis ridentem alienis.

Quid autem sit, *malis*, sive, *maxillis alienis ridere*, consulatur proverbium in Adpendice (*a*).

Ibidem. [*vs.* 237.]

Sume tibi decies: tibi tantumdem: tibi triplex.

Triplex, hic pro *ter* tantum est. Sic locutus est Livius *lib.* VII. [*cap.* 8.] *Multiplex, quam pro numero damnum.* Aemilius Probus in Themistocle. [*Milt.* *cap.* V. §. 5.] *Decemplicem numerum hostium profligarent.*

CAPUT XXII.

Muribus vita brevis. Verniliter. Incoquere. Remittere muriam, fucum, labem.

Cur Satira VI. *lib.* II. Horatius dixit, murium breve esse aevum eo versu [97.]?

Vive memor, quam sis aevi brevis. ---

Qui

(*a*) Vid. *Joan. Ferrerii* Proverbiorum Collectanea post Erasmi Adagia *pag.* 1583. *Ed. Col. Allob.* 1612.

Qui de natura hujus animalculi ſcripſere, tradunt adeo fecundos crebroſque eſſe muris partus, ut, niſi natura brevem ei vitae terminum ſtatuiſſet, copia eſſet futura frugibus, ceteriſque commodis hominum, damnoſa. Graeci μινυνθαδίους dicunt.

Ibidem. [*vſ.* 108.]

Continuatque dapes. Nec non vernaliter ipſis
Fungitur officiis, praelambens omne, quod adfert.

Verniliter ego dicendum puto: ſicut a *Scurra*, *Scurriliter*. Eſt autem hoc loco *Verniliter*, furaciter, vel guloſe. Sequitur enim: *praelambens omne, quod adfert.* Hoc genus hominum ſaepe prius deguſtatas, deminutas, praeroſas, & ſemeſas a ſe eſcas dominis adponunt. Quod vitium egregie apud Terentium Adelphis [*Act.* IV. *ſc.* 2. *vſ.* 50. *ſeqq.*] depingit Syrus ſic dicens:

-- -- -- *Ego jam proſpiciam mihi.*
Nunc jam adibo: atque unumquodque, quod quidem erit belliſſimum,
Carpam: & cyathos ſorbillans paullatim, hunc producam diem.

Satira VII. ejusdem libri. [*vſ.* 82.]

Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Neque Acronis placet interpretatio, neque Lambini: qui de Neuroſpaſtis intelligit. Ego accipio de Trochleis, Ergatis ipſis, atque aliis ejusmodi tractoriis machinis. Hae machinae trahunt quidem molem aliquam: ſed eaedem machinae moventur, inpelluntur, aut trahuntur extrinſecus alia vi.

Satira VIII. ejusdem *lib.* II. [*vſ.* 51. *ſeqq.*]

Erucas virides, inulaſque ego primus amaras
Monſtravi incoquere: inlutos Curtillus Echinos,
Ut melius, muriâ: quam teſta marina remittit.

Senſus horum verſuum ſatis per ſe erat apertus, niſi

nisi Lambinus pilum in ovi testa, quod ajunt, quaerens, novam, id est, a se excogitatam, invitam tamen, & reluctantem lectionem, unde etiam non belle se explicat, intruderet. Reluctantem dixi: quoniam verbo *incoquere* utimur plerumque, cum loquimur de rebus, quae in liquore, jureve aliquo alio coquuntur: cui significationi fidem faciunt (ne alia aliunde huc congeram) exempla: quae ipse Lambinus ex Virgilio atque Horatio adfert: ut satis inde adpareat, naturam repudiare formam hanc dicendi. *Erucas inulis incoquere.* Sua igitur vera, & vetusta, & a posteritate accepta lectio versibus conservetur: quorum hic est ordo atque sententia. Ego primus monstravi incoquere muria, quam testa marina remittit, erucas virides, inulasque amaras. Curtillus monstravit, eadem incoquere muria echinos inlotos, ut melius: quod perinde est, ac si dixisset: melius esse incoquere muria inlotos, quam lotos echinos. Muria autem, quam testa marina remittit, est liquor: qui ex testa marina multo inspersa & macerata sale liquatus effluit. Id enim in his condituris significat verbum *remitto.* Hoc verum esse diligentissimus, & maxime proprietatis amans, Columella probat *lib.* XII. *cap.* 9. cum sic scribit: *Caules lactucae ab imo depurgatos eatenus, qua tenera folia videbuntur, in alveo salire oportet: diemque unum, & noctem sinere, dum muriam remittant: deinde muria eluere.* Alio, sed oppido quam significanter, & adposito sensu accipitur a Plinio, cum tincturam scribit fucum remittere: quod contingit, cum de indole (ut sic dicam) & splendore accepti tinctura coloris deperit vetustate, vel usu aliquid, & quasi eluitur. *Buccinum* (inquit *lib.* IX. *cap.* 28.) *per se damnatur: quoniam fucum remittit.* Aliter

ter etiam Horat. *Epist.* I. *lib.* II. [*vs.* 235. *seqq.*]

Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt.

id est, polluunt, & nigrorem, aut aliam maculam adlinunt.

CAPUT XXIII.

Paganalia. Declaratur Horatii locus. Frater. Olympia coronari.

Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia? cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?

Horum trium versuum Horatii ex *epist.* I. *lib.* I. [*vs.* 49. *seqq.*] haec est sententia. Quis si speret, sine pulvere & sudore magna Olympia, id est, in magnis Olympiis, victor securus incommodi & periculi coronari, non id malit: quam cum labore & & discrimine in vilibus Paganaliorum ludis pugil humilem inde laudem quaerere? De Paganalibus ludis puerorum legere est apud Suetonium in Augusto. [*cap.* 45.] *Spectavit autem* (inquit) *studiosissime pugiles, & maxime Latinos, non legitimos, atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Graecis solebat: sed & catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere, ac sine arte.* Varro *lib.* V. de Lingua Latina. [*p.* 49. *Ed. Stephani.*] *Feriae non populi modo, sed montanorum: ut Paganalia, quae sunt alicujus pagi.* Quod adtinet ad illam formam dicendi, *coronari Olympia*, legantur, quae diximus [*supra cap.* XV. *pag.* 407.] ad versum illum in epistula ad Pisones.

— *Qui Pythia cantat,*

In

In epiſtula III. ad Julium Florum. [*lib.* I. *vſ.* 35.]

Vivitis indigni fraternum rumpere foedus.

Quomodo fraternum? An amorem tantum intelligit, quantus eſt fratrum inter ſe? An fuere Julius & Munacius fratres germani: ſed altero in alterius gentis adoptionem tradito? An fratres uterini tantum fuerunt?

Ep. VII. ad Maecenatem. [*lib.* I. *vſ.* 96. *ſeqq.*]

Qui ſemel adſpexit, quantum dimiſſa petitis
Praeſtent, mature redeat, repetatque priora.
Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.

γνώμαι duae ſunt. Verba autem ſunt Poëtae, non Philippi: ut putantes nonnulli (*a*) ſententiam veram non ſunt adſecuti. Legendum autem eſſe *ſemel*, ut nos reſtituimus, non *ſimul*, ſententia ſatis probat. Et qui aliter tradiderunt, longe a vero aberrant, uno in loco duos graves errores admittentes.

CAPUT XXIV.

Medium vitiorum quid ſit. Teſquor.

V*irtus eſt medium vitiorum, utrinque reductum.*

Verſus eſt Horatii ex epiſt. XIX. *lib.* I. [*vſ.* 9.] ad quem verſum proba eſt veterum & novorum interpretum expoſitio. Attamen; quid? ſi virtutem medium interpretemur: quae de extremis duobus contrariis vitiis participans, & ex defectu aliquam, & ex exceſſu aliquam item partem accipiens, temperatam ex utriusque illis extremis vitiis miſturam efficiat? Certe ſic ſentit Suidas in voce μέσον, pluribus verbis acute diſputans, quomodo virtutes morum ſint medium.

Epiſt.

(*a*) In margine prioris editionis. *Lambinus.*

Epist. xix. [*vs.* 12. *seqq.*]

Quid? si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet, moresque Catonis?

In secundo versu aliqui legunt, *tecto ore*, ex historia, quam narrat Plinius Junior *lib.* III. in quadam epist. ad Catillium Severum [*Ep.* 12.] his verbis: *Erunt officia antelucana: in quae incidere inpune ne Catoni quidem licuit. Quem tamen C. Caesar ita reprehendit, ut laudet. Describit enim eos, quibus obvius fuerit, cum caput ebrii retexissent, erubuisse. Deinde adicit. Putares, non ab illis Catonem, sed illos a Catone deprehensos. Potuitne plus auctoritatis tribui Catoni, quam si ebrius quoque tam venerabilis erat?* Verum audax nimis est haec licentia sine auctoritate alicujus veteris libri. Deinde adcommodare eam historiam versui & sententiae Horatii, est utrique scriptori vim facere. tum ratio bene loquendi hanc lectionem penitus respuit. Quis enim dicat, aut ferat modum hunc dicendi, Catonem tecto ore exiguae togae abiisse? Alii nulla reddita ratione reponunt, *tectore*: quae lectio debet esse eadem cum superiore, *tect'ore*. Acron omnino videtur legisse *textore*, cum sic exponit; *qualem fecerit textor.* Non desunt, qui *gestore* legant. Justus Lipsius vir doctus libro primo Electorum *cap.* 12. testatur se in vetere scripto libro reperisse scriptum, *tesquore*: neque aliud addit. Quae lectio videtur bis a Porphirione comprobari. Primum, cum in ejusdem versus expositione sic inquit: *Metonymia, id quod fit, pro eo, qui facit.* deinde, quando tertium a superioribus versum [17.] exponens hunc,

Decipit exemplar vitiis imitabile. ——

sic scribit: *Ut ille, qui Catonem imitari se putat, si tristis*

tristis ac sordidatus incedat. satis manifeste Porphirio exprimit notionem verbi *tesquor*, cum *tristis* & *sordidatus* dicit. *Tesqua* namque, sive *tesca* (sic enim scribitur apud Varronem) loca sunt inculta, deserta, aspera, difficilia, horrida, & senta. Inde verbum hoc Horatius vel formavit ipse novum, qualia aliquot alia apud ipsum non ante auribus Latinis audita leguntur : vel ab antiquiore auctore mutuatus commodum hic illi locum tribuit: quod verbum squalorem, sordes, horrorem significat, & situm. De verbo *tesqua* meminerunt Acron & Porphirio in epistulam libri primi decimam quartam. Item Varro [*lib.* VI. *de L. L. p.* 67. *Ed. Stephani.*] & Festus Pompejus. [*in voce Tesca*]. De utro autem Catone Majorene, an Uticense sit intelligendum, parum refert: utriusque enim par fuit natura, & mores pares. Quamquam, ut hic de posteriore accipiam, faciunt verba Suetonii a nobis supra citata. Libet tamen etiam adjungere aliquot ex Plutarcho testimonia: quae confirmant ea, quae ab Horatio de Catone scribuntur. Iste igitur in ejus vita diversis in locis sic scribit [*in Catone min. p.* 759. *E.*] *Ferunt autem statim a pueritia constantiam & severitatem Catonis conspicuam fuisse. Vim namque habebat ultra aetatem ejus incoeptam. Adulatoribus asper: terrentibus adversus: tardus ad risum, ut perraro vultum remitteret: ad iram non facile labens: sed cum in eam devenerat, implacabilis.* Et [*p.* 761. *C.*] *In ceteris, quae ad victum pertinebant, durus & severus erat.* &, *severitatem rigoremque bonitate & gratia immotam adamavit.* Et [*p.* 762. *C.*] *Interdum vero nudis pedibus* (hoc arguit mendacii Acronem: qui Catonem negat nudis pedibus solitum incedere) *& absque tunica in publicum prodibat.* & paullo post: *Saepe nudis pedibus, & sine toga ad rostra veni-*

venire. Et [*p.* 783. *E.*] *Post prandium rursus, ut solebat, sine calceis, & tunica in forum veniens una cum familiaribus ambulabat.* Et [*p.* 793. *A.*] *Cato autem torve ipsum prospiciens.*

CAPUT XXV.

Dossennus. Quando primum Romani barbam alere desierunt. Ducere aera.

Miror Lambinum tantopere satagere in nomine *Dossennus* (sic enim scribendum est, non *Dorsennus*) ad epistulam primam *lib.* II. ejusdem Horatii ad Maecenatem [*vs.*173.]. Fuit hic *Dossennus* Poëta Comicus inter antiquiores relatus. Est ejus mentio apud Senecam [*Ep.* 89.], & Festum Pompejum in voce *Temetum.* Citat quoque Plinius Secundus *lib.* XIV. *cap.* 13. aliquot hujus *Fabii Dossenni* non inlepidos versus. Est apud me nummus argenteus cum effigie Poëtae barbata. Quod indicat fuisse eum ante Superiorem Africanum: qui primus Romae incoepit barbam non alere: qui mos ad Imperatorem Hadrianum duravit. Hic namque, ut vulneris in facie cicatricem tegeret, non radendae barbae morem induxit. Habet nummus sub effigie inscriptionem hanc DOSSEN. a tergo quadrijugem currum. Subtus est BRI. prioribus literis contusis: ut cognosci non possint. Suspicari possint nonnulli *Britannos* indicari: moverique ad id credendum: quod in prima parte currus superinposita est quasi casula, aut turris cum fenestris: unde pugnarent essedarii. Sed ea tempestate nondum Romanis cognita erat Britannia: certe intacta.

Ibidem. [*vs.* 197.]

Spe-

Spectaret populum ludis adtentius ipsis.
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura.

Sententia versuum horum est. Spectaret Democritus adtentius quam ludos & mimos ipsos, populum: caperetque majorem voluptatem spectans dementiam & levitatem populi, quam ex ludis & mimis ipsis. Hic omnes interpretes ridiculi sunt.

Ibidem. [*vs.* 239. *seqq.*]

Edicto vetuit: ne quis se praeter Apellem
Pingeret: aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. ---

Pluribus verbis disputat hic Lambinus: & pro *duceret* legendum putat *funderet*, aut *cuderet*. Ego nihil mutandum censeo. Dicit enim Horatius *ducere aera*, pro, *ducere aereas imagines*, *fortis Alexandri vultum simulantes*. Quid etiam, si *aere* accipiamus pro ex *aere*? Certe Apulejus scribit Floridorum primo: [*p.* 222. *Ed. Colvii*] *Sed inprimis illud praeclarum Alexandri: quod imaginem suam, quo certius posteris proderetur, noluit multis artificibus vulgo contaminari. Sed edixit universo orbi suo, ne quis effigiem Regis temere adsimilaret aere, colore, caelamine. Quin saepe solus eam Polycletus aere duceret: solus Apelles coloribus delinearet: solus Pyrgoteles caelamine excuderet.*

Ibidem. [*vs.* 246. *seq.*]

Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius, Variusque poëtae.

Multa cum dantis laude, Maecenatis scilicet. Laudatur Maecenas non solum quia liberalis: sed quia cum judicio dabat, bonis scilicet & merentibus. Notus est ille versus:

Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

Magna scilicet laus sequitur digno dantem. Longe gravior gratiorque est sententia haec, quam si

(quod alii faciunt) intelligas atque exponas. Abeunt donati & laudati.

CAPUT XXVI.

Cicuta. σικυῖα. *De Clysteribus. Cicuta non semper perimit. De pronunciandis diphthongis. Duas continuatas liquidas in una syllaba non conlocari.*

Quae intemperiae adegerunt virum doctum Lambinum, exponentem versus hos Horatii [*lib.* II. *Epist.* II. *vs.* 52.]?

—— *Sed quod non desit habentem*
Quae poterunt umquam satis expurgare cicutae?

Quid, inquam, impulit hominem pro, *cicutae*, legere, *Sicuae*, sive *Sicyae?* Audacia est, ne temeritatem dicam, adulterinam vocem, auribus Latinis non auditam, occupare alienam sedem: & per indignam vim atque injuriam nulla ne levi quidem umbra juris, ut sic loquar, de legitima possessione ab omnibus antiquis & recentibus libris, & a consensu interpretum universorum huic loco addicta deicere veterem dominam? sed rem perpendamus. σικύαν, & σικυῖαν Graeci dicunt. si σικυῖαν Latine voluit scribere, servanda fuit integra diphthongus abusiva: ut mediae syllabae consuleretur, quae producta est: quod faciunt, qui Ἁρπυῖας *Harpyias* scribunt, non *Arpuas*. Si a σικύας deducit *Sicuas*, in eamdem fraudem incidit. Media enim, quae esse in versu Horatii longa debet, in σικύα brevis omnino est: quod probat in simili stirpe vocalis eadem in versu, qui est apud Athenaeum. [*lib.* III. *cap.* I. *p.* 73.]

Τὸν

Τὸν σικυὸν τρώγουσα γύναι τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

alter etiam apud Suidam in voce Πρῶ, proverbii nomine prolatus.

Ἀρχομένων σικύων, καὶ ληγουσῶν κολοκυνθῶν.

Item ille a Scholiaste Aristophanis in Acharn. [*vs.* 519.] & a Suida [in voce σίκυον.] ex quodam epigrammate adlatus.

Καὶ σίκυον χνοάοντα, τὸν ἐν φύλλοις πεδοκοίτην.

Atque, quod ait Lambinus, Cicutam non adhiberi a medicis ad purgandum, neque Cicutam vim ullam purgandi habere, ut fortasse non mentiatur, certe mendacium dicit. Siquidem aliqua est Plinii auctoritas: qui *lib.* XXVI. *cap.* 14. Cicutam inter purgantia numerat sic scribens: *Cum ceroto apostemata, & ulcera tetra folia Mandragorae recentia: radix vulnera cum melle aut oleo: Cicuta cum seligine mista mero: Aizoum Herpetas quoque & Nomas, ac putrescentia: sicut Erigoron verminosa: recentia autem vulnera Astragali radix, ut vetera quoque ulcera, purgat Hipocisthis utraque.* Quod autem Cucurbitis medicinalibus purgandi verbum adtribuit idem Lambinus, ego observavi veteres scriptores plerumque aliter loqui. Quin verbum illud *expurgare* ad evacuationes maxime pertinet, quae dejectione alvi superioris & inferioris fiunt: quod non item ad sanguinem exsugendum per cucurbitas satis recte dicitur. Quippe illae (ut opportunitates omittam alias harum cucurbitarum ab Hippocrate [*De his quae uterum non gerunt. p.* 677. *Ed. Foesii.*] expositas) si tumenti qualibet de offensione parti: aut sicuti considerate clementerque scarificatae acie novaculae imponuntur, & quasi adglutinantur vi flammulae in stupa adcensae, potius quam *purgare*, dicentur *sanguine levare, evacuare, educere, adtrahere, extrahere, eruere, & exsugere sanguinem.* Nam

Nam, quae integrae parti ad humores, atque ad rejectionem sanguinis, & ad profluvium menstruorum coërcendum majores plerumque cucurbitae adhibentur, fere dicuntur *sistere*. Haec vera esse omnia, fatebuntur, quicumque medicorum libros consuluerint, & Plinium, ubicumque in hac sententia scribit de *Mandragora*, *Elleboro*, *Cucurbitisque* his medicinalibus. Quod idem Lambinus scribit, cicutam immoderato frigore enecare, id negat nemo: loqui tamen cum aliqua conrectione debuit: quoniam tantum abest, ut tota cicuta venenum sit, ut etiam mensis adhibeatur. Audiamus Plinium *lib.* xxv. *cap.* 13. sic loquentem: *Cicuta venenum est, publice Atheniensium poena invisa: ad multa tamen usus non omittendi: semen habet noxium: Caulis autem & viridis estur a plerisque & in patinis.* Apulejus in oratione pro se priore. [*p.* 331. *Ed. Colvii.*] *Ut si helleborum, vel cicutam, vel succum papaveris emisissem, item alia ejusmodi: quorum moderatus usus salutaris: sed commistio, vel quantitas noxia est.* Ad quos autem usus sit opportuna, legatur Plinius idem pluribus in locis: brevitatis enim caussa huc ea non congerenda existimavi. Dioscorides quoque de ejus succo scribens *lib.* iv. [*cap.* 77. *Ed. Colon.* 1529.] quantum ei tribuit? Ἐςὶ δὲ πολύχρηστον εἰς τὴν ὑγιαστικὴν χρῆσιν ξυρανθέν. Columella etiam *lib.* vii. *cap.* 5. Cicutae succum viridis ad tollendam ovium scabriciem opportunum esse tradit.

Ex his omnibus rationibus censeo, Horatium hoc loco nomine *cicutae* potionem intelligere ex *cicuta*, temperata fortasse etiam mistura aliorum medicamentorum: cujusmodi ad varios usus complura legere est apud Plinium, ut dixi, atque alios. At cicuta venenum est: quasi pleraque medicamenta purgantia, peregrina praesertim, nisi sint scienter

ter praeparata, & macerata, domitaque ſocietate clementiorum medicamentorum, noxia perniciosaque non ſint: quippe quae natura ſua extergunt, exterunt, & rodunt. Itaque Homerus φάρμακα dixit κακά. Sapienterque Plato in Timaeo ad finem, fugitandas monet purgationes omnes non neceſſarias. Τρίτον δὲ εἶδος κινήσεως σφόδρα ποτὲ ἀναγκαζομένῳ χρήσιμον· ἄλλως δὲ οὐδαμῶς τῷ νοῦν ἔχοντι προσδεκτέον τὸ τῆς φαρμακευτικῆς καθάρσεως γιγνόμενον ἰατρικόν. τὰ γὰρ νοσήματα, ὅσα μὴ μεγάλους ἔχει κινδύνους, οὐκ ἐρεθιςέον φαρμακείαις. Quid? ſi *Cicutam* hic apud Horatium accipiamus omnino pro veneno? interpretemurque? Non omnes Cicutae, non omnia Aconita, non omnia toxica mihi poterunt etiam enecando eripere, quin

-- *Melius dormire putem, quam ſcribere verſus?*

Fuit, cum aliquando putarim, nomine *Cicutae* poëtam intelligere *Crunos*, ſive *Siphones* (ſic enim Columella *lib.* IX. *cap.* 14. vocat) id eſt fiſtulas: quibus clyſteres per anum in inteſtina induntur: eluunturque eadem inteſtina: alvusque exoneratur & purgatur. *Cicutae* enim nomine etiam *internodium* ſignificari in omnibus geniculatis ſtirpibus, quae concavae ſunt & vacuae, cujusmodi eſt Cicuta ipſa, frumenti calamus, arundines, & alia ſimilia, ſatis nos docet Virgilius, cum inquit [*Ecl.* II. *vſ.* 36.]

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta Cicutis
Fiſtula. —— —— ——

Gloſſarium quoque ſic exponit: Αὐλὸς ἀπὸ καλάμου. *Cicuta.* ut apud Virgilium verius ſit intelligere de omni calamo potius, quam de Cicutae calamo tantum: quod voluit vir doctus [*Jul. Caeſ. Scaliger.*] Initio autem hae Clyſterum fiſtulae & ſiphones, (quos Feſtus in voce *Eudiaeon*, *Clyſterion*

videtur adpellare) ex internodiis arundinum confectas esse credibile est. Immo hodie quoque tenuis plebecula utitur his ipsis arundinum internodiis pro aereis Siphonibus, superimposita cava perforata scutella, ad jus decoctum Clysteris capiendum, inserto in ima arundine calamo pennae anserinae aut olorinae, similitudine inversi colli & rostri Gruis. Atque de *Cicuta* hactenus. Admonet me diphthongus illa in vocibus *Sicyia* & *Harpyia*, ut de ratione scribendi & pronunciandi eas Latine hic aliquid dicam. Scribendam atque enunciandam utramque vocalem in diphthongis Latinis esse, res est satis jam constituta & nota: etsi plerique omnes contenti scientia rationis, vulgus proferendo sequimur. Diximus Lambinum non debuisse *sicuam* scribere, si σικυῖαν voluit exprimere. Hoc jam dubitationem non habet. Quomodo autem subjunctivas vocales diphthongi oporteat disponi in scribendo & pronunciando, fortasse inter omnes non convenit. Sunt nonnulli ex antiquis Grammaticis, qui τὸ ἰώτα diphthongi in *Harpyia* & similibus censuerunt a praecedente vocali distrahi, & cum sequente vocali conjungi debere hoc modo: *Harpy, ia*. Mihi aliter videtur. Caussae, quae ad id censendum movent, hae sunt. Ut in reliquis diphthongis Graecis, cum Latine scribuntur, subjunctiva vocalis subjunctiva manet, sic etiam in hac diphthongo τὸ ἰώτα adhaerebit praepositivae suae: ut pari jure sit cum reliquis: scribeturque *Sicyi, a*, & *Harpyi, a*. Praeterea αι diphthongus Graeca, Latine scripta, semper perseverat esse τὸ *ae*: siquidem a jure non receditur: quod clare patet in Αἰνείας, *Aeneas*, *Aeneades*, *Aeneius*. Si id non sit, pessime consuleretur ceteris. Quid quaeso est eventurum vocali ε praepositivae in ευ diphthongo, nisi υ vocalem subjuncti-

juncti-

junctivam diphthongo conservemus & adplicemus suam? Namque si in Ἐυαγόρας & Ἐυάνδρος nos τὸ υ a diphthongo detrahentes, ac facientes consonantem, adplicando sequenti vocali, É, *vagoras*, & *E*, *vander* dicamus, necesse est *E* remanere brevem. Demonstrationes hae lineales sunt: nec quidquam vere dici contra potest. Ipsi Graeci, si quando diphthongum hanc dissolvunt, voluntque priorem vocalem esse longam, vertunt ἔψιλον in η: si vero brevem, nulla est mutatio necessaria. Pro testimonio, duae sufficiant ex Hesiodi Theogonia voces ἔυκομος & ἐυςέφανος. [*vs.* 267.]

Ἠϋκόμους θ' Ἁρπυίας, Ἀελλώ τ' Ὠκυπέθην τε.

Et [*vs.* 978.]

Γείνατο καὶ Πολύδωρον ἐϋςεφάνῳ ἐνὶ Θήβῃ.

Atque (quod ab hac disputatione non est admodum alienum) facimusne recte nos, qui in vocibus his *Maia*, *Aiax*, & quae sunt his similia, τὸ ἰῶτα, quae Graece loquentibus & scribentibus est subjunctiva diphthongi, cum sequente vocali conjungimus? Ausonius ausus est Latine scribere, cum dicit [*Epigr.* 325. *vs.* 12.]

—— —— —— *Salaminius Aeas.*

Longius abeamus aliquantisper. In dictionibus simplicibus duarum pluriumve syllabarum, in quibus insunt duae pluresve consonantes, quarum prima possit statim sequenti incumbere, ut in hoc nomine, *Castra*: in his, inquam, quid statuemus? adhaerebit τὸ s priori vocali, an cum sequente conjuncta consonante, vocali sequenti serviet? Probus Grammaticus dividendas consonantes censet: itaque in hac voce, *aestas*, τὸ s, praecedenti syllabae adjungit. Est Mediolanii in hortis urbanis I. V. C. Vidi Mazentae, Nobilissimi & Elegantissimi viri, insculpta in Lunensi candido mar-

more *πϱοτομὴ*, vel Cybeles turritae, vel Haſtae urbis; a cujus utroque latere vox haec *Haſta* ſic diviſa conſpicitur. *Has* TA. Univerſaene ſimiles voces ad hanc tamquam normam revocari debeant, doctorum judicium eſto. In duabus liquidis exſtat praejudicium Probi Grammatici [*lib.* 1. *p.* 1389. *Ed. Putſchii.*]: qui M, & N, conjungi numquam debere judicat, paucis nominibus exceptis: ut in *Mnaſylas* & *Mnemon*: ego adderem etiam *Polymneſtor* (primas enim duas ſyllabas in hac dictione alibi demonſtravimus eſſe breves) & ſic aliquot alia. Ergo auctore Probo pronunciabimus *om - nis*, non *o - mnis*. Fortaſſe quod ad nomen *Has* TA, & ad marmor Mazentae adtinet, dici poteſt, marmorariorum arbitrium fuiſſe, ut ex libidine ſua voces ſecarent: uniusque ſyllabae partem fini praecedentis verbi, partem initio ſequentis, adtribuerent. Quod proclive eſt judicare ex nonnullis antiquis marmoribus: in quibus ſyllabae diviſae prope prodigioſe ſunt nulla cogente neceſſitate, quippe vacante & ſuperante ſpacio intra eos cancellos & limites, quos ſibi in longitudinem rectis lineis praeſignarint. Cujusmodi adponimus inſcriptionum duarum partem eam (nam integras alibi retulimus) quae ad rem praeſentem facit.

Haſtae.	Dertonae.
DECVRIO. HAST EN	LEG. V. M. CONI VGI

Pro-

Pronunciabantne antiqui I, & V, consonantes separatim a sequente vocali? Id propono propter τὸ I. separatum a sequente vocali in hac inscriptione Dertonensi. Atque hanc postremam partem addidi in gratiam sodalis amabilissimi Fabii Bellonii: qui cum jure arctissimae necessitudinis posset imperare, rogavit, ut caput hoc longiusculum hac adpendice cumularem.

CAPUT XXVII.

Mediastinus. Ludere.

Mediastinus, quod verbum est in Epistula XIV. libri primi Horatii, non a *Medius* & ἄστυ: neque a *Medius* & *stando*, ut putant, compositum nomen est: sed vox est simplex a *Medius* derivata, ea terminatione, qua *Clandestinus* a *Clam*, & *Paupertinus* a *Pauper*. *Mediastini* autem in familia urbana servi condicione erant pessima: quippe quibus omnium prope imperio esset parendum. Villicus autem servus plerumque fuit, primas in familia rustica gerens, impositus a domino reliquis ad distribuendum suas cuique operas, & diaria: eratque tamquam domini vicarius. De quo, & de ejus officio, legatur octavum caput libri primi diligentissimi Columellae. Addidi autem *plerumque*, cum servum fuisse dixi: quoniam partes villici interdum etiam liberis mandatae sunt: quod cognosci potest ex oratione Ciceronis pro L. Flacco, non procul a fine: ubi datum esse judicium in villicum M. Lurconis libertum narrat. Nam nisi villicus ille liber fuisset, non esset in judicium vocatus. Atque sint haec dicta in epistulae, quam dixi, versus hos [14. *seq.*]

Tu mediastinus tacita prece rura petebas:
Nunc urbem & ludos & balnea villicus optas.

Sequitur ibidem hic versus [36.]

Non lusisse pudet, sed non incidere ludem.

Hic verbum *Lusisse* tectum illud quidem est, & honestum; quo tamen amantium atque conjugum etiam congressus significantur: quo in sensu fortasse hic accipiendum est. Sic Graeci παίζειν dicunt. In quam notionem protulit Moses Geneseos *cap.* xxv. [*vs.* 8.] Καὶ παρακύψας Ἀβιμέλεχ ὁ βασιλεὺς Γεράρων διὰ τῆς θυρίδος, εἶδε τὸν Ἰσαὰκ παίζοντα μετὰ Ῥαβέκκας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Nostrates quoque mulieres interdum inter se laetius fabulantes, tecto hoc verbo verecunde significant, quod pudor & modestia suo verbo prohibet proferre.

CAPUT XXVIII.

Levo. Grate. Declaratus Horatii versus.

Levare, prima syllaba producta, est *levigare*, & *polire* apud Horatium epist. ultima *lib.* II. [*vs.* 123.]

—— —— *Nimis aspera sano.*
Levabit cultu. —— ——

Quantitas syllabae primae si animadversa esset, Porphirionem in errorem non traxisset: quamquam fortasse alius a Porphirione id admisit.

Ibidem [*vs.* 128. *seq.*]

—— *Fuit haud ignobilis Argis:*
Qui se credebat miros audire tragoedos.

Legantur Petrus Victorius libro Variarum Lectionum III. *cap.* 9. & Robortellus Adnotationum *pag.* 27. & Aelianus Variae Historiae *lib.* IV. *ad finem.*

Ibi-

Ibidem [*vſ.* 210.]

Natales grate numeras? ——

Sententia haec eſt. De longa aetate gratularis? gratusque es erga Deos? diuturnioris vitae gratiam a Dis agnoſcis? refers acceptam Dis vitae longitudinem? Hic Lambinus craſſe alucinatur.

Ibidem [*vſ.* 183. *ſeqq.*]

Cur alter fratrum ceſſare, & ludere, & ungi,
Praeferat Herodis palmetis pinguibus: alter
Dives & importunus, ad umbram lucis ab ortu
Silveſtrem flammis & ferro mitiget agrum:
Scit Genius ---- ---- ----

Quorſum hic infarcit Lambinus Herodis fratrem? habuit quidem Herodes fratrem Pheroram, & fortaſſe alios quoque: ſed nec frater, nec Herodes ipſe in hac ſimilitudine locum ullum habet: niſi quatenus divitem ſignificat. Senſus eſt. Diverſa ſunt hominum ſtudia, adeo, ut ne duos quidem fratres reperias, qui eamdem vitae rationem ſequantur. Teſtes ſunt Terentiani fratres Demea & Mitio. Ita hic alter laetam, quietam, ocioſam, ſecuram, voluptariam, & delicioſam vitam vel opibus Croeſi anteponit. Alter noctem diei laborando continuat, fodit, arat, ſerit, duriter, parce vitam agit: per omne genus laborum ſe terit & excruciat, quaerendo & cumulando ſemper intentus.

CAPUT XXIX.

Aeliani locus demonstratus integer & declaratus.

Pindarus, ut est apud Aelianum *lib.* XIII. Variae Historiae [*cap.* 25.] quinquies cum Corinna, nobili poëtria, & apud cives gratiosa, stultos Thebis nactus auditores, caussa cecidit. Quorum arguens Pindarus inscitiam συνεκάλει τὴν Κορίνναν. sic enim legitur: nec ullo modo aut addi quidquam, aut mutari lectio debet: sententiaque est cum perspicua, tum elegans, & gravitate tanti viri digna. Συγκαλέω autem praeter alias notiones significat etiam *Adpello*, & *Provoco. Endo plorato* (inquit Glossarium vetus) συγκάλεσον. & alibi: *Provocat*, προκαλεῖται, ἐπικαλεῖται. Haec verbi vis non animadversa, nonnullis caussam praebuit conrumpendi locum: qui per vim furcillis ejecta voce naturali, & caussae locique propria, adulterinam, absurdamque substituentes pro Corinna Κορωνὴν, sensu ineleganti, rustico, & contumelioso legunt. Alii Κορίννην servantes anteponunt vocem ὗν, sic legentes, συνεκάλει ὗν Κορίνναν, *adpellabat suem Corinnam*. Sed non tam amens & praeceps fuit Pindarus: ut justam, *vincibilemque* (ut Terentiano verbo utar) *caussam*, ipse non modo suae facultatis conscius, sed etiam aequus aestimator virtutis aemulae adversariaeque suae, deteriorem faceret intemperantia impotentis iracundiae, & contumelioso convicio, nullum ullius festivi salsique leporis honestum, & ingenuo doctoque viro aculeum habente. Judicassent certe universi, Pindarum, ut claudi celeritatis

tatis viriumque ſubſidio deſtituti equos conſcendunt, ſic ipſum diffiſum cauſſae ad auxilium probrorum confugere. Non ſolum de adverſaria nihil humile ſenſit: ſed etiam, cum eamdem judicem ſumit, hac animi altitudine fiduciae plena quantam adſpergit mulieri judicii, juſtitiae, & fidei commendationem? Neque vero dubito, cum duo in hoc Aeliani loco acrius controverſentur & concertent, quin, ſi non ab utroque, certe ab altero, de cujus probitate & virtute ex ejusdem ſcriptis judico, noſtra haec animadverſio gratiam ineat, & benevolentiam conciliet. Non abſimile autem refertur Euripidis gravis & ſeveri viri dictum: qui ab imperitis aeſtimatoribus judicatus inferior, adverſarium urbane & graviter ſimul adpellans inquit; *Non te pudet Euripidem vincere?*

CAPUT XXX.

Neptunus unde dicatur. Locum Ciceronis non eſſe mutandum. Virgilii verſus emendatus.

Libro ſecundo de Divinatione [*lib.* III *de N. D. cap.* 24.] tradit Cicero: ut a *Portu Portunum*, ſic a *Nando Neptunum* deduci. Ibi nonnulli pro *Nando*, *a Nuptu*, vel, *a Nubendo*, cenſent legendum. Sed nihil mutandum eſt. Nam abiret a ſe ipſe Cicero: qui paullo ſupra dixit: *Quique aër per maria manat* (fortaſſe pro *manat* legendum eſt, *nat*: ſed ſignificatione utrumque idem eſt) *eum eſſe Neptunum.*

Libro III. Aenëidis Virgilii ſunt hi verſus [*vſ.* 659. *ſeqq.*]

Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.
Lanigerae comitantur oves: ea ſola voluptas,
Solamenque mali de collo fiſtula pendet.

ad quos versus Pierius admonet, in aliquot vetustis scriptis libris tertium versum esse hemistichium, hoc modo: *Solamenque mali.* Ego quoque sequentem partem versus spuriam esse judico: esseque supplementum imperiti alicujus non solum non necessarium, sed etiam contrarium superioris versus extremae parti. Nam si ovium comitatus fuit sola Polyphemo voluptas, non ergo addi debuit haec altera, fistula de collo pendens.

CAPUT XXXI.

Satura Lex. Satura Lanx.

Q*uaesumus*, dicimus pro, *Quaesimus*: contra *Portubus*, *Ficubus*, cum aliis similibus. Pari modo *Satura* & *Satira* poëma: & *Satira* & *Satura lex*: & *Satura* & *Satira Lanx*, aut *Farcimen.* Itaque apud Tibullum *lib.* II. *Eleg.* I. Vetustus codex Vaticanus *Satiri* pro *Saturi* habet in hoc versu [23.]

Turbaque vernarum satiri bona signa coloni.

Saturam autem *legem*, & *Saturam lancem* a *Satur*, ut est dictum, nomine, vel a verbo *Saturo* deduci, illa, quod una rogatione plura juberet: haec, quod pluribus, & variis cibis aut frugibus esset referta, omnibus est notum: & Glossarium vetus inquit: *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων.

C A-

CAPUT XXXII.

Mediolanium, non Mediolanum ſcribi. Iſtaec, & Iſthaec. Caelum, & Coelum. Deliciae, & Delitiae.

Levicula res, non contemnenda tamen. *Mediolanium* ſex ſyllabis, non *Mediolanum* ſcribi oportere, docent tres antiquae inſcriptiones: quas in marmoreis partim tabulis, partim Stylobatis admonitus a Nobiliſſimo, & honeſtiſſimarum artium ſcientia inſtructiſſimo, Vido Mazenta I. V. C. Mediolanii nuper legi: quarum exemplum infra ponam. Graeci etiam ſcriptores Ptolemaeus & Strabo eamdem Orthographiam ubique ſervant. Nam Auſonium, & culpa librariorum conruptos Taciti, Stephani, & Plinii libros nihil moror. Praeterea in his, quas ſtatim addo, Mediolanienſibus inſcriptionibus, eſt *coelum* cum *oe* diphthongo. *Iſthaec* cum adſpiratione in medio dictionis. *Delitiae*, cum *t*.

In latere angulari privatarum aedium e regione templi Divae Mariae Scalae.

VENERI. ET
CHARIT
COELVM TERRA MARE. ET
DEVM. REMOTA
MENS VOSTRO COLITVR
FAVENTE. DVCTV
NOSTRIS ERGO DEAE
FAVETE VOTIS
HIE. ARAB. ALVIS. F.
V D

Ibi-

Ibidem.

POMONAE
SAC
HARAB. POMARIA
ISTHAEC. AMOENA
HESPERIDVM.
DONA. BEATA. SIBI
HOSPITIBVS QVE
FORE. DELITIAS
NVMINI. PO
V. C.

Quae ſequuntur exempla pertinent ad id, quod diximus: *Mediolanium*, non *Mediolanum*, eſſe ſcribendum.

In

In hortis Galleatii Vicecomitis.

V. S. D. M
MAXIMVS. MAXIMINVS
PRIMITIVVS. VI. VIR
MEDIOLANIENS
SIBI ....
....
....
....
....

Ibidem.

....
.... SVB. VR
SVIS. MEDIOLANIENS
RVFINAE. LIBERT
VERA
IN. A....
SECVNDAE
T. L. PAL
VXORI

Medio-

Mediolanii.

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS. SVBLATIS
C. GALLIO
ATTICVS
MEDIOLANIENS



EJUS-

EJUSDEM
JOANNIS MARII MATTII,
Brixiani,

BREVIS DEFENSIO

Suae Secundae Adnotationis ad eorum

OPINIONEM,

QUI CONTENDUNT,

Ex aliquot locis Fabii Quinctiliani certo statui debere, libros Rhetoricorum ad Herennium a Cornificio fuisse conscriptos.

Cum Carmine in fine ad Divam

MARIAM VIRGINEM

matrem D. N.

AD PERINLUSTREM

OCTAVIANUM GILIJNUM,

Patricium Alexandrinum.

Et additis aliis doctis & Elegantibus Versibus.

G U-

GULIELMINI SCHIAVINAE,

SACERDOTIS CANONICI MAX. TEMPLI ALEXANDRIAE.

ORTA gravis lis est inter duo lumina linguae,
Antiquo nomen quae tulit a Latio.
Riccobonus stat pro una parte: sibique tuendam
Partem aliam Marius Mattius adripuit.
Disceptet caussam doctissimus: atque uter horum
Conlimans videat rectius hic, statuat.

JOAN-

JOANNES MARIUS MATTIUS,

PERINLUSTRI

I. V. C.

OCTAVIANO GILIINO,

Patricio Alexandrino,

S. P. D.



gitur circiter XIIX. *annus*, *perinlustris & excellens Gilijne*, *cum editus est Ticini liber Adnotationum mearum: in quarum secundo capite rationibus adlatis demonstrabamus*, *eos*, *qui ex Fabio Quinctiliano conarentur probare*, *auctorem Rhetoricorum ad Herennium Cornificium esse*, *ejusdem Fabii testimoniis ad mutandam sententiam jure compelli posse. Cumque*, *orta aliis de rebus controversia inter Carolum Sigonium*, *& Antonium Riccobonum*, *viderem*, *in suis scriptis probationes illas meas ab Riccobono homine docto tentari: non* (*ut mihi certo persuadeo*) *ullo laedendi mei studio: sed quod rationes caussae*, *cui inservit*, *sic postulare judicet: neminem putavi fore*, *qui factum meum sit damnaturus*, *si ego quoque caussam semel susceptam*, *& quam probem*, *atque opinionem pristinam defendam ea moderatione*, *quam a natura acceptam moribus alui studiose per totam aetatem semper*, *& colui. Et sane si alterum tueri gloriosum est*, *sibi adesse cuiquam vitio dabitur? Di mentem istam hostibus. Nec mea scripta de me ita male merita sunt*, *ut foetus meos habere caros non debeam. Mihi igitur hic adsui*, *negocium proprium*, *non*

alienum acturus. Quamquam si a Carolo Sigonio stem, agam caussam amicissimi hominis: quem & vivum meritissimo atque mutuo dilexi, & mortuum memoria colam sempiterna. Committere etiam negligendo non debui, ut haec inveterata de Cornificio opinio mihi noceat. Quod certe contingeret, si tacitus rem transirem: homines enim paullo remissiore cura Riccoboni scripta legentes, nullo contradicente, rationes ibi apud eum lectas probarent: silentiumque nostrum in conscientiam ducerent: & bona caussa deserta, existimaretur mala. Respondeo igitur: & ad ea, quae sunt in adnotatione mea pridem edita, quae hic quoque describitur, addo nonnullas alias rationes: in quibus si pro pristina opinione propugno, oppugnare quemquam videri non debeo: tametsi dum adjumenta mea confirmo, necessitas caussae coëgit infirmare aliena. Haec autem commentatio mea cum carmine ad Sanctissimam Mariam matrem D. N. haud ita pridem a me conscripto cupit in lucem prodire: sed id concedere illi non audeo prius quam gravissimum sapientis consilii tui testimonium, quod plurimi facio, ad desiderium illius intelligam adcedere. Gravioribus quidem cogitationibus distineri te, & sublimiora adspectantem, interpretatione juris & legum esse quam occupatissimum, plane video. Sed singularis & praecipuus in me amor tuus, te libente, subfurabitur, satis scio, magnitudini & multitudini negociorum tuorum ocii aliquid, quod subsecivis horis legendae ac perpendendae vigiliae huic meae libenter impendas. Habes quidem gentilium tuorum libros quos volvas, qui doceant: habes exempla, quae imiteris. attamen haec meae chartae non impedient, immo fortasse etiam addent currenti calcaria ad meditandos illorum honores, & sublimes gradus: ad quos sua eos virtus multarum celebrata monimentis historiarum feliciter extulit: in quorum exemplis sic jam pridem


impressa alte vestigia fixisti: ut, qui in rationem vitae & studiorum tuorum adtentius intueantur, egregiam aemulationem, & expressum moribus tuis testentur proavum tuum Christophorum Gilijnum Praesidem Magistratus Ordinarii Mediolanii. Qui tanta prudentia & adprobatione universae Provinciae Mediolaniensis eum magistratum gessit: ut, quos ad laudem cohortentur, illis hunc tamquam exemplum ad imitandum adhuc omnes hujus imperii civitates citent, & proponant. Simoninum Gilijnum avum tuum, excellens Octaviane, militiae scientissimum, & Ducum Consiliarium egregie commendant annalium ejus temporis testimonia. Ille honorifice functus ad Europae magnos Dominos legationibus multis; tam carus probatusque Ducibus fuit, ut eorum liberalitate honoris ergo oppidum Gamalerium ad v. ab Alexandria lapidem dono in clientelam, quod nunc feudum adpellant, acceperit. Et quoniam veram, solidam, propriamque eam esse cujusque laudem jure semper judicavisti, quam quisque audit sibi & virtuti suae tribui: nec satis existimasti ad gloriam, praeluxisse tibi claros Majores tuos, tu ipse a prima aetate omnem virtutem morum atque naturae sic coluisti; ut quocumque incubueris, mirifice excellueris. Ego magister olim tuus testis sum, cum tuae in me colendo, & amando (neque enim id reticere debui) benevolentiae, tum in discendo alacritatis & diligentiae: numquam eguisti admonitionum stimulis. Satis per te paratus, & adtentus eras. Itaque me in studio tuo plurimum amabam: & in te mihi suavissime blandiebar, qui talem alumnum haberem, tali adversus me benevolentia & reverentia, tali ingenio atque industria praeditum. Jam tum optimae frugis omnibus spem dabas: quorum exspectationem non fefellisti. Namque excellenti cum laude & existimatione emersus ex humaniorum literarum studio, sic in juris cognitionem te demersisti, ut inde brevi

non inrigatus & tinctus, sed totus largo flumine cognitionis humanarum & Divinarum legum perfusus & imbutus emerseris, nulla facta jactura politiorum literarum: quas, a multis cum legum libris cöire non posse existimatas, tu adeo lepide & feliciter simul consociasti, ut amabiles toto foro sint formulae, & actiones tuae. In magistratuum honoribus administrandis, quos hic & Mediolanii, & in tota Mediolaniensi ditione adeptus es, & in advocationibus clientium chorum pulcherrimum virtutum induxisti, fidem, facilitatem, comitatem, prudentiam, gravitatem lepore conditam, adfabilitatem. In statuendo vero, & in sententiis ferendis, aut compositione tollendis controversiis, acumen & dexteritatem adeo admirabilem ostendisti, ut hoc tam pulchro virtutum comitatu facile universis probaveris, te vere esse nepotem Jacobi avi tui, qui fuit a Secretis Francisci Sforziae II. Ducis Mediolanii: & fratris filium Camilli ejus filii patrui tui: cujus singularem doctrinam & sapientiam testatur doctus & elegans Latine conscriptus, qui circumfertur, liber. Neminem habuit Camillo Dux nec cariorem, nec instructiorem artibus iis, quae ad administrationem Rerumpublicarum pertinent, prudentia scilicet & fide. Itaque in foedere, quod Bononiae ictum est, constituta tandem inter Clementem Medicem Pont. Max. Karolum Austrium Imperatorem, & Venetos pace ann. cIↃ. IↃ. XXX. *cum, adnitentibus maxime, & id omnino contendentibus Venetis, Franciscus Sforzia in patrium regnum est restitutus, enituit virtus Camilli hujus: sine cujus consilio in omni administratione publica Dux numquam quidquam statuit. Idem postea missus ab eodem Sforzia in Hispaniam legatus ad Karolum jam dictum Imperatorem, munus obivit (ut nihil aliud addam) ex mittentis sententia. Demum a Clemente Pont. Max. in purpuratorum Cardinalium conlegium*

com-

commendatione meritorum, & nobilissimarum virtutum ultro coöptatus fuit: etsi laetitia haec per invidiam & scelus improborum quorumdam, alienam gloriam infamiam ignominiamque suam existimantium, diuturna illi esse non potuit. Nam dum ex Hispania, functus honorifice magnificeque legationis munere, Romam redit, in Sicilia veneno sublatus interiit vir plane singularis: qui iis etiam, qui ab eo erant propter aemulationem alieniore animo, post obitum sui desiderium reliquit. Nisi Paullus Jovius in libro de viris doctrina inlustribus honorificam de eo mentionem haberet, liberius hic mihi latus evagandi campus dabatur. Quamquam illius virtus aliorum quoque multorum testificatione satis est nota: teque meminisse ea confido, quae tibi olim adolescenti ego de tuis gentilibus, praetermissis illis, quos plurimos legebam artem militarem cum summa laude tractavisse (quorsum enim militarium virorum commemoratione auribus obstreperem hominis non Pallada, sed Minervam jam tum spectantis?) meminisse (inquam) te confido, me solitum esse tibi praedicare inter eos, quos supra dixi, atque alios etiam, de tribus Gilijnis, uno Archiepiscopo Genuensi Ottone: altero nomine & cognomine Gilijno Episcopo Comacensi: tertio Episcopo Bobiensi: ut sileam, mihi consilium non esse, stemmata Nobilissimae familiae tuae hic spectanda exponere: quae res propter gentilium numerosam prolem plenius volumen desideraret. Tantum in praesentia te hortor, ut parentis tui Thomae exemplum, & rationem, quam tota vita in administratione negociorum cum universorum, tum maxime publicorum admirabilem adhibuit, sequaris sedulo, quod facis, & imitatione exprimas & repraesentes. Ubi, si quis alius, ille cunctis civibus suum in Rempublicam studium, & pietatem luculenter probavit. Sed ut, quod superius dixi, iterum hic repetam, & epistulam verissima

praedicatione meae in te propensissimae voluntatis concludam, in magno numero eorum, qui ex gymnasio meo prodiere clari & eximiis artibus excellentes viri, tibi persuade, & pro certo habe, te praecipue esse, in quo, supra quam scribendo adsequi possim, mihi blandiar & placeam. Vale. & quam nactus es Spartam, eam ne desere: id est, me, quod facis, constanter, & mutuo ama. Dat. Alexandriae V. Idus April M. D. IIC.



EX

EX LIBRO

ADNOTATIONUM

JOANNIS MARII MATTII.

CAPUT II.

Libros Rhetoricorum ad Herennium non esse Cornificii.



Qui libros Rhetoricorum ad Herennium Cornificio adscribunt, quo in numero sunt magni hac tempestate nominis viri, ex aliquot locis Fabii Quinctiliani, quo auctore ipsi ad ita sentiendum moti sunt, facile convincuntur. Namque lib. v. cap. 10. in principio sic scribit: *Genus quoddam Enthymematis a Cornificio adpellari contrarium.* At ubi id apud auctorem horum Rhetoricorum legitur? Ejusdem Fabii *lib.* IX. *cap.* 3. haec verba sunt, ubi de figuris agit: *Haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt. Sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, aliique non pauci.* At auctor Rhetoricorum ad Herennium de tota arte Rhetorica, non de figuris tantum tractat: quod fecisse Cornificium scribit Fabius: quodque fecisse Rutilium omnes scimus. Idem ibidem paullo post: *Quaedam omnino non sunt figurae, sicut Ordo, Dinumeratio, Circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio: nam & haec Cornificius atque Rutilius schemata dictio-*

nis putant. Atqui in toto eo opere, quod Cornificio vindicant, de his figuris ne verbum quidem. Idem Fabius ibidem. *Adicit his Caecilius* περίφρασιν, *de qua dixi. Cornificius Interrogationem, Ratiocinationem, Subjectionem, Translationem, Obcultationem.* At ubi de Obcultatione in eo toto libro? Idem paullo supra: *Equidem tradi inter praecepta miror: eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Avium dulcedo ad avium ducit. & apud Ovidium ludentem. Cur ego non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc Traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.* In libro quidem quarto operis ad Herennium [*cap.* 14.] in Traductione exemplum illud legitur. *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* Cetera vero nequaquam. Immo in figura, quam Agnominationem ille auctor vocat, exemplum illud ponitur [*lib.* IV. *cap.* 25.]. *Avium dulcedo ducit ad avium.* Ut qui suspensas habent universas suas rationes ex hoc loco, probaturi ex eo, opus illud esse Cornificii, tenui admodum, atque adeo nullo filo pendeant, vel etiam suo ipsi gladio confodiantur. Qui vero eosdem libros Ciceroni adscribunt, imperitiam suam cum hebete judicio ostendunt: nec vident, quam male de Cicerone mereantur, opus illud, tanto viro indignissimum, illi adtribuentes.

JOAN-

JOANNIS MARII MATTII DEFENSIO ADNOTATIONIS SUAE *SECUNDAE*, CONTRA EORUM OPINIONEM,

Qui ex aliquot locis Quinctiliani contendunt Rhetorica ad Herennium ab Cornificio esse certo agnoscenda auctore.



agni in literis patrum aetate & nostra viri libros Rhetoricorum ad Herennium sine ulla dubitatione Cornificio adjudicant, adducti aliquot locis Fabii Quinctiliani. Pugnavit acerrime in hac parte nuper Antonius Riccobonus, homo egregie nobilibus artibus excultus. Ego pridem tradidi, infirma esse ad obtinendum, quod volunt, adjumenta ex Fabio petita: neque adhuc de sententia decedo: nixusque eodem Fabio auctore dico, certo, ut illi adfirmant, statui id non posse. Atque, ut tota caussa apertius cognoscatur, descripta prius hic vetere nostra adnotatione, conlatisque locis utriusque, Fabii & auctoris Rhetoricorum istorum, in quibus quasi firmissimis fundamentis Riccobonus omnem spem obtinendae caus-

 sae

sae inaedificat, etiam Riccoboni verba adponimus: statimque subjungimus ad singulas ejus rationes nostras, quibus pristinam nostram confirmari opinionem existimamus. Utri rectius senserint, judicabunt docti. Ex quindecim rebus, quibus Riccobonus in libro, quem *Judicium secundum*, & in eo, quem *Defensorem* inscribit, nititur probare, librum Rhetoricorum ad Herennium esse Cornificii: una est figura Traductio; de qua ipsum audiamus.

Ex Riccoboni Defensore. *p.* 139. *& inde.*

1. *Non una figura Traductio, sed res quindecim a me collectae hoc effecerunt. &c. Me vero, ut ita scriberem, impulit, quod scriptum in Rhetoricis ita videbam. Traductio est, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re; hoc modo. Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Apud Quinctilianum vero hoc pacto. Aliter quoque voces, aut in eadem, aut in diversa significatione ponuntur: ut, Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Cornificius hanc Traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.* & paullo post: *In eo libro scripsi Quinctilianum res quindecim de Cornificio attulisse, quae omnes de auctore ad Herennium verae essent: nihilque tribuisse Cornificio, quod in Rhetoricis non Herennii, ut tu loqueris, sed ad Herennium non inveniretur. &c. Audi: postquam vis, & cognosce, vel potius, quod cognoscis, confitere, non minus ex aliis, quam ex tua figura Traductione colligi, ea Rhetorica certo esse Cornificii. Age enim. Declaravit auctor ad Herennium Traductionem, Quinctilianus eam declarationem tribuit Cornificio, unde colligis, scriptorem ad Herennium esse Cornificium.* In his verbis pluscula sunt Sigonii, quae tamen Riccoboni sunt censenda: quoniam si a Sigonio essent praetermissa, Riccobonus eadem fuerat adlaturus, si quidem

caus-

caussam suam voluisset firmare. Nos ad universa sic respondemus. Si sola legantur & pendantur, quae ab Sigonio & Riccobono ex Fabio, atque ex incerto auctore prolata sunt, verba, cadam ego statim caussa non solum non perorata, sed ne inchoata quidem: quod ne adcidat, fideliter loca utriusque Fabii & hujus incerti auctoris huc transferam. Fabius igitur *lib.* IX. *cap.* 3. in figura Ἀνταναχλάσει. (quam tamen P. Rutilius, unde Quinctilianus eam accepit, Ἀνάκλασιν, vocat) sic scribit: *Cui confinis est Ἀντανάκλασις, ejusdem verbi contraria significatio. Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, & ille dixisset, se vero non exspectare, Immo, inquit, rogo exspectes. Non ex eodem, sed diverso vicinum accipitur, cum supplicio adficiendum dicas, quem supplicatione dignum judicaveris. Aliter quoque voces aut eaedem in diversa significatione ponuntur, aut productione tantum, vel correptione mutatae, quod etiam in jocis frigidum. Equidem tradi inter praecepta miror: eorumque exempla vitandi potius, quam imitandi gratia pono. Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Avium dulcedo ad avium ducit. & apud Ovidium ludentem. Cur ego non dicam Furia te furiam? Cornificius hanc Traductionem vocat, videlicet alterius intellectus ad alterum.* Hactenus Fabius. verba vero auctoris ad Herennium haec sunt [*lib.* IV. *cap.* 14.]: *Traductio est, quae facit, ut, cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat: hoc pacto. Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Item. Eum tu hominem adpellas, qui si fuisset homo, numquam tam crudeliter vitam hominis petiisset. At erat inimicus. Ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus? Item. Divitias sine divitum esse: tu vero*

vir-

virtutem praefer divitiis. Nam si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneae tibi videbuntur divitiae, quae virtutis pedisequae sint. Ex eodem genere exornationis est, cum idem verbum modo ponitur in hac, modo in altera re, hoc modo. Cur eam rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? Item. Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari. Item. Veniam ad vos, si mihi Senatus det veniam. In his quattuor generibus exornat. &c. Riccobonus & ceteri, qui ab hac parte stant (neque enim hodie aut heri, ut diximus, haec mota est controversia) sic conligunt. Quinctilianus figuram hanc, *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari*, a Cornificio traductionem adpellari tradit. Est autem sic apud hunc auctorem librorum ad Herennium. Ergo Cornificius est horum librorum auctor. Duobus modis hic respondeo. Primo concedere me, Cornificium confecisse Rhetorica, in quibus sic scripserit, ut Fabius tradit: negare tamen, haec Rhetorica esse ea: quippe multa Fabius scribit a Cornificio tradita, quae tamen in his libris non leguntur: ergo haec Rhetorica Cornificii non sunt. Quae autem sint ea, quae in his libris incerti auctoris non legantur, quae Cornificio Fabius tribuit, suo quaeque loco in his, quae deinceps dicentur, demonstrabimus. Altero modo eludi, atque adeo reprimi posse adversariorum argumentum arbitror sic. Fabius eodem loco dicit, hanc figuram, *Avium dulcedo ad avium ducit*, a Cornificio Traductionem adpellari. Hoc autem in hoc libro non fit, neque enim in Traductione hic incertus auctor meminit hujus exempli, *Avium dulcedo ad avium ducit*. Ergo horum auctor Rhetoricorum ad Herennium non est Cornificius. Immo auctor hic incertus hanc figuram, *Avium dulcedo ad avium ducit*, Agnomina-

minationem, non Traductionem facit. Quid hic dicent Cornificiani? Certe non aequi tantum judices, quos ſemper adpello, ſed paullo etiam in cauſſam Cornificianorum propenſiores, quique eosdem ſartos & tectos velint, aut amplius pronunciabunt, aut juris idem Attii quod Titii ſtatuent. Quid? quod Fabius, cum dicit, Cornificium adpellare hanc figuram Traductionem, ſic exponit: *videlicet alterius intellectus ad alterum*, id eſt, (ut ego verbis ejusdem Fabii interpretor) *ejusdem verbi contraria ſignificatio*, & eaedem voces in diverſa ſignificatione poſitae, aut productione tantum, vel conreptione mutatae. At hic auctor multo magis Traductionem facit, cum eaedem voces crebrius repetitae idem ſignificant, non autem contrarium. Quod adparet illis exemplis, quae ſubjungit. *Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non poteſt colere. Item. Eum tu hominem adpellas, qui ſi fuiſſet homo, numquam tam crudeliter vitam hominis petiiſſet. At erat inimicus. Ergo inimicum ſic ulciſci voluit, ut ipſe ſibi reperiretur inimicus? Item. Divitias ſine divitum eſſe: tu vero virtutem praefer divitiis. Nam ſi voles divitias cum virtute comparare, vix ſatis idoneae tibi videbuntur divitiae, quae virtutis pediſequae ſint.* Cum igitur longe alia ſit Traductio haec incerti auctoris ab illa, quam Fabius Cornificio adtribuit, non auſim ego certe, puto, nec quemquam alium auſurum adfirmare, conligi ex hac Figura Traductione, ea Rhetorica certo eſſe Cornificii: immo in multo diverſiſſimam ſententiam ab hac Traductione traducor. Sed quoniam dictum eſt, quae exempla, & quas rationes tribuat Fabius Traductioni Cornificianae, ea eſſe Agnominationis apud auctorem Rhetoricorum ad Herennium, ne forte quis me haec putet

ſo-

ſomniaſſe, verba illius audiantur. [*lib.* IV. *cap.* 21.] *Agnominatio eſt, cum ad idem verbum, & idem nomen adceditur commutatione unius literae, aut literarum, ſyllabae aut ſyllabarum: aut ad res diſſimiles ſimilia verba adcommodantur. Ea multis & variis rationibus conficitur. Adtenuatione, aut complexione ejusdem literae, ſic. Hic, qui ſe magnifice jactat, atque oſtentat, veniit a te, antequam Romam venit. Ex contrario. Hic quos homines alea vincit, eos ferro ſtatim vincit. Productione ejusdem literae hoc modo. Hunc avium dulcedo ducit ad avium. Brevitate ejusdem literae, hoc modo. Hic tametſi videtur honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quam Curiam. Addendis literis hoc pacto. Hic ſibi poſſet temperare., niſi amori mallet obtemperare. Demendis literis ſic. Si lenones tamquam leones vitaſſet, vitae ſe tradidiſſet. Transferendis literis, ſic. Videte judices, utrum homini navo, an vano credere malitis. Item. Nolo eſſe laudator, ne videar adulator.* Addam etiam hoc, deinde finem huic parti imponam. Auctor ad Herennium fingit ex ſe ipſe omnia figurarum omnium exempla. At Fabius teſtatur verſum illum Ovidii,

Cur ego non dicam Furia te furiam?

apud Cornificium eſſe: quod haud ſcio an ſit ad infringendam adverſariorum cauſſam firmiſſimum argumentum.

2. *Auctor* (inquit Riccobonus) *ad Herennium ſcripſit integrum librum de Elocutione, qui eſt quartus Rhetoricorum. Quinctilianus lib.* IX. *ait. Haec omnia de Elocutione, copioſius eſt exſecutus Cornificius: qui proprie librum huic operi dedicavit.* Eſt vero ſic apud Fabium? immo ſic, ut ego diſerte deſcribam. *Haec omnia copioſius ſunt exſecuti, qui non ut partem operis tranſcurrerunt, ſed proprie libros huic operi dedica-*

dicaverunt, *ficut Caecilius*, *Dionyſius*, *Rutilius*, *Cornificius*, *Viſellius*, *aliique non pauci.* Quorum verborum ſenſus hic eſt. Copioſius hi de figuris tractaverunt, quoniam in hac parte Rhetorices tantum occupati fuerunt: ſolum in figuris tradendis operam ſuam conlocaverunt: reliquas Rhetoricae partes non adtigerunt. Id autem ita eſſe probat liber P. Rutilii: ubi tantum de figuris agitur. Idem feciſſe Cornificium ſignificat Fabius. At hic incertus auctor de tota arte Rhetorica, non de figuris ſolis tractat. Quod ſi intelligamus, Fabium hoc ſentire, Cornificium ex quattuor libris quartum integrum Elocutioni dedicaſſe, aliis tribus libris in reliquis Rhetoricae partibus conſumptis, non ridiculus ſit Fabius? quaſi non & ipſe idem fecerit: qui librum integrum, immo libros integros 8. & 9. Elocutioni dedicavit?

3. *Ille* (pergit Riccobonus) *inter figuras verborum numerat Interrogationem. Hic eodem libro teſtatur Cornificium numeraſſe.*

4. *Ille nominat inter eaſdem figuras Ratiocinationem. Hic dicit etiam Cornificium nominaſſe.*

5. *Ille Membrum figuris verborum aggregat. Hic quoque lib.* IX. *tradit Cornificium aggregaſſe.*

6. *Ille Articulum figuram verborum facit. Hic affirmat Cornificium feciſſe.*

7. *Ille inter eaſdem figuras vult eſſe Subjectionem. Hic aperit Cornificium voluiſſe.*

8. *Ille ſimul Occupationem collocat. Hic declarat Cornificium collocaſſe.*

9. *Ille inter eas recipit Interpretationem. Hic exponit Cornificium collocaſſe.*

10. *Ille in ipſis commemorat Concluſionem. Hic oſtendit Cornificium commemoraſſe.*

11. *Ille in iiſdem collocavit Tranſlationem. Hic meminit Cornificium collocaſſe.* Ego

Ego ad novem has res, Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subjectionem, Occupationem, Interpretationem, Conclusionem, & Translationem in universum sic respondeo: σῦκα μερίζειν id esse, tantulam, id est unam, rem in tot partes, id est in 9. res, secare: quod faciunt parci, ne dicam, an sordidi? Atque etsi de consilio cujusquam judicare non debeo, tamen existimo Riccobonum conantem probare, Cornificium fuisse auctorem horum Rhetoricorum, maluisse dicere, se ex quindecim rebus, quam locis id facere, quo, Fabii loco uno in res novem dissecto, caussam faceret, ostentatis adjumentis tot probationum, speciosiorem & plausibiliorem: & numeris addendis Soriten Chrysippi tumidiorem, non tamen pleniorem aut ampliorem redderet: alioqui minore opera, minore impendio chartae atque Chalcanthi universa haec absolvi poterant. Sed recitemus nos verba Fabii ex *cap.* 3. *lib.* IX. *Adicit his Cecilius* περίφρασιν, *de qua dixi: Cornificius Interrogationem, Ratiocinationem, Subjectionem, Translationem, Occultationem, praeterea Sententiam, Membrum, Articulum, Interpretationem, Conclusionem.* Verba haec Fabii aperte ostendunt, locum unum esse. Sed sint res novem. Etiamne, ut caussae serviamus, studio vincendi fucum faciemus? &, aequitatem susque deque habentes, scripta antiquorum ex libidine pervertemus? Cur, ubi est Occultatio, fit Occupatio? expunctaque vera & justa scriptura inducitur falsa & adulterina? Inter bonos bene agier, admonemur vetere juris formula. Vincamus virtute, non artibus, in certamine praesertim nobili & generoso: ubi etiam vinci lucro est. Ac fortasse velocitas percurrendi oculos raptim legentis fefellit: & occupata pluribus cogitationibus

bus mens pro *Occultationem*, *Occupationem* accepit: malo enim de tali viro haec suspicari: attamen quos ego legi libros, universi *Occultationem* habent: de qua *Occultatione* quando hic auctor nusquam egit (egit autem Cornificius, id testante Fabio) convincitur, haec Rhetorica a Cornificio non fuisse conscripta. Quod ad reliquas octo pertinet Interrogationem, Ratiocinationem, Membrum, Articulum, Subjectionem, Interpretationem, Conclusionem, & Translationem, adversarii sic pugnant. Scribit Fabius, has omnes figuras tractatas esse a Cornificio. Reperiuntur autem universae apud hunc auctorem. Ergo is auctor est Cornificius. Respondetur. Si hic auctor de his figuris tradidit, fecit, quod omittere omnino non potuit sine nota insignis imperitiae: pleraeque enim eae figurae in ornatu orationis principem locum tenent. Itaque Cicero (neque enim Graecos nominare est necesse, quando de verbis, quibus a nostris adpellatae sint eae figurae, sermo est) cum alibi, tum in Oratore, quoties de Articulo, Membro, & Translatione agit? Itaque si adfirmemus, hunc librum esse Cornificii, quod ibi tractatas esse eas figuras legimus, quas a Cornificio traditas scribit Fabius, eodem argumento, Orator Ciceronis erit Cornificii, quoniam ibi has figuras tractatas & quidem saepius videmus. Juvant igitur & hae octo res Cornificianos ne hilum quidem. At Fabius sic scripsit. At ego hic adjutor defensorque sum caussae meae, non Fabii patronus, aut etiam interpres.

12. *Ille* (inquit Riccobonus) *Sententiam &*

13. *Definitionem ponit inter Schemata λέξεως. Hujus verba haec sunt. Cornificius atque Rutilius Sententiam & Definitionem schemata λέξεως putant.*

 Respon-

Respondeo, ductum esse in fraudem Riccobonum a memoria, non sic scripturum profecto, si Fabii locum, cum haec commentaretur, consuluisset: qui locus sic habet *lib.* IX. *cap.* 3. *Quaedam omnino non sunt figurae, sicut Ordo, Dinumeratio, Circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprehensa breviter sententia, sive finitio. Nam & haec Cornificius atque Rutilius Schemata λέξεως putant.* In quibus Fabii verbis duae illae voces *sententia* & *finitio* (*finitio* inquam, non *Definitio*, ut deceptus a memoria Riccobonus perperam legit) non sunt figurarum nomina: sed exponunt, & quasi definiunt, quid sit Circumscriptio: quod licet ex ipsis Fabii verbis adparet satis, tamen elucet etiam melius ex Cicerone pluribus locis; sed maxime in Oratore, quando de Circumscriptione loquitur [*cap.* 58.] *Sed* (inquit) *universa comprehensio, & species orationis clausa, & terminata est.* & paullo post [*cap.* 59.] *Cadere tantum numerose oportere, terminarique sententiam.* Ibidem [*cap.* 61.] *Illa circumscriptione ambituque, ut tamquam in orbe conclusa currat oratio, quod insistat in singulis perfectis, absolutisque sententiis.* Atque (quod rem juvat) ut sileam, paullo post Fabium Sententiam soli Cornificio vindicare, illis verbis supra citatis: *Cornificius Interrogationem &c. praeterea Sententiam, Membrum &c.* non facturum, si prius eamdem utrique Rutilio & Cornificio tribuisset, ut (inquam) illud sileam, quo pacto hoc quamvis in adnotatione nostra etiam dictum, silere & praeterire possim sine certo praevaricationis crimine? Fabius, ut ex ejus verbis prius adlatis vidimus, aperte testatur, Cornificium inter figuras ponere Ordinem, Dinumerationem, & Circumscriptionem. At apud hunc incertum auctorem ubi haec leguntur? Ut solo hoc testimo-

nio

nio cogantur velint nolint Cornificiani fateri, nequaquam hos libros a Cornificio conscriptos fuisse: neque omnino verum esse, quod scribunt, *nihil tribuisse Fabium Cornificio, quod in Rhetoricis ad Herennium non inveniretur.*

14. *Ille* (scribit Riccobonus) *tradit contrarium idem fere esse, quod Contentio est, & contrarium esse, quod ex rebus diversis duabus alteram breviter & facile confirmat. Hic scribit lib. 5. Enthimema, quo pugna constat, contrarium a Cornificio appellari.* Ego vero ex hoc Fabii loco, qui integer a me ponetur, dico & praedico, quaerendum esse alium Cornificium, cui vindicetur incerti auctoris liber: quando nullae vindictae isti possunt adserere. Verba Fabii *lib.* v. *cap.* 10. ubi agit de argumentis, sunt haec: *Nam Enthymema &c. Unum intellectum habet, quo omnia mente concepta significat, sed nunc de eo non loquimur: Alterum, quo sententiam cum ratione: Tertium, quo certam quamdam argumenti conclusionem vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus (significat) quamquam de hoc parum convenit. Sunt enim, qui illud prius Epichirema dicant: pluresque invenias in ea opinione, ut id demum quo pugna constat, Enthymema accipi velint: & ideo illud Cornificius Contrarium adpellat.* In verba Quinctiliani nunc nihil inquiro: nec interpretem ago. Sed proferatur mihi locus ex his libris, quos Dis atque hominibus invitis Cornificio adscribunt, ubi legatur *Enthymema, quo pugna constat, Contrarium adpellari:* tunc stet, qui proferat, coronatus Olympia: tunc manum tollo. Nam quae de Contrario semel, & de Contentione bis agit hic auctor *lib.* 4., pertinent ea ad figuras verborum & sententiarum, non ad argumenta. Describere libet, quoniam mirifice ad rem faciunt, verba Ciceronis ex Topicis [*cap.* 13. *seq.*]

quibus lectis Cornificiani etiam atque etiam videant, quisnam primus Enthymematis quoddam genus Contrarium dixerit: *Ex hoc illa Rhetorum sunt ex Contrariis conclusa, quae ipsi Enthymemata adpellant: non quod non omnis sententia proprio nomine Enthymema dicitur: sed ut Homerus propter excellentiam commune poëtarum nomen ecfecit apud Graecos suum. sic cum omnis sententia Enthymema dicatur, quia videtur ea, quae ex Contrariis conficitur, acutissima, sola proprie commune nomen possidet. ejus generis haec sunt. Hunc metuere: alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil adcusas, damnas: bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri. Id quod scis, prodest nihil: id quod nescis, obest. Hoc differendi genus adtingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes, sed Philosophorum magis, quibus est cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio: quae a Dialecticis, tertius modus, a Rhetoribus Enthymema nuncupatur.*

15. *Auctor denique* (haec est ultima res Riccoboni) *ad Herennium, praecipit Licentiam esse, cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure nostro dicimus. Quinctiliani verba sunt. Idem dictum sit de de Oratione libera, quam Cornificius Licentiam vocat. Graeci παῤῥησίαν. Nonne certo certius apparet (si Quinctiliano fides habenda est, ut certe est) Rhetorica ad Herennium esse Cornificii?* Respondeo ego. Quod ad Fabium pertinet, telum adripio & retorqueo, sic. Fabius scribit Enthymema, quo pugna constat, adpellari a Cornificio Contrarium. Id ab hoc auctore Rhetoricorum ad Herennium non fit. Item. Fabius scribit Ordinem, Dinumerationem, Circumscriptionem, Occultationem, inter figuras adnumerari a Cornificio. Id ab hoc Auctore Rhetoricorum ad He-

Herennium non fit. Ergo certo certius adparet, si Quinctiliano fides habenda est, ut certe est, (sic enim loquitur Riccobonus) Rhetorica ad Herennium non esse Cornificii. Hoc, quod sequitur, non dico ego (tueri enim & laudare scriptorem optime meritum, non criminari debeo) sed tamen fingamus aliquem sic dicere. Fabius scribit, tractatas esse a P. Rutilio figuras ἠθοποιΐαν, χαρακτηρισμὸν, Dinumerationem, Circumscriptionem: quae tamen apud P. Rutilium non reperiuntur: apud quem si ceterae, quas Fabius Rutilio tribuit, leguntur, cur non & hae? Complexionem argumenti, quae fortasse duplex esse potest, ego non infero. Concludat, cui libeat. At fortasse Fabius alium Rutilium citat. At, respondeo ego, fortasse, ac ne fortasse quidem Fabius alium ab hoc incerto auctore Cornificium citat: a quo postea hic incertus didicerit, huic figurae Licentiae nomen dare. Certe agens de hac figura nullis indiciis significat, a se primo Licentiam adpellatam: immo jam illi tale nomen fuisse aperte esse ostendit, sic scribens: *Ergo haec exornatio, cui nomen Licentiae est.* Dicturus profecto, cui nos Licentiae nomen dedimus: si hujus ipse verbi auctor fuisset: quod quidem alibi fecit: nimirum libro primo his verbis: *Nisi quia de Insinuatione nova excogitavimus: quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus.* Atque nemo est in scriptis Rhetoricis Ciceronis vel mediocriter versatus, quin sciat, multo maximam partem illarum figurarum, quae apud hunc incertum auctorem sunt, iisdem nominibus a Cicerone prius esse insignitas: quas persequi nunc occupato homini non est ocium nec consilium. Ut necesse sit fateri, ea nomina non ab Cornificio, sed multo ante eum natum, facta fuisse. Atque ut alia

quoque adjumenta addamus, cum Fabius ſcribat ſic: *Quod idem dictum ſit de Oratione libera, quam Cornificius Licentiam vocat, Graeci παῤῥησίαν.* Cumque apud Julium Rufinianum legam [*De Fig. Sent. p.* 24. *Ed. Pithoei.*], *Parrheſia oratio libera, quam Cornificius Licentiam vocat.* Veniin mentem ſuſpicari, magnam partem horum verborum ab libro Rufiniani eſſe in librum Fabii translatam. Scilicet, quod fortaſſe aliquis (quod fit frequenter ab iis, qui loca auctorum ex aliis ſcriptoribus vel exponunt, vel aliquo modo juvant) in orae area libri Fabii verba Rufiniani, quae ibi quadrarent, adſcripſerit, quae poſtea imperitus librarius de margine in ordinem verborum Fabii transtulerit. Quod quidem animadverſum eſt a doctis noſtra aetate hominibus, libris Ciceronis contigiſſe pluribus in locis. Ad quam cenſuram fortaſſe vocari poſſunt etiam verba haec in figura Contrarium. *Contrarium idem fere eſt, quod contentio.* Certe cum bis agat idem auctor de Figura Contentione, neque tamen faciat mentionem adfinitatis, quae ſit illi cum Contrario, cumque nullam adferat rationem, quare Contrarium idem fere ſit, quod Contentio, ſi etiam ordinem, quem in reliquis omnibus figuris exponendis ſervat hic auctor, acres judices animadvertant, periculum eſt, ne cenſeant, ea omnia expungenda, ut de margine in librum tranſcripta. Ego autem interim ne cenſeo quidem: tantum abeſt, ut judicem: doctiorum ſententiam audiam, & ſequar.

Ergo cum ſuſpectus ſit locus Fabii: cum non conſtet hunc auctorem ipſum huic figurae nomen dediſſe Licentiae: cum declaratum ſit, alium ab hoc auctore horum Rhetoricorum a Fabio Cornificium ſignificari, a quo hic incertus auctor nomen figu-

figurae Licentiae acceperit, cum Fabius tribuat multa Cornificio, quae in hoc auctore non leguntur: dicimus, neque hanc quinctam decimam Riccoboni rem quidquam ecficere, propter quod de opinione pristina discedere nos debeamus. Et quamquam tot tantisque rationibus, quae firmissimae sunt, fulcitur caussa adnotationis nostrae, tamen, quoniam sua sponso sponsa pulchra est, suumque corvo ovum placet, cum mihi sensum retineo meum, cuique relinquo suum: qui si dijudicari controversiam velint, ego vero vel ipsos adversarios judices sumo: illis ipsis disceptatoribus utar: sin ab sua ipsi liberali verecundia non impetrant, ut judicandi de se partes suscipiant, ego nihil aliud contendo, nisi ut judicent docti: quibus spero si nihil aliud, certe modestiam nostrae adnotationis, & totius hujus disputationis commendatam, & probatam fore.

Alius est Fabii locus adprime a nobis faciens: sed ille in praesentia non succurrit.



D. O. M.

DIVAE VIRGINI MARIAE

AD OPPIDUM VICUM

in Liguribus Epanteriis inaudita miracula edenti supplex carmen

JOANNIS MARII MATTII

Brixiani,

AD NOBILISSIMUM

JOANNEM BAPTISTAM SCARAMPUM.

VIRGO decus caeli, praesens tutela piorum,
Ecquid de superis oculo nos adspicis aequo
Sedibus? & nostrae tangit te cura salutis?
Sed quid ego haec posco, quasi nescius, aut dubius sim?
Quin potius meditor, tibi quo modulamine laudes
Diva canam, referens magno pro munere grates?
Cujus ope, & patrocinio Rex magnus Olympi
Serae plura meae largitur lustra senectae
Munificus? quo tanta, & tot miracula rerum
Possim animo, manibusque, oculisque fidelibus ipse
Contractare meis? Quantis, Deus optime, donis
Millia multa hominum cumulantur? ab usque supremis
Finibus Ausoniae? quam multae huc undique gentes,
Tacti animum adflatu Divini numinis, una
Certatim coëunt? haec ut surgentia caelo
Templa colant: numenque humiles reverenter adorent
Mirandum, Maria alma, tuum? gravibusque levati
Sub-

Subsidio praesente tuo, morbis, pia vota
Solvant: & cunctis meritum testentur honorem?
Ecce tua currunt ope claudi. Lumine cassis
Jampridem, abstersa nunc omnia nube patescunt.
Torrida contractis cui laeva aut dextera nervis
Obriguit, redeunt ad pristina munia vires.
Redditur auditus surdis: muta ora loquuntur.
Calculus in tenuem subito resolutus arenam
Eicitur: fracti solidescunt firmiter arctus.
Hydropi haud sitiuntur aquae: cui corpore toto
Nulla suum officium praestabant membra, repente
Virtus cognatos antiqua recurrit in artus.
Quin (numquam ante audita loquor) vix bina juventae
Lustra supergressi pueri, innuptaeque puellae
Millia multa inter matronarum, atque virorum,
Magna doctorum patrum admirante corona,
Grandia verba ferunt, suadentes corda salubri
Laetitia ad celsum mortalia tollere caelum,
Cum gravium rerum, & verborum pondere tanto,
Ut prisci invideant Gracchi, priscique Cethegi.
Vidi oculis, vidi ipse meis: his auribus hausi,
Contremuisse truces animos: odia aspera blando
Cessisse eloquio: domitisque ingentibus iris
Sinceram in pacem durissima corda repente
Sic coïisse, gravi, & dulci sermone refracta,
Ut damna obliti, & foedatam caede suorum
Plurima humum, lacrimis obplentes ora sinumque,
Carum in complexum populo plaudente venirent.
Quos furiae plures infestavere per annos:
Quosque intemperiae, dirae turpesque ministrae
Persephones gravibus divexavere malorum
Tormentis, sanam retulerunt ilico mentem:
Postquam sancti hujus tetigerunt limina templi.
Sed neque ego, indignus famulus servusque vocari,
Virgo, tuus, sum expers meritorum exsorsque tuorum.

Namque ubi certa meae sedit sententia menti,
Te duce, Joannes Baptista Scarampe, meique
Omnis consilii, atque viae rectore, superba
Linquentem Insubrum Dominae urbis moenia, miris
Prodigiis horrendam & relligione columnam hanc
Visere: teque in ea prostratum orare sedentem,
Ilico praesto ades: & curis annisque gravatum
Pluribus: & tarda titubantem crura senecta
Auxilio festina juvas: roburque juventae
Sufficis: atque viam facilem mollemque ministras
Per juga caligantia saxosi Apennini.
Salve diva potens terrae, caelique marisque.
Respice, quaeso, meos tenui cum prole penates,
Inspirans cunctis verae pietatis amorem.
Da totam sine labe ulla, sine crimine vitam
Degere: da sanam sano cum corpore mentem:
Ut tua toto animo purgati numina adorent:
Perpetuo & maneant veterum in pietate parentum.
De me (ha, ne grave sit) natum, qui nostra piavit
Crimina placato gratissima victima patri,
Posce, ora, exora: liceat traducere caste
Aetatem: inque via vestigia ponere recti.
Ne mea monstrato quidquam de tramite flectat
Vita, sed usuram reliqui aevi ponat, in isto
Dum currit stadio, totam ad moderamina legis
Sanctae. Tu praefer lumen: ne forte dolosis
Nescius offendam in tenebris: ne Acheruntius anguis,
Qui nimis, heu, nostram in cladem vigil excubat: & qui,
Pro lacrimae, prima nostros ab origine mundi
Circumscripsit avos, specie suadentis honesta
In fraudem ducat: Stygiisque malus male cautam
Fraudibus inlaqueet mentem. Dux, rector ibique
Summe Deus, nostrae clavum moderare carinae.
Cumque aderunt seri jam mitia tempora fati,
Spiritus optatum petat ut sublimis olympum,

O,

O, mihi de aligeris adsit legionibus unus:
Commendata animae cui sit custodia nostrae:
Qui faciat languenti animum: qui nocte suprema
Molli ope conpagem solvat clementius istam.
In primis turpes abigat, saevasque volucres
Damnatas Erebo Harpyias, Furiasque nocentes:
Quae diris terrent spectris mortalia semper
Corda, sed in primis extrema in morte frequentes.
Nos gratis meritum semper celebrabimus hymnis
Diva tuum memores: passisque ad sidera palmis
Tura salutiferis Panchaea adolebimus aris.

RELIGIONEM
CERTUM ESSE SALUTIS
ET SECURITATIS
PIGNUS.

Dives, inops venerare Deum: totamque tuarum
Spem rerum in sola relligione loca.
Illa comes medios veniet tibi fida per hostes.
Immo adeo vitae dux erit illa tuae.
Assyrii Isacidas (a) duce ea fovere camini:
Ut lambit catulos foeta catella suos.
Obstupuit tantis natura exterrita monstris.
Cantat in innocuo laeta juventa foco?
Crede mihi, tumidos sistent cita flumina cursus:
Et repetent fontes Mella, Padusque suos.
Aërii montes desident vallibus imis.
Turgescent valles in juga celsa cavae.

In

(a) *Isaach, Misach, Abdenago.*

In liquidum tellus modo dura, liquabitur aequor.
Vertet & in durum se liquida unda solum.
Curricula intendens rapido contraria mundo
Phoebus anhelantes retro agitabit equos.
Denique quidquid erit, quod mens optaverit aequa,
Quod pro te, atque tuis numina sancta petes,
Ilicet advenient conceptis omnia votis,
Rite Deum pura si pietate colas.

IN OBITUM

RODERICI TOLEDI

LEGATI, ET DUCIS CATHOLICI REGIS IN BELLO ALPINO ET GALLICO.

Dum cupit ardentem Rodericus stinguere flammam,
Impiaque Alpinis pellere signa jugis,
Pone sequens dubio dum tardat in agmine miles,
Crebraque in obstantem Gallica tela ruunt,
Acciderit tantum me vivo dedecus? inquit:
Ut semel obtento pellar ab hoste loco?
Videris, o Sol alme, hosti dare terga Toledum,
Oblitum laudis, degeneremque (a) sui?
Non ita Rhenanae me cognovere phalanges:
Versaque in inbellem Belgica castra fugam.
Cum ruerem densas dextra victrice catervas;
Mosaque sanguineis turbidus iret aquis.
Vincimur, at numero: tanto mihi gloria major:
Solum ausum tantam sustinuisse manum.

Quin,

(a) *al. suae.*

Quin, mihi ſint animae ſi mille: ego mille paciſci
Non animas dubitem pro pietate meas.
Si ſaltus nequeam captos virtute, tueri
Vivens; obcludam corpore ſtratus iter.
Si pereo, o me ter felicem, terque beatum.
Pugnantem ſacra pro pietate mori.
Ante tamen pro, Chriſte, tua quam concido cauſſa,
Haſce prius noſtras accipe quaeſo preces.
Me Duce victrices caeli Rex ſumme cohortes
Commendo fidei juſtitiaeque tuae.
Cauſſa tua eſt: cuncti everſas pugnamus ob aras
Chriſte tuas, & pro relligione tua.
Conſortem thalami ſuper omnia reſpice noſtri,
Heu, precor: a ſacro nomine nomen (a) habet.
Pro caro illa ſedet ſemper ſuſpenſa marito:
Atque implet votis omnia templa piis.
Ipſe ego deliqui ſi quid, tu parce benignus.
Sis clemens, animae propitiusque meae.
Sic rogat: & lato dextra laevaque coruſcans
Enſe, virum quanta caede cruentat humum?
Ira, dolor, rabies, animoſi audacia facti,
Et pudor opprobrii barbara corda ferit.
Undique propterea denſis coiëre maniplis,
Caede redempturi tot ſua damna, viri.
Obruitur telorum imbri Rodericus: & hoſti
Empta tamen multo palma cruore venit.
Felix tali obitu: heroum haud indignus avorum:
Sublimis meriti ſcandis ad aſtra poli.

(a) *Hieronyma.*

AD

AD ILLUSTRISSIMUM
JACOBUM RICARDUM,
REGIUM SENATUS MEDIOLANIENSIS PRAESIDEM.

IN OBITUM
HIERONYMI CASONIS OPITERGINI,
Philosophorum in gymnasio Ticinensi principis.

Ergone in aeternam clausit sua lumina noctem
Caso, pars animae magna, Ricarde, tuae?
Tu quantis oneras immitia fata querellis?
Sauciat & quantus pectora amica dolor?
Non vis ulla tamen, non ulla injuria fati,
Eripuit tanti pignora cara viri.
Sed decus, & totum virtus cantata per orbem
Extulit ad meriti templa beata poli.
Carus enim pariter vixit mortalibus: ipsi
Caelicolae arserunt hujus amore viri.
Dicat forte aliquis: si terris carus & astris,
Cur astra & terrae caussa fuere mali?
Sitne malum acceptam divis rescribere vitam,
Anne aliter, non est temporis hujus opus.
Tantum igitur leti caussas narrabimus: unde
Caso sit e terris raptus in astra tuus.

Con-

Concordes in amando animi diſcordia vota
Severe: hoc homines, hoc voluere Dei.
Optarunt placidae Caſoni ſaecula vitae
Multa boni, quotquot ſunt ubicumque viri.
Ut quanto cunctis iret praeſtantior ille
Virtutum numero, vel probitate viris,
Illi etiam diae tanto diuturnius aurae
Fata benigna darent munere poſſe frui.
Certabant contra ſtudiis concordibus omnes,
Qui caeli cives lucida regna colunt.
Anguſtas ſiquidem terras, nimiumque puſillas:
Mentis ubi tantae non capiantur opes.
Ampla autem capiet diffuſi regia caeli:
Quo probitas illi jam patefecit iter.
Hic, ubi in aeternum juveneſcet candidus aevum,
Inter & heroes, aetheriosque choros.
Hic noctis ſine faece dies: hic gaudia ſurgunt,
Perpetuo ambroſiae rore refuſa roſae.
Hic, ubi verus honor virtuti, veraque ſurgunt
Praemia: ubi aerumnis plena parata quies.
Haec animos dulci ſparſit ſententia amaro,
Permiſcens laetis triſtia, nigra bonis.
Gaudebant caro capiti tam multa parari
Gaudia, perpetuam cum ſuperisque moram.
At deſiderio quis non tabeſcat? & una
Supremum laetans optet obire diem?
Ergo, quamquam abitu (nam obitum dixiſſe piaclum eſt:
Parca nec in tantos jus habet ulla viros.)
Maerebant paſſim doctorum plena virorum
Agmina: tuque omnes ante, Ricarde, alios.
Maerebant prorſae, maerebant undique verſae
Pierides, Charitum conlacrimante choro.
Maerebat laniata comas Sapientia honeſtas,
Indiga in hoc artis, ſubſidiique ſui.

Ne tamen huic cunctis dignissimo honoribus, atque
Dulci animae latam praepediisse viam
Ad superos possent censeri, & tanta morari
Praemia, decepti plurimo amore viri,
Tanti spe quaestus longos domuere dolores;
Cari gaudentes utilitate hominis.
Pax igitur luctu: lacrimis pax: tristis honestos
In Paeanis abit Lessus ubique modos.
Cantabant cuncti vario modulamine laudes,
Caso, tibi: & cineri sunt data tura tuo.
Huc si cunctorum concludere carmina tentem,
Longa dies non est longa futura satis.
Tu quantum ingenii specimen: tu quantum & amoris
Laudibus exprompsti, docte Ricarde, tuis?
Non (inquis) jam te volitantem ad sidera, Caso,
Prosequimur lacrimis, flebilibusve modis.
Ast alacres geminis (a) celebramus funera ludis,
Et cingit laetum festa corona caput.
Quam putat ignavi mortem imprudentia vulgi,
Transitus est magnis ad meliora viris.
Ut colubro rigidae per inertia frigora brumae
Increscunt caecae (b) tergora dura cutis:
Idem vere novo pastus mala pharmaca, vepres
Inter, & angusti scrupea saxa thori
Deponit senium: nitidaque in veste (c) coruscus
Gaudet: & in forma se probat ipse sua:
Sic hiemem exutus vitae, dejecit amictum
Sordentem, & gravidum corporis hujus onus
Caso meus. Juvenis, propria & virtute decorus
Vivit perque animos, inter & ora virum.
Fortior est fato virtus. Nec honestius actae
In terris vitae gloria pulchra perit.
Vivit: & aetherias Caso migravit in oras:
Festus ubi & felix gaudia plena capit.

Propte-

(a) *Scenicis & Gymnicis.* (b) *Caecior Leberide.* (c) *al. veste.*

Propterea (jubet is) cari doctique sodales,
Temperet a lacrimis jam modo quisque suis.
Illum hymnis potius meritis comitemur ovantes.
Nostrae illum chartae Pïeridesque canant.
Et pro tristi apio, & pro ferali cyparisso,
Vernanti viola, purpureaque rosa
Festa coronemus sibi tempora quilibet: atque
Cantemus summo carmina justa Deo.
Caso habitet memori, vivatque in mente virorum:
Pectore Casonis viva sit urna mei.
Illius nostrum semper recalescet amore
Pectus: & in nostro pectore vivus erit.
Est suspensa mei penetrali in parte larari
Casonem referens picta tabella meum.
Hanc ego mane novo: hanc sera sub nocte saluto:
Hac desiderium mollius ipse fero.
Qualibet intueor, notis me spectat ocellis:
Nec quoquam a nostris lumina cara movet.
Si contra adspecto recta e regione, tuetur
Illa etiam vultus e regione meos.
Celsius adtollo: tollit quoque celsius illa
Lumina. Deicio: deicit illa quoque.
Adcedo ad dextram: ad dextram se torquet & illa:
Spectat leva, si forte sinister eo.
Pone abeo obliquus: flexa cervice repente
Vertitur: atque abitu congemit illa meo.
Sto fixis oculis: oculis manet aemula fixis.
Denique me cunctis pascit imaginibus.
Haec mihi honorificos (a) mollit spectata labores:
Detergetque animo taedia cuncta meo
Curarum: quarum me onerat Rex mole Philippus:
Rex, quo nil majus maximus orbis habet.
Hic tribuit sancti rectorem me esse Senatus:
Et regno Insubri libera jura dare.

(a) *al. magnificos.*

Incumbens humeris tantarum ſarcina rerum,
O animae pridem vitaque melque meae,
Quanta facultatis tollit mihi commoda? (namque
Vivida laudandi mens ſtudiumque manet.)
Aequa voluntati ſi ſit conceſſa facultas,
Laudis & hiſtoriam concelebrare vacet,
Cantarem primum Sophiae praeconia: cujus
Dulci in Caſonis pectore nidus erat.
Nulla virum latuit pars illius: omnia norat,
Quaecumque in priſcis ſunt agitata ſcholis.
Norat Palladiae docuerunt quidquid Athenae:
Indorum & nudi quae tenuere ſophi. (a)
Plurima Socraticis tamen eſt impenſa libellis
Cura: haec eſt vitae vera magiſtra probae.
Divina ille hujus quoties praecepta canebat
Celſior in cathedra, compoſitaque toga,
Dulcius Ambroſia, puro pretioſius auro,
Gratius & Caſia, Corycioque Croco.
More nivis denſae (b) eloquium manabat ab ore,
Purifica paſcens plena theatra dape.
Quid memorem vitam numeros probitatis habentem? &
Virtute ambitas Principum amicitias?
Quamquam ſe ille ſua involvens Sapientia, & una
Subiciens pedibus ſpemque metumque ſuis,
Rerum & honorum contemptu ditiſſimus, o quam
Anteabiit magnos proſperitate Duces?
Praeſtantes aliquos aliqua in virtute videmus.
Hac ille: ille alia primus in arte cluet.
At Caſo cunctas ſic pertractavit, in omni
Virtutum verſans nocte dieque choro,
Ut primae in cunctis tulerit ſuffragia laudis,
Incedens omni grandior invidia.
Audiit orantem Latia quicumque Minerva,
Obſtupuit clamans: Tullius alter adeſt.

Hunc

(a) *Gymnoſophiſtae.* (b) Νιφάδες.

Hunc natum mediis subito testeris Athenis:
Si, quidquid Graece condidit ille, legas.
Et quicumque vident elegëia carmina, dicunt:
Romani sunt haec carmina Callimachi.
Obscuras rerum caussas inlustrius ille
Explicuit mentis dexteritate suae.
Cur magnes ferrum: paleas cur succina raptent:
Cur hiet adspectans alterum hiantem hominem.
Curque sub Herculeum tundantur grandine Cancrum
Vitiferi colles, & sata laeta bonum.
Fulgura solstitiis quia nam cava nubila rumpant.
Tuncque quid in terras fulmina crebra cadant.
Humidus ut pluvias, ut fumidus halitus edat
Flamina: quo motu territa terra tremat.
Atque etiam librata suo cur pondere, celsa
Pendeat: & praeceps non leviora ruat.
Non umquam, studio ocI, virtutisque parandae
Sedibus e Latiis extulit ille pedem.
Descripsit tamen hic radio felicius orbem,
Quam quibus est oculis cognita terra suis.
Indus ab occiduo quantum decedit Ibero:
A Tanaï Nilusque, Hesperionque Ceras. (*a*)
Sed quid ago ingrediens stultus, maris atque viarum
Vastum iter, insuetus ferre laboris onus?
Et pauca, aut potius provisa viatica nulla.
Commissa at quanto est cymbula parva mari?
Pecco equidem: verum cupio persolvere amico
Officium, saltem, qua ratione queam.
Est amor in caussa: jubet hic majora subire:
Seque duce ingentem suadet habere animum.
Felicesque parum per dura negocia cursus
Depositae interdum praemia laudis habent.
Et quoniam (quamvis studio contendimus acri)
Quam cupio, scio me persoluïsse minus:

(*a*) *Promontorium Bonae Spei.*

Ad-

Adcedo ad docti Ticini moenia jamjam:
Grandia ubi modicus contegit ossa lapis.
Dulcia quot tumulo libabimus oscula cari?
Quae fundam surdo verba suprema rogo?
Sis levis, o tanti terra hospita pulveris, oro.
Sis levis: hic animae est pars tumulata meae.
Aeternum salve: aeternumque vale incola caeli
Jam Caso, atque animis adnumerate piis.
Sis memor: ut nostri memorem precer? attamen oro:
Cari istic socii sit tibi cura tui.
Gratus adi Dominum Mundi: qui nostra piavit,
Crimina, placato victima grata patri.
Posce, ora, exora: liceat mihi degere vitam
Candidam: & in recta, quam docet, ire via.
Cumque mihi lucis supremae advenerit hora,
Ut petat optati spiritus astra poli,
Hic mihi de summo, te propter, prospice sedem
Rege Poli. Hic cumulet gaudia nostra locus.

F I N I S.



EJUS-

E J U S D E M

JOANNIS MARII MATTII

L I B E L L U S


D E

ORTHOGRAPHIA.

A D

ANTONIUM ARNUTIUM
M E D I C E M,

MAXIMI ALEXANDRIAE FANI
ARCHIDIACONUM.



JOANNES MARIUS MATTIUS
ANT. ARNUCIO MEDICI,
PROTONOTARIO APOSTOLICO, ET ARCHIDIACONO FANI MAXIMI ALEXANDRIAE.
S. D. P.



uoniam animadverti, cariſſime Antoni, genere, doctrina, & religione pariter inluſtris & excellens, probare te & ſequi rationem ſcribendi, quam ſervo ego, & ſervari, ubicumque in meis libris eſt viſum, a typographis jubeo, nuper quamdam quaſi farraginem conlegi eorum verborum: in quibus a vulgata forma ſcribendi non temere (ut quidem mihi videor) ſciens, & fortaſſe etiam prudenter diſcedo. Eam prodire in publicum, & in tuo nomine adparere volo. Teſtis erit illa meae in te mutuae benevolentiae: quam jam tum inceptam, cum alumnus meus merebas ſtipendia diſciplinae meae, colui ſemper, & colam conſtanter, ſic meritis tuae probitatis, amoris, religionis, dignitatis, & doctrinae poſtulantibus. Tota autem hujus Orthographiae ratio petita eſt a doctiſſimis auctoribus, a ratione, atque ab uſu bonorum ſcriptorum. Uſus autem eſt (ut facile conligitur ex Diogenis Laërtii Zenone, qua in parte de Soloeciſmo agit) conſenſus bonorum felicis linguae: ne quis forte conruptus male ſcribendi mos uſum putet. Hic uſus, & haec felicitas everſa Republica paullatim primo, deinde penitus praeceps ruit. Hac Orthographia, quam ſum commonſtraturus, uſos fuiſſe olim veteres, ratio, Grammatici priſci, antiquae tabulae aereae, numiſmata, marmora, & ſcripti calamo libri luculenter docent. His auctoribus, his magiſtris, hic utimur. In reſtituenda hac Orthographia olim

elabcravit prope primus omnium Cassiodorus, & quidam alii deterioris notae. Deinde aetate nostra Pierius Valerianus. Subsecuti sunt, optime de omni genere literarum meriti, mei amici, Carolus Sigonius, Paullus & Aldus pater & filius Manucii: Fulvius Ursinus: ambo Scaligeri, pater & filius, nobilitate & tractatione praestantissimarum artium inlustrissimi. Huic quoque parti, quotiescumque aliud agenti opportunitas se offert, non deëst Antonius Augustinus, & aliquot alii doctrina & judicio insignes viri: quos neque universos novi, neque necesse habeo perquirere & recensere. Aldus jam pridem edidit in hoc genere elaboratum & doctum librum: quem locupletare ubere adcessione praesens & per literas mihi est pollicitus: sed dum ille tardius, id est maturius ad opus adgreditur, ego ab occasione hujus mei exeuntis libri admonitus manipulos aliquot (ut rusticorum vocabulo utar) verborum huc includere non omnino importunum esse judicavi. Maxime autem ad hoc capiendum consilium inpulsus sum suspicione amittendae laudis, quam ex hac lucubratiuncula exspecto. Namque illius exemplum, quod Mediolanio Romam ad Aldum ejus rogatu mittebam, inter manus tabellariorum & cursorum publicorum periit. Fieri facile potest, ut libellus incidat in manus ambitiosi alicujus: qui ἑρμαῖον κέρδος *sibi gratulans adripiat, & pro suo venditet & edat: alteriusque laboris gloriam* ἀνιδρωτὶ καὶ ἀκονιτὶ *reportet & fruatur: de qua jactura postea ego malum fatum incusans frustra clamitem. Sic vos non vobis. Hoc formidatum malum belle posse averti, re hic indicata existimavi. Si quis vero expositionem verbi Orthographiae cupit scire, hanc habeat a Suetonio in Augusto sic tradente:* Orthographiam, id est, formulam rationemque scribendi, a Grammaticis institutam, non adeo custodivit. *Fortasse vero tractatio haec longiorem atque adcuratiorem operam postularet. Sed optimus Arnutius, omnis hujus brevitatis & festinationis Mattio gratiam faciet. Vale.*

ORTHO-

ORTHOGRAPHIA MATTII.

A.


. Interjectio, non Ah. Probus, & veteres Codices Virgilii. Attamen vetus Tibulli Codex Romanae bibliothecae Ha scribit, adspiratione praecedente.

Ab, Ad, In, fere semper servantur integrae in compositis.

Abdo.

Absabrum. Festo.

Abgrego. Festo.

Abicio, Adicio, Deicio, Conicio, Eicio, Inicio, Obicio, Proicio, Reicio, Subicio, uno i. Namque τὸ I. magnam, tam apud Graecos, quam apud Latinos, vim habet producendi antecedentem syllabam brevem. Sicque habent veteres calamo scripti libri: sic Epigrammata Orbis ab Apiano & reliquis conlecta: sic Glossarium vetus.

Abripio.

Abluo.

Abludo.

Abnuo.

Abpatratum Jureconsultis.

Ab, & Ad, b, & d servant in omnibus, ne singula enumerem, conpositis usque ad Aurelii Antonini aetatem in omnibus scriptis calamo libris, marmoribus, & nummis. Immo, sic est etiam

in nummis Alexandri Imperatoris. Sic Gloſſ. vetus.

Accipio primus Lucilius cum c. ſcripſit. Sic poſtea reliqui: attamen interdum Adcipio ſcribitur cum d, in aliquibus ſcriptis libris Virgilii.

Adcenſi. Feſt.

Adcingo. Gloſſ. vetus: & veteres codd. Virg.

Adcio, is. Adcire. Vet. codices Virgilii, & Ciceronis.

Adcubo: ratio, & libri boni.

Adcidiſſet ad terram trabes. ad Herennium, & Varroni.

Accipiter, & Adcipiter. } vet. codices Virg.

Adclivis. Gloſſ. vetus.

Adfectus. Lapides Neapoli & Bajis.

Adfero.

Adfecto. Feſtus.

Adfines. Feſtus.

Adgredior. V. C. Virg.

Adgrego. Feſtus & Gloſſ. vet.

Adgrettus, pro Adgreſſus. Feſt.

Adnaſcor, & Adgnaſcor. }

Adgnati, ut Adfines.

Adnepos. in libro Apiani.

Adgnatio. Pandectae Florentini.

Adfabrum, fabrefactum. Feſt.

Adfari Adfatim } Virg. vet. codices, Macrobii, & Gloſſ. vetus.

Adlecti. Feſt. & marmora antiqua: ut notat Antonius in Baebia familia.

Adlicio. Feſt.

Adligo. V. C. Virg. licet quidam veteres Grammatici contrarium tradant.

Adliveſcit. Feſt.
Adnicto. Feſt.
Adripio. ratio.
Adrogo. Gloſſ. vet.
Adrumavit. Feſt.
Adpromiſſor. Feſt.
Adſciſco } V. C. Virg.
Adſcripti } Feſt.
Adſcribo.
Adſectata. Feſtus.
Adſertor. Feſt. in Sertor.
Adſero. Feſt.
Adſervo.
Adſcendo.
Adſcenſus.
Adſidelae.
Adſiduus. Feſt. Varr. V. C. Virg.
Adſipere. }
Adſtraſſent. }
Adteſtata. } Feſt.
Adtegrare. }
Adtritum. }
Adtribuo. }
Adtubernalis }
Adtractare, cum a. vet. codices Virgilii, & Livii.
Ad prima tenax. V. C. Virg.
Adnoſco. Pandectae Florentini.
Adgnoſcit } V. C. Virg.
Adgnovit }
Adloquor. V. C. Virg. marmora ubique. ſic univerſa hujusmodi reliqua.
Adlocutio.
Adgnominatio.
Adtinet.
Adquiro. V. C. Virg. & ſic usque ad Antoninum.

Adparent. V. C. Virg.
Adsuetus. V. C. Virg.
Adtollo. Adtuli.
Adfero.
Adsum. V. C. Virg.
Adpono. V. C. Virg.
Adnitor. V. C. Virg.
Adcurro. V. C. Virg.
Adnuo. V. C. Virg.
Adnare. V. C. Virg.
Adsto. V. C. Virg.
Adlabor }
Adlapsus } V. C. Virg.
Adfixus.
Adsigno: tabula aerea Ursini. }
Adfligo. }
Adclivis. }
Adcingor. }
Adcendor, & Accendor. }
Adloquor. }
Adgero. }
Adger. } V. C. Virg.
Aheneus, a, um. }
Aeneus, a, um. }
Ahenus, a, um. }
Aereus, a, um. } ab Aes.
Adglomero. Festus in Axe.
Adquiesco. Lapis Vetus.
Accisus tamen, V. C. Virg. & Servius eo versu, *Accisis coget dapibus:* ubi inquit. Ac. oc. an. idem nobis praestant, quod apud Graecos ἀμφί. Ambactusque, id est, circumactus: Festus quoque Am (inquit) praepositio loquelaris significat Circum.
Aereus, lege Aëneus.

Am

Am ſervatur integra: attamen
Aneaeſa. Feſto.
Anceps.
Ancilo.
Anhelo.
Anquiro.
Am ſequente vocali, b. mediam admittit.
Ambactus. Feſt.
Ambages. } Feſt.
Ambedo. }
Ambeſus.
Ambens. Lucretio.
Ambeſt. Feſt.
Ambio.
Amburbium. Feſt.
Ambarvalia.
Amburo. Ambuſtus.
Amplector.
Amplus.
Amplius.
Amplio.
Amputo.
Amſanctus, & } Servius.
Anſanctus. }
Amnis.
Ampendices olim, inquit Feſtus: nunc Appendices.
Amſegetes. } Feſt.
Amtermini. }
Adſurgo.
Adſto. V. C. Virg.
Alium, non Allium. Olus hortenſe, unico I. ab halando dictum.
Aeneus. }
Aheneus. } Agellius.
Aënum. }

Ahe-

Ahenum.

Acalanthis, non Acanthis. V. C. Virg. & Probus ibidem.

Aesculus. lapis vetus: quem Ursinus edidit.

Arcesco. Gloss. vetus. libri veteres. & ratio, ab Arcio scilicet.

Afuit. } Cod. veteres. Glossarium vetus.
Afuturus. }

Amicitia, non Amicicia, cum t. tabula aerea Ursini.

Anchora, cum adspiratione: licet in Graeca voce non sit. Vet. Cod. Virg. & Servius.

Avitus, non, Habitus, cognomen Cluentii. V. C.

Arena, & }
Harena. }

B.

BLatio, is. } sine c. & unico t.
Blatero, as. }

Belua, unico l. quidquid dicat Festus: qui à belua bellum deducit: cum bellum duellum sit: sicut bis, duis.

Baccha, Bacchi Sacerdos.

Baca uno c. & sine adspiratione gemma est, & Lauri & similium fructus.

Bosporus, non Bosphorus.

Brabium vel Brabeum, non Bravium.

C.

Carthaginensis, quinque syllabarum, non Carthaginiensis. Nam alucinatur hic Priscianus, & alii in hac parte eum secuti. Etenim nomina derivata, quae in *ensis* cadunt, à genitivis formantur versa, si sunt primae declinationis, diphthon-

thongo in *enſis.* ut, Bononiae Bononienſis. Veronae Veronenſis. Si ſecundae, *i*, in *enſis.* ut Comum, Comi, Comenſis: Piſtorium, Piſtorii, Piſtorienſis. Corfinium, ii, Corfinienſis. Si tertiae, *is* in *enſis.* Ut Sulmo, onis, Sulmonenſis: ſic Hipponenſis, Ulyſſiponenſis, Tarraconenſis, Narbonenſis. Carthago, ginis: Carthaginenſis. Quod ad carmen illud Ennii adtinet, *Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis.* Neceſſitas metri poëtam coëgit, ab Epentheſi ſubſidium poſcere. ut Virgilius fecit in Alituum.

Cum haec jampridem ſcripſiſſem, animadverti poſtea Joſephum Scaligerum in Catalecta, idem ſentire.

Cartacinenſis eſt in antiqua inſcriptione cum c. & ſine adſpiratione in ſecunda ſyllaba apud Fulvium Urſinum, in Ogulnia familia.

Caelum. Eſt tamen Coelum cum oe diphthongo Mediolanii in lapide antiquo, in angulari lapide domus privati hominis e regione D. Mariae Scalae.

Caelo, as, cum ae diphthongo, Sculpo.

Celo, as, ſine diphthongo, Lateo.

Coepi, cum oe, quod eſt, incoepi.

Cepi ſine diphthongo ae, a capio. quidquid alii aliter tradant.

Cea }
Cia }
Chius } tres diverſae inſulae.
Cos

Ceius, non
Caeus.

Cerialia, & } Cereris Sacra. Cerealis eſt in Fannia
Cerealia } familia apud Fulvium Urſinum.

Civis, pro Cives, non Civeis: ſic reliqua ſimilia omnia.

Chau-

Chaurus. } V. C. Virgilii, non Caurus, aut Corus.
Chorus. }

Cyniphius, non Cinyphius.

Clypeus, Clypeum, cum y. &

Clupeus.

Cohors. marmora antiqua

Cors. lapis antiquus ad aram templi Montatae, quod est oppidum agri Hastensis: & alter Serravallis, Oppidi Dioecesis Dertonensis.

Chors, tis. marmor antiquum Hastense.

Connisus, & } Vet. Codices Virg. & Probus.
Connixus. } hinc servitio enixe tulimus.

Cluma & } Fest.
Gluma. }

Comissatio. } Fest.
Comassatio. } aliis.
Comisatio, uno f. } Glossario veteri.

Considero, non consydero.

Contracto, non Contrecto.

Concio, onis: est tamen in tabula aerea Ursini

Conctio. &

Contio, in tabula aerea Bembi.

Conjux. Maritus.

Conjux cum uxorem significat. sic observavit Pierius in monimentorum titulis.

Contari, a Contus, quae est pertica nautica, q[illegible] aquae profunditatem explorant, ut legitur in multis inscriptionibus antiquis. &

Cuntari, utrumque sine c.

Curgulio cum c. quamvis auditur g.

Caieta itidem cum c. licet proferatur ut g.

Chilo cognomen Flaminii: tamen in quibusdam nummis interdum adspiratio omittitur: quod evenit etiam in Gracchus. Graccus; Triumphus

Trium-

Triumpus: Tamphilus. Tampilus: Pamphilus Pampilus.

Chilo (inquit Feſtus) coghomen à magnitudine labrorum.

Cilo, ſine adſpiratione, cui frons eſt eminentior.

Conligo.

Conlibertus. in libro Apiani.

Collibertus. marmor Haſtenſe, & alia.

Conlegium. tabula aenea Urſini, & Gloſſ. vetus.

Collegium etiam legitur.

Conlucare. Feſt.

Conlatia. Feſtus.

Comvulſus. Victorino.

Cumvexus. Victorin.

Conlabor. V. C. Virg. ratio, & marmora vetera.

Conlaudo. Gloſſ. vetus.

Conlatus. lapis Neapoli ex Urſino, & libro Apiani.

Conlativum. Feſto.

Conripio. V. codices. & ratio. Sic fere ſimilia omnia in Gloſſ. vetere.

Con, ſequente vocali amittit n.

Coagmento.

Coagulum.

Coaleſco.

Coanguſtare.

Coarctare. & ſic reliqua.

Comburo b. ſuſcipit.

Cum alter

Coëo.

Coërceo.

Coïtus.

Coius. pro cujus, ſaepe.

Coinquino.

Cohibeo.

Cohorreo.

Cohortor.
Comedo tamen m interponit, vel eſt ex cum & edo.
Coörior.
Coörtus.
Incipientia verba ab m, ut Muto, ultimam praepoſitionis literam eamdem eſſe poſtulant. ut
Commuto: ſic reliqua auctore Cicerone, in oratore: qui ſequendus eſt, non Gloſſarii Scriptura.
Commoveo.
Conplaceo. vet. codices Virg.
Conplector.
Conpello. ſic reliqua.
Combibo.
Combennones.
Condico. Sic reliqua.
Conficio. Sic reliqua.
Congruo. Congemino. } Sic reliqua.
Conjecto. Conjunctus. } Sic reliqua.
Conpono. Conſueſco. Concrepo. Conficio. } Cic. Oratore: qui in omnibus etiam reliquis ſimilibus omnino eſt ſequendus.
Conicio. lege Abicio.
Conloquor. etiam Gloſſ.
Conpactum. Gloſſ.
Conlapſus. Veteres lapides, & Vet. cod. Virg.
Connitor. Sic reliqua.
Conquiro.
Conquaſſo.
Conregione. Feſt.
Conpleo. V. C. Sic idem ſervandum eſt in ceteris a P. incipientibus, auctore Cicerone.
Conpello.

Con-

Conparavit. marmor antiquum in Basilica Lateranensi.
Conpotrix. sic reliqua.
Conruspari. Fest.
Conrugare.
Conrumpere.
Conripio. V. C. Virg. & Ciceronis, & ratio.
Conspergo.
Conservo.
Consponsor.
Conspuo.
Contristat.
Contestari.
Convallis.
Convello.
Coquus, & cocus.
Circum ubique servetur integra
Circumluvium. Fest. cum duobus etiam uu. I. Luo.
Circumfero.
Circumlatus.
Circumtulit.
Circumcido.
Circumdo.
Circumfluo.
Circumforani.
Circumfodio. & reliqua.
Circumjaceo. & reliqua.
Circum, quando componitur cum incipientibus à vocali, tunc m. in pronunciando omittitur, aut dissimulatur.
Circumago.
Circumadgero.
Circumeo.
Circumequito.
Circumire.

Circumitio.
Circumobruo.
Circumcido.
Circumcludo.
Circumconcolo.
Circumculco.
Circumcurro.
Circumdolo.
Circumduco.
Circumgemo. & reliqua ſimilia.
Circumlambo.
Circumlator. } Gloſſ. ratio.
Circumlocutio.
Circummitto. } & reliqua ſimilia.
Circummunio.
Circumnaſcor.
Circumpadanus.
Circumpango.
Circumplector.
Circumpono.
Circumrodo.
Circumſaepio.
Circumſcribo.
Circumtego.
Circumvehor.
Circumvolo.
Cluma, l. Gluma.
Cum plures. } diviſis dictionibus. Terent. & Livio.
Cum plurimi.
Cum maxime.
Cumque Horatio.

Si con integra ſervatur, quando componitur cum verbis a conſonantibus incipientibus, cur idem ius non ſit incipientibus a *b.* & *p.*? Id eſt, cur ſi ſcribitur, concrepo, concerto, condico, conficio

cio, conformo, congrego, congredior, conjux, conjecto, conlibertus, conlapsus, connecto, connitor, convoco, convicium, conqueror, conquiro, concipio, conruspari, considero, consto, contestor, contristo: cur (inquam) non conbibo, & conpono, ut vult Cicero ipse, dicemus cum reliquis similibus?

D.

Detracto, non Detrecto. Sic contracto. V. C. Virg. Tibulli, Ciceronis, & Livii.

Deverto & Devertor, non Diverto & Divertor. Libri veteres, & ratio.

Deversor. Deversorium. sic etiam tabula LXXII. aerea Ursini. pag. 19.

Diligo, & Dilectus. } pro eligo, non Deligo. argumento sunt derivata, Diligens, & Diligentia. } sic veteres cod. & Festus Pompejus.

Deicio, lege Abicio.

Deblatero.

Decim, non Decem. V. C. Virg. & Livii, inde undecim & reliqua.

Destringo, non Distringo.

Destinguo, l. Stinguo, vel Tinguo.

Dimico, & Dijudico. } & similia.

Delapidata. lapidibus strata. Festus.

Dissicere, à Sico verbo, quod pro Seco est in tabula aerea Genuae.

Dissignator, non Designator. libri veteres Vaticani: & marmora antiqua.

Diffarreatio.

Diſſcidium.

Di. } unico i, non Dii, & Diis.
Dis. }

Diſſerto, as. Plauto Menaechmis. ubi ratio verſus ſic poſtulat.

Diſſero. Lucretio, & Feſto.

Diſertus tamen dicitur prima brevi.

Diſertim. } Feſto. Gloſſarium duobus ſſ.
Diſertiones. } ſcribit recte.

Delitiae, eſt Mediolanii in antiquo lapide cum t.

Dum taxat: ut Quot annis diviſis dictionibus. Tabula aerea judiciaria apud Urſinum.

E.

Edera. non Hedera. Feſtus tamen adſpirat. Ecfatus antiquis.

Effari, & } Feſto. Scauro, & codicib. veterib. Vir-
Effatus. } gilii.

Eheu }
Heu heu. }

Eligans, pro } Cicero de N. D. ratio.
Elegans. }

Eamdem, non Eandem. Attamen tabula Judiciaria antiqua Urſini cum n. ſcribit.

Eluies, uno U.

En do, non Endo: ſic in du: ſeparatim.

Et ſi. lege Nihilo minus. & Nuntius.

Emptus cum P. ſic Redemptus. Emptor. Redemptor. Pandectae Florentini. Tabula aerea antiquiſſima Urſini. & Gloſſarium. Valerius Probus. Feſtus in Titivillitium.

Eu oe.

Exſectus.

Exſeco.

Ex-

Exhibeo. attamen aliquot marmora habent Exſibeo
Exſcindo.
Enixe, & } Veteres Virgilii, & aliorum libri. &
Enixus } Grammatici.
Epiſtula poſt Juſtiniani tempora ſcribi coepit Epiſtola cum O.
Eumdem, Eamdem. cum m.
Exſequor. }
Exſecutus. }
Exſequiae. }
Exſciſio.
Exſtinguo.
Exſta, orum, ab } Feſtus.
Exſtando. }
Exſulo, non exulo. } Veteres Virg. codices. &
Exſul, non Exul. } ratio. ſic
Exſulium. Attamen Eutiches antiquus Grammaticus ſcribi debere contendit Exſilium, cum i: ut a conſul conſilium.
Ex, vix invenias; ut non compoſita ab ea Praepoſitione ſervent x. Vix autem dixi: quoniam paucula quaedam cum F. aliqua cum C. repeiuntur. Recte ne, an ſecus?
Exdecimare. } Feſt.
Exdorſua. }
Exdutae. } Feſt.
Exuviae. }
Exconſul. J. C.
Efficio.
Exlex.
Exfio, is, purgo. } Feſt.
Exfior. }
Exfodio, Plauto.
Explumo.

Exgrumino.
Exgrumio.
Exgregiae.
Exgressi. aliquot Codices Virgiliani.
Exfilati. } Festo.
Effilati. }
Effilatum.
Exfuti, pro } Fest.
Effusi. }
Elabsus. V. C. Virg. cum b. ratio.
Exspes.
Exspiro.
Exspers pro sparsus. Catull. de Coma Berenices.
Excoquo. sic Coquus, & Cocus, Recoquo.
Esquiliae, non
Exquiliae.
Expendo.
Expurgo.
Exspiro.
Exrogare. Fest.
Exsaniare. a sanies.
Exscalpo.
Exsignare.
Exsomnis.
Exsordesco.
Exercirent. Sarcirent, Festus. Sed debuit scribere.
Exsarcirent.
Exscendo. } Livio.
Exscensus. }
Exsaevio.
Exscarifico.
Exsectus. Ratio.
Exverrae. purgamenta. Festo.
Exverto.
Exsupero.

Ex-

Exsugo.
Exsors, } V. C. Virgilii.
Exsanguis. }
Exbueres, sive } Festo.
Exburae. }
Excedere. Fest. & ratio.
Excidionem. Fest.
Excio, is. Fest.
Excipio. Fest. V. C. Virg.
Expapillatio. Fest.
Expatare.

F.

Fas, ut Nefas, cum f. non Nephas.
Femor, oris. }
Femur, uris. } Festus, & alii Grammatici. &
Femus, feminis. } V. C. Virgilii, atque aliorum.
Femen, feminis. }
Fetialis, cum t. Festus, & aliquot Graeci. Sed
Fecialis, cum c, habet antiquus lapis Brixiae in Divae Juliae. Nam Sigonii, Panvini, Manucii, ducti sunt in fraudem ab iis, qui audita ab aliis retulerunt. Apud me est testimonium oculati testis & descriptoris diligentissimi: qui universas inscriptiones urbis & agri Brixiani admirabili diligentia & fide conlegit. Aliud testimonium est apud heredes Caroli Sigonii, missum a me viventi amico: de quo munere mihi per literas gratulatus est, & gratias egit. Etiam in vetusto lapide apud Delmatas Fecialis cum c. est. Totum hoc Epigramma descriptum exstat in libro Apiani inter Epigrammata Salonae. Glossarium quoque cum c. scribit, sed cum diphthongo in prima syllaba.
Fluo, cum uno u.

Fluvius, & Fluvidus. } cum duobus uu. V. codices Virgilii. attamen docti nonnulli censent scribendum Fluius uno u.

Felix, sine diphthongo. Plutarchus tamen in Sulla φοιλιξ scribit. verum Graeci monstra saepe edunt in vertendis Romanis vocabulis in suam linguam.

G.

Genetrix, & Genitrix. } utroque modo bene.

Gracchus, & Graccus. } lege Chilo.

Gaetulus, Graecis. Getulus, Latinis. } primis duabus longis. Ovidius tamen illis est abusus.

Galatea, Γαλάτεια. non Galathea.

Genesta cum e. V. Codices Virgilii. tamen Probus probat Genestam.

Grassor, cum G.

Gluma, & Cluma. } Festus.

Genua, non Janua: omnes historiarum scriptores. inde

Genuenses. &

Genuuates. Tabula aerea Genuae.

H.

Habitus. l. Avitus. cognomen Cluentii.

Harpyia. Har, pyi, a. non Har, py, ia. sic censet etiam Charisius, & ratio diphthongi sic postulat.

Harena, &

Arena.

Ha-

Hafta Colonia: non Afta, Urbs Cisalpinae Galliae in Liguriae Taurinae parte. inde

Haftenfis. Hanc Tanarus adluit. Antiqua marmora. ut in Aedibus nobilium Mazentarum Mediolanii.

Helorus, & } quod ab antiquis adfpiratio faepe
Elorus. } detrahebatur.

I.

Icius, non Itius, apud Horatium. Ratio, Libri veteres, Marmora antiqua.

Idcirco, non, iccirco. Veteres lapides: inter alios unus in libro Apiani pag. 370. habet Itcirco, ufitato tunc more quorumdam: qui T. pro D. pofuerunt: & Gloffarium.

Ilicet, non Illicet, V. C. Virg.

Ilico fortaffe, non Illico: ut Ilicet, fcilicet. quamvis nonnulli putent dici, quafi in loco.

Inluftris, non Illuftris. Sic eft in tabula antiqua aerea: fic vetus infcriptio apud Scaligerum in fine fecundi libri ad Aufonium Gallum: fic Gloffarium: in quo univerfa fequente L. fervant N. ut

Inlaudatus. V. C. Virg. fic

Inlecebrae. ratio, Gloffarium vetus.

Inlex.

Inlaqueatus,

Inlices.

Inliciter.

Inlido. V. C. Virg.

Inlifus. V. C. Virg.

Inlicium.

Inliteratus.

Inlatus. ratio, Gloffarium.

In-

Inlino. Gloss. ratio.
Inlimatus. Gloss. ratio.
Inlicio. }
Inlexi. } Gloss. ratio.
Inluvies. Gloss. ratio.
Inlotus. Gloss. ratio.
Inluceo. ratio. Gloss.
Inchoo. Olim autem
Incoho. sic duae tantum dictiones Latinae post c. servant adspirationem. Inchoo, & Pulcher. Addebant aliqui Lurcho.
Illic, Illaec, Illoc, vel Illuc. ut }
Istic, Istaec, Istoc, vel Istuc. } sine adspiratione.
Inicio, leg. Abicio.
Inrisus, non Irrisus.
Inrideo.
Inremeabilis. V. C. Virg.
Inrumiendi. Festus in Sublicium.
Inrumpo. V. C. Virg.
Inpello. V. C. Tabula aerea Ursini. sic reliqua verba hujusmodi.
Intubus.
In du, non Indu. ut En do, non Endo, licet sit una tantum dictio.
Interemptus, ut Peremptus. cum P.
Irito, as. uno r. ad iram incito. unde
Iritatus.
Inritus, non ratus, media brevi. Glossarium & ratio.
Inrideo. Festus.
Inpono. Tabula aerea Neapoli; Ursini.
Impetro. est in marmore edito ab Ursino, per aetatem Trajani.
Impensa est in inscriptionibus Vespasiani apud Panvinum. nisi forte ille male descripsit.

In-

Inpensa cum n. in tabula marmorea Maffeorum edita ab Ursino.
Inprobo est in lapide antiquo Neapoli: quem Ursinus edidit.
Inprudens, apud eumdem.

Imperator cum m. sic Imperiosus. Ita semper Fasti.	sic coeptum est scribi aetate Imperatorum: ante enim cum n scribebant.

Inpero, & Inperium: } cum n. Tabula aerea Ursini.
Juvenalis, & hoc
Juvenale. non Juvenilis & Juvenile. V. C. Virgilii, & reliquorum: sic etiam Grammatici.
Jupiter uno p. lib. veteres.
Juppiter duobus pp. marmora vetera.
Justitia cum t. V. C. Virg. Nummi. & marmora antiqua.
Interemptus.
Inter, cum in aliis compositis servetur integra, in sequentibus aliter scribitur.
Intellego.
Intellectus.
Intelligentia.
Intellego, & Intelligo } utrumque.

L.

Labsus. Ratio, Probus, & V. C. Virg. non Lapsus.
Litera, uno t. a linea scribi debet. ratio. & V. codices.
Litus, uno t. vel quia antiqui consonantes non gemi-

minabant: vel quia Analogia ſic poſtulat, ſive a Lido, is, ſive a Lino, is. ſive a Ludo, is, ut placet Ciceroni, deducas.

Laetitia, cum t. libri vet. Marmora & Nummi.

Lanitium, cum t. V. C. Virg.

Laodamia Graeci, cum a.

Laodomia Latini, cum o.

Lurco, ſine adſpiratione. ſic Orcus. ut non bene ſentiant, qui tria eſſe verba dicunt, in quibus c. adſpirant. Lurcho, Orchus, & Pulcher.

Loquor, } Sic, Sequor,
Locutus. } Secutus.

Laena, veſtis, ut Claena.

Lena, I. C. a Lenone.

Laevus, a, um,

Luo. Feſtus tamen ſcribit Circumluuium duobus uu. ſic Pluuo, & Pluuia.

M.

Mediolanium. ſex ſyllabarum. ſic tres tabulae marmoreae habent in urbe Mediolanio.

Mantele, & Mantelia, non

Mantile, & Mantilia. V. C. Virg. & reliquorum.

Marcius, &

Marcia, gentilicia nomina cum c. a Marco. Attamen Piërius lib. 40. de literis Hieroglyph. in uno nummo Marciae Otacillae eſſe Martia cum t. ſcribit.

Macius alicubi obſervavi. Attamen eſt

Mattius cum duobus tt. in antiquo lapide in Apiani libro. pag. 377. MATTIVS. CHARITON. & Taurini in aedibus Pingonii hoc eſt vetus Epigramma in Tabula marmorea.

MER-

MERCVRIO
T. MATTIVS, ATEVRITI. F
MAGIACVS
V. S. L. M.

Aliud alterius Mattii marmor eſt in libro Apiani in inſcriptionibus Carinthiae pag. 377.

N.

Ne, pro certe, & valde, ſine diphthongo. Grammatici omnes veteres. Donatus, Priſcianus, Diomedes, Soſipater. licet deducant a ναὶ adverbio. Poteſt, & a νὴ derivari optime. libri ſcripti cum diphthongo ſcribunt.

Neclexerunt, cum c. eſt in antiquo lapide, in Vico agri Bergomenſis, Adnaſte dicto.

Nenia, ſine diphthongo, a νήνιτος, quod extremum ſignificat. Sic cenſet etiam Jul. Caeſar Scaliger.

Nymfa. L. Pulcer. nam antiqui multi adſpirationem neglexerunt.

Ninguo. V. C. Virg. non

Ningo.

Nequidquam, cum d.

Niſus. a nitor, eris. & incumbens ſignificat. Probus.

Nixus, a, um. Nixa, partu levata, & incumbens etiam. V. C. Virg.

Naïs, Naïdis, uno i. V. C. Virg. & Probus. quamquam idem Virgilius dixit Naïadum quattuor ſyllabarum, & Naiades trium.

Nuncius, cum c. Feſtus, & quidam lapides. Attamen nonnulli libri veteres, & lapides nonnulli,

Nun-

Nuntium ſcribunt cum t. ſed enim tabula aerea antiqua, & Senatusconſultum itidem antiquum ſemper o, & t. ſervant. Sic & Nontiata, & Pronontiata ſcribunt.

Nihilo minus, diviſis dictionibus. ut Paullo minus. Multo minus. Et ſic cetera ſimilia.

Nimio plus. & Vehementer ſignificat. Sunt autem multae voces, quae nunc conjuncte ſcribuntur: quas tamen ratio, & antiquorum uſus monet disjuncte ſcribere, & pronuntiare.

O.

Obbruteſco.
Obcubo. V. C. & ratio.
Obcumbo. V. C. ratio.
Obcurro. V. C. ratio, & Feſtus.
Obculit. ratio, Feſtus.
Obculto. Gloſſarium.
Obfero. ratio, & Feſtus in Ob.
Obcenſus. Feſtus in Ob.
Obmaneo. } Feſtus in Ommentani.
Obmanens. }
Obſtipui, non } veteres codices Virg. & aliorum.
Obſtupui. }
Obcaedes. }
Obceno, as. }
Obcaleo. }
Obdo. }
Obdormiſco. }
Obduco. } ſic ſimilia reliqua.
Obfirmo. }
Obgannio. }
Obficio. } Gloſſarium. }
Obfenſus. } }
Oblecto. }
Obicio. l. Abicio.

Obi-

Obicis ab Obex. V. C. & Feſtus.
Obfuſco, as. non
Offuſco.
Obferre. Feſt. in Ob.
Obmoveo. }
Obpuvio. } Feſtus.
Obprobrare. }
Obprobrium.
Obpuviato, a Paulo. Feſt.
Obmurmuro. }
Obmuteſco. } Feſt. in Obſtinato.
Obmolior. }
Obfirmo. } Feſt.
Obſtrudo. Feſt.
Obſtinatus.
Obſonitavere. Feſtus.
Obnitor. }
Obnato. } & reliqua ſimilia.
Obrauceſco. }
Obrepo.
Ocquíniſco.
Occentavit. Cicero & Feſtus.
Occido, & derivata. Feſt.
Occipio.
Occare. }
Occaecare. } Cicero & Feſt.
Ocius. } ἀπὸ τοῦ ὠκέως. Feſt.
Ociſſime. }
Ocimum. } trifolium.
Offendix.
Offendo.
Officium.
Ommentans, pro Obmanens. Feſt.
Oppidum. }
Opidum. } Feſt. uno p. Duobus tamen eſt pp. in tabula aerea judiciaria apud Fulvium Urſinum. Idem in Numonia.

Opperiri.
Orcus. Feſtus ab Urgendo.
Oricia Terebyntho.
Oſtendo.
Oufentina. Feſt. marmora Capitolina. Vet. Cod. liber Apiani.

P.

Parnaſus, Latinis.
Παρνάσσος, Graecis.
Pago.
Pango.
Pentheſilea, non
Panthaſilea.
Per compoſita, quavis conſonante ſequente, ſervat τὸ r. Velius tamen Longus ſequente l. mavult τὸ l. ſcribi: ut
Pellabor, quam Perlabor. recte ne, an ſecus?
Pellax. } libri veteres, & Velius Longus.
Pellicio.
Pellices. } Feſtus.
Perjurus. }
Perjuro, non } Vaticani liber vetus Plauti.
Pejero. }
Horatius tamen dixit: *Ulla ſi juris tibi pejerati.* Sic Dejero apud Terentium.
Perlego. Terentius tamen Scaurus
Pellego mavult.
Percunctor, Feſtus tamen verius
Percontor ſcribit: ſic docti probant. Nam Contus, non Cunctus, pertica nautica eſt, qua aquae altitudinem explorant: unde Percontor.
Peremptus, Interemptus. Feſtus.
Pluuo. } duobus uu. veteres codices.
Pluuia. }

Proi-

Proicio, lege Abicio.
Pertracto.
Primnesius, non
Prymnesius.
Puppem, & } sic reliqua hujusmodi.
Puppim. }
Poplicola.
Poplicula, apud Ursinum in Petronia.
Proelium, non
Praelium. sic
Proelum.
Protenus, longe.
Protinus, statim.
Preensus, sine h. &
Prensus.
Progne. attamen
Procne. V. C. Virg. & marmora.
Pregnas. V. C. & Grammatici.
Pheneus. trisyll. Φένεος. Apollonius tamen in Hymno Apollinis mediam cum αι diphthongo scripsit.
Porsena unico n. media longa, nisi usurpetur.
Pretium cum t. marmora antiqua. Agraetius, Valerius Probus. Etymologia a Peritus. Nam periti pretium rebus ponunt.
Proconsul, & Pro consule, sejuncta aliquantum secunda parte a Praepositione, diserte sculptum est, & cum omnibus literis in antiquo marmore Taurini.
Pro magistratu. in tabula aerea Farnesiorum Romae edita ab Ursino. sic Magistratus, pro ve magistratu oius, ubi fortasse legendum est *magistratibus* ultimum verbum.
Pulcher est solum Latinum nomen, in quo τὸ C. adspirationem requirit: nam antiqui multi adspirationem neglexerunt, ut in Nymfa, Pilus, Pilippus.

Pudicitia cum t. nummi Juliae Piae uxoris Severi Imp.

Perlucidus, non } Glossarium.
Pellucidus.

Perihodus. Festus, & ratio.

Q.

Quadripes cum i. Grammatici, & libri veteres.

Quemque } veteres libri, lapides, & ratio.
Quamque } non, Quenque, & Quanque

Quicumque, Quaecumque, Quodcumque, cum m. sic reliqua. Romae tamen in marmore Vespasiani est

Quemcunque, cum n. si modo exemplum fideliter descriptum est.

Quatenus, qua fine. ut Hactenus, hac fine.

Quatinus, quoniam.

Quis, non } ratio; non enim diphthongus Graeca cadit in dictione Latina: & multi Grammatici contra Probum aliter sentientem.
Queis.

Quot annis, } Vet. codices. Marmora. Tabulae aereae. Veteres libri.
Quot mensibus,
Quot diebus.

Quotiens, } Caper. veteres codices. Tabulae aereae Ursini cum n. semper.
Totiens.

R.

Redemptor. L. Emptus.

Reicio. L. Abicio.

Re sequente vocali plerumque d. admittit in compositis. ut

Redamo.

Re-

Redarguo.
Redandruo.
Redemptor.
Redeo.
Redhibeo.
Redhoſtire.
Rediculi fanum.
Redimio.
Redimitus.
Redimiculum.
Redivia. Feſto.
Redoleo.
Redundo.
Reddo, non Redo.
Retracto.
Robur aliis: aliis
Robor.

S.

Satura lex, & lanx. non Satyra } Feſtus, & ratio. nam Latina eſt, non Graeca dictio.
Sacra via ſeparatim. etſi eſt unum verbum, quod adparet ex derivato nomine.
Sacravienſis. L. nihilominus, & pro conſulatus. Sic Feſtus.
Saepio, is.
Saepes, is.
Saepe. } antiquae inſcriptiones.
Savium, non Suavium.
Savior, aris. non Suavior. } V. C.
Scaeva, ſiniſtra.
Saevus, a, um. crudelis, crudele.
Schedia, genus navigii.
Scida.

Scirpus, non Sirpus.
Secordia, non } Festus.
Socordia.
Secors, non }
Socors.
Scaena cum diphthongo ae. V. C. & marmora antiqua. etsi quidam aliter tradunt.
Scribsi, a Scribo. Terentii manu scriptus liber Vaticanae bibliothecae, & ratio.
Secutus, a, um.
Semiustus, non
Semustus.
Semianimus.
Simpulum. } Festo.
Simpuvium. } Aliis.
Sirius ardor.
Singilatim. Tabula aerea Ursini: quae praestat scriptis libris aliter habentibus.
Solicito, as.
Solitaurilia.
Sollistimum. Festo.
Sollemnis.
Solox, Solocis. Festus.
Spatiator cum t. Festus.
Spacium cum c.
Stinguo, is, non stingo, is.
Spintyrnix. Festus. quam alii
Spinturnicem dicunt.
Spinther, cum adspiratione. Festus.
Stuppa, duobus pp. V. C.
Stellio, duplici ll. V. C. Virgilii. & Festus.
Stiricidium. Nonio.
Stillicidium. Festo.
Suboles. V. Cod. Marmora. Glossarium. Ratio.
Subtingo.

Subicis, licet, e, ſit in nominativo Subex: qui nominativus ſi non eſt, eſſe tamen debuit.
Subcido. Gloſſarium.
Subcidaneum. Gloſſarium.
Subicio, L. Abicio.
Succenturiare. Feſtus.
Succidanea victima. Feſt.
Subcingo.
Succingulum. Feſt.

Suffibulum.
Suffimentum.
Suffragat. } Feſtus.
Suffuerat.
Summiſſior.

Summuſſi.
Supplicia.
Surregit.
Surremit.
Surrempſit.
Suſpicio. } Feſtus.
Suſpectus.
Succepit.

Submerſus.
Subtemen, lege Tegimen. V. C. & Grammatici antiqui. Gloſſarium. & Cariſius.
Subcedo. V. C. Virg. Ratio.
Succurrit. Gloſſarium.
Supleo, uno p. V. Cod. Virgilii, & lapides. ſed fieri poteſt, ut id adciderit de more eorum, qui conſonantes non geminabant: ut fecerunt in Sucus, pro Succus. & ſimilibus.
Succurrit. Gloſſ.
Summuto. Cicerone admonitore in Oratore.
Subflamen. Gloſſ.
Subfulcio. Gloſſ.

Subgillatus. Gloss.
Subministro, Gloss. & ratio.
Subrigo. Gloss. & ratio.
Subripio, Gloss. & ratio.
Sub. Cicero libro de Oratore de Praepositione Sub, *Adjuncti verbi primam literam praepositio commutavit. ut*
Suffugit.
Summutavit.

T.

Tatiensis, lege Titiensis.
Tantundem cum n. in tabula vetere apud Sigonium lib. 2. de jure antiquo P. R. nisi sit describentis error.
Tarco, onis. vet. libri Virgilii. Latinis.
Tarchon, Tarchontis. Graecis.
Taenia.
Tesca. Varroni, & Festo. aliis vero
Tesqua.
Tegimen. vet. cod. Virgilii. Inde per contractionem
Tegmen.
Terybinthus, cum y. & adspiratione in fine.
Tergeo. V. C. Virg. & Servius. trisyllab. Nam Tergo Latinum non est, & quae sunt in Calepinis exempla omnia ad secundam conjugationem sunt convertenda.
Thermodon, non Thermodoon.
Thyas, & }
Thyias. }
Tibur. }
Tiburs. }

Tho-

Thomice, cum adſpiratione. Feſt.
Titienſis tribus. Feſt. aliis
Tatienſis.
Tinguo, is.
Tirreni. ſine adſpiratione. non Thirreni, aut Thyrreni.
Tiro, non Tyro: nam vox eſt Latina.
Transno, as. } Veteres libri Virg. & ratio.
Transnato. }
Transcurro.
Transdo.
Transduco.
Transfigo.
Transfreto.
Transgredior.
Transluceo.
Translucidus.
Transfero.
Transtuli.
Translatio.
Transmeo.
Transporto.
Transpadani.
Transrhenani.
Tranſilio.
Transjungo.
Translabor.
Traicio. } tamen
Traiectus. } a reliquis abeunt.
Transmitto.
Transmigro.
Transfundo.
Transmontanus.
Transſpicio.
Transtiberinus.

Transſulto.
Transſuo.
Transſcendo.
Transſcindo.
Transſcribo.
Transverbero.
Transverſo.
Tremeſco, non Tremiſco. V. C. Virg. & aliorum. formantur autem haec inchoativa a prima perſona praeteriti imperfecti, *bam* ſyllaba in *ſco* mutata. Ideo a *Tremebam*, *Tremeſco*. quidquid tradant alii.
Tropaeum. ratio. Vet. codices Virgilii. & marmora.
Tuſus, non
Tunſus.
Turci, Turcorum. Suidas. Curopalates. & alii Graeci ſcriptores. Nam Pomponio Melae & Plinio.
Turcae longae ab his diverſi fuere.

V.

Vallus, pro Vannus, } V. Codices, & Varro.
Vannus. } eadem fuere.
Valles. }
Vallis. }
Vertex. } a vertendo, alii a volvendo.
Vortex. } a vorando, ut nonnullis placet, ſunt diverſa ſignificatione.
Veribus a Veru. V. C. Soſipater. Marmora antiqua.
Ungo, non
Unguo.
Unguen, inis: unde venit


Un-

Unguentum.

Virectum, non Viretum.	Veteres Virgilii, & aliorum libri.
Volsens. & Volcens.	Vet. Codices Virg.
Vergilius, & Virgilius.	

Volturnalia. Festo.

Umor, oris. Umeo, es.	sine adspiratione, est in Pervigilio cujusdam Poëtae apud Lipsium lib. primo Electorum: fortasse more eorum, qui adspiratione non utebantur.



Hic in fine operae bujus, & in fundo aetatis non quidem in animo habeo Grammaticis crucem, in qua se torqueant, figere. quod respondisse olim scribunt Virgilium sciscitanti cuidam, quidnam aenigmatica illa in Bucolicis quaestione designaret his versibus.

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus
Apollo,
Tris pateat Caeli spatium non amplius ulnas.

non, inquam, id specto. Sed serio ludens habere volo solicitos, & sibi caput scabere aliquantisper meos Jordanum, & Marcellum fratres Arnutios; dum meditantur & vestigant, quidnam responsuri sint, si quis interroget, quodnam sit, quidve significet apud Eusebium quincto Olympiadis ducentesimae secundae anno Proverbium Quinctianum, bis verbis ab eo relatum. Casius Severus, orator egregius: qui Quinctianum illud proverbium luserat. *Quodnam, inquam, est: & quid significat Quinctianum proverbium?*

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

In hisce Opusculis Illustratorum, Vindicatorum & Emendatorum.

A.

B.

C.

D.

INDEX AUCTORUM.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

INDEX AUCTORUM.

L.

M.

N.

P.

Q.

S.

STRA-

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

L l At

ve

F.

Fu-

N.

O.

P.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 94. lin. 10. *Cap.* 55. L. *Cap.* 65.
112. lin. 24. *Orygia.* L. *Ogygia.*
153. lin. 4. à fine. tributum. L. tributi.
175. lin. 19. ejusmodi oppugnatum. L. ejusmodi operibus oppugnatum.
272. in fine notae haec adde. Junge interim *Casp. Hofman. Var. Lect. lib. V. Cap.* 26, 27 & 28.
289. lin. 1. *libellus.* L. *libellos.*
338. lin. ult. TRO. legitur ETRO. L. TRO. legitur ETRO.





